
Eduard Fraenkel

CORIPPUS.

Cod. Madrit. Cas. 14.n.22.



MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

EDIDIT

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

AVCTORVM ANTIQVISSIMORVM TOMI III PARS POSTERIOR

CORIPPI LIBRI

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXVIIII

CORIPPI

AFRICANI GRAMMATICI

LIBRI QVI SVPERSVNT

RECENSVIT

IOSEPHVS PARTSCH

ADIECTA EST TABVLA

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXVIIII

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

SANCTVS
AMOR PATRIAE
DAT
ANIMVM.

FRANCOFVRTI A. M.
XIII. KAL. FEBR. MDCCCXIX.

I.

Vandalorum gentem vigore insito magis quam numero valentem centum fere per annos Africae dominationem bello arreptam tenuisse nemo non mirabitur, qui et hostium non semel per mare advolantium opes et indigenarum, quos Vandali oppresserant, naturam, mores, vires pernoverit. Atque Afri quidem non modo bonorum magnae partis possessione deturbati, sed propter fidem veterem catholicam constanter retentam acerbissime vexati quanto in odio Vandalos habuerint, Victoris Vitensis historia docet. Mauros, qui ne Romano quidem imperio florente Africae regiones egregie cultas vastare veriti erant, invasionibus nec paucis neque infelicibus primum provincias longius remotas Mauretanicas Numidiaeque partem meridionalem Vandalis surripuisse, deinde Tripolitanam etiam Byzacenamque temptantes Vandalorum opes tantis cladibus labefactasse, ut civili discordia debilitata gens haec fortissima a parvo Belisarii exercitu superari subigique posset, brevibus admodum ac fere in transcursu factis scriptorum paucorum mentionibus constat[1]. Sed unum librum fortuna prospera nobis servavit, e quo cum Africae totius qui fuerit Vandalorum dominatione collabente collapsaque status, comperiamus, tum populorum Mauricorum, qui Vandalicae gentis interitus primi praecipuique auctores fuerunt, de sedibus, opibus, moribus notitiam uberiorem hauriamus: Corippi Iohannidem. Quem librum Vandalorum res perquirentibus minime neglegendum cum ab hoc corpore abesse noluerint viri doctissimi et illustrissimi, qui historiae

1) Procop. de b. Vand. I 8. 9. Ioh. Malal. Chronogr. XVIII p. 459 ed. Dind.

Germanicae fontes studiis iteratis colligere limpidioresque litterarum studiosis tradere curant, e re me facturum speravi, si Corippi libris recensis — nam ne alterum quidem eiusdem carmen in laudem Iustini compositum a Iohannide recte separari potuit — non modo pauca de vita auctoris et de codicibus ad hanc editionem adhibitis, sed etiam rerum, quae Iohannide adumbrentur, narrationem succinctam praemisissem. Ac temporibus quidem et locis maxime, quibus Vandali, Mauri, Byzantii inter se conflixerint, indagandis operam dedi, cum et chronologiam et topographiam rerum tunc in Africa gestarum crepusculis quibusdam ac paene tenebris obfusam esse in Corippo legendo satis superque intellexissem.

Belli Maurici quae sit origo, quaerenti Iohanni magistro militum Caecilides tribunus longiore illa in oratione (Ioh. III 54—IV 246), qua res ante Iohannis adventum in Africa gestae enarrantur, respondet Vandalis dominantibus diu florentem Africam non modo bello, sed belli etiam suspicione liberam fuisse, donec Antālas, Maurorum Byzacenorum regulus, Africae pestis nasceretur. Qui cum ab anno vitae septimo decimo rapinas agere coepisset (III 156), triginta annos natus Africam populationibus tantis vexavit, ut tunc iam mergi Africae fortunae viderentur.

III 73 usque ad ter denos Antalae floruit annos
nascentis.

Quod tempus his verbis poëta indicaverit, dubitare vix possumus versibus, qui paullo infra sequuntur, inspectis:

III 184 iam tempus miseros (*scil.* Vandalos) fatis urguebat acerbis,
regnaque centeno properans iam fregerat (*i. e.* frangebat) anno.
tunc primum in nostris urbes succendere terris
et populare casas et campis currere Frexes
coeperat. . . . .
195 tempore Vandalici perierunt gaudia regni
nostra.

Insequitur (III 198—261) descriptio cladis illius maximae, qua Hilderici regis exercitum Antalas afflixit. Ab ea igitur Africae calamitates incepisse Corippus sibi persuaserat. Iam vero cum pugnam illam a. p. Chr. n. 530 commissam esse satis constet, Antalam anno 500 natum esse, anno 517 primum ad populationes descendisse putabimus[2]).

Antalae victoria Hilderici regnum subvertit. Vandalorum enim exercitus victus ubi Carthaginem revertit, regi senectute confecto imperium abrogavit eiusque in locum Geilamirum[3]) elegit. Subitam hanc rerum Vandalicarum mutationem iure factam esse

2) Aliter Corippi locum III 73 accepit Mazzucchellius, qui poëtam de Africae malorum initio loquentem Solomonis magistri militum exitium respexisse arbitratus Antalam anno 513 natum esse, anno 530 ad agros populandos processisse eodemque iam anno Vandalorum exercitum magnum fudisse, anno denique 543 Solomonem oppressisse contendit. Cui sententiae Corippi ipsius verba adversantur. Neque enim a. 543, sed a. 544 Solomonem periisse e Iohannidos II 35 III 290 elucet. Quamquam hoc errore intellecto tota viri doctissimi computatio corruit, altero etiam eam pede claudicare demonstrasse iuvabit. Annos septemdecim natum Antalam iam Hilderici exercitum vicisse nos credere vetat poëta ipse, qui a. aetatis septimo decimo puerum primum ovilia temptasse, oves singulas rapuisse, pedetemptim deinde ad furta maiora processisse narrat. III 171 'tempore iam ex illo saevis adulescere furtis incipit'. Annis demum compluribus peractis cum maiore praedonum manu Byzacii agros vastare et vel Vandalorum cum catervis confligere ausus est.

3) Nominis haec forma Geilamir, qua Corippus utitur, in nummis etiam Vandalorum exarata est. Vt huius ita aliorum nominum Vandalicorum formas genuinas a Corippo servatas esse intellexerunt Fr. Dietrich Die Aus-

negans Iustinianus Geilamiro, qui pacis condiciones omnes reiecerat, bellum intulit[4]. Vandalorum exercitu duobus proeliis victo, rege ipso Geilamiro capto totum regnum Vandalicum ita imperio Byzantio adiecit, ut dioeceseos in formam redactum in septem provincias divideret: Zeugitanam, Carthaginiensem, Byzacenam, Tripolitanam, Numidiam, Mauretaniam, Sardiniam. Praefecto praetorio Africae, qui totam dioecesim administrabat, et consulares, qui quattuor, quas priores nominavi, provinciis praefuerunt, et ceterarum trium praesides parebant. Armatae militiae, quae fines a Maurorum incursionibus defendebat, provinciarum singularum limiti adiacentium duces praefuerunt. Ac ducem quidem Tripolitanae provinciae in Leptimagnensi civitate, Byzacenae Capsae et in altera Lepte, Numidiae Constantinae, Mauretaniae Caesareae interim sedes habere imperator iussit[5]. Byzacenae provinciae duci sedes duas imperatorem dedisse, alteram limitaneam, maritimam alteram provinciae huius magnitudine situque perpensis non est quod miremur. Sed Leptim minorem, quod oppidulum et natura parum munitum et difficili navigantibus aditu fuisse constat[6], ceteris oppidis maritimis praetulisse Iustinianum brevi post paenituit. Neque enim dubitari potest, quin ducis Byzaceni sedes in urbem provinciae splendidissimam, Hadrumetum, translata sit, quae egregie a Iustiniano munita eius in honorem Iustinianopolis appellata est[7]. Hadrumeti anno 545 Himerium Byzacii ducem (τὸν πάντων ἄρχοντα τῶν ἐν Βυζακίῳ στρατιωτῶν) constitutum esse Procopius et Corippus testantur[8]. Eandem urbem milites omnes Byzaceni, qui Guntaritho Africae dominationem usurpante fidem imperatori servaverant, tenuerunt. Etiamtum unum ducem (Marcentium) Byzacio toti praefuisse e Procopii narratione satis elucet[9]. Anno autem insequenti Byzacii limitem, cui et ab occidente sole et a meridie hostes imminebant, Iohannes magister militum duobus ducibus custodiendum tradidit. Iohannidos enim VI 49 praesidia per provincias disponentem magistrum haec dicentem facit Corippus:

Byzacii geminis ducibus sit maxima cura
Massylas acies acie turbare sequaci,
sollicitis tristes gladiis urguere phalanges,
et procul a nostris expellere finibus hostes.

---

sprache des Gothischen während der Zeit seines Bestehens. Marburg 1862 p. 43. 53. 65. 72. 78 et Maur. Haupt Opusc. philol. III p. 616.

4) Ioh. III 262—266 I 366—391 III 14—22 Proc. b. Vand. I 9. 10.

5) Cod. Iust. I 27 de officio praefecti praetorio Africae et de omni dioeceseos statu 1. 2. Enuntiatum, quo septem provinciae nominantur, sic constituendum esse arbitror: 'septem provinciae cum suis iudicibus disponantur, quarum Zeugi et, quae proconsularis antea vocabatur, Carthago et Byzacium ac Tripolis rectores habeant consulares; reliquae vero id est Numidia et Mauretania et Sardinia a praesidibus cum dei auxilio gubernentur'. Quamquam Zeugitanam et Carthaginiensem provinciam secretas esse nemo non mirabitur, tamen lectioni 'Zeugi et quae' codices omnes ita favent, ut, num iure editor doctissimus Paulus Kruegerus coniecturam 'Tingi et quae' receperit, vehementer dubitem. Satis quidem constat (Cod. Iust. I 27, 2. Proc. b. Vand. II 5) anno 534 post Geilamiri cladem Iohannis armigeri expeditione castellum Saeptum, quod prope Tingim ad fretum Gaditanum situm erat, a Byzantiis occupatum esse. Cum autem soli huic castello nomen 'provinciae Tingitanae' inditum virumque consularem praefectum esse credere nequeam, provinciae Mauretaniae hanc arcem additam esse suspicor. Proconsularis autem provincia in provincias duas Zeugitanam et Carthaginiensem divisa esse videtur.

6) Stad. mar. magni § 113 Geogr. Gr. min. ed. C. Mueller I p. 469 πόλις μικρά ἐστι· καταφανῆ ἔχει βράχη· καὶ ἡ καταγωγή ἐστιν ἐπὶ τῇ πόλει δύσκολος πάνυ.

7) Proc. de aedif. VI 6.

8) Proc. b. Vand. II 23 Cor. Ioh. IV 8. 64.

9) Proc. b. Vand. II 27 Μαρκέντιον, ὃς τῶν ἐν Βυζακίῳ καταλόγων ἦρχεν.

Quorum ducum alterum Hadrumeti resedisse non est quod negemus, alterius sedem in limitis ipsius urbe quadam munita, forsan in una e quattuor illis, quas Procopius memoravit [10]), fuisse suspicari licet.

De finibus provinciarum Africanarum aetatis Iustinianae pauca comperta habemus. Non ubique Iustiniano id quod expetebat contigisse, ut ad fines veteres imperii Romani limes proferretur, constat. Mauretaniam enim non Tingitanam tantum, sed etiam Caesariensem totam praeter ipsam urbem Caesaream Mauri tenebant, ut ne via quidem pedestris, qua Caesaream iter facerent, Byzantiorum esset, sed navibus tantum inter hanc urbem, cuius moenibus provincia Mauretania tota conclusa erat, et Carthaginem commercium fieret [11]). Mauretaniam Sitifensem anno p. Chr. n. 539 Solomo vectigalem fecit, cum bello prospero montis Aurasii regem Iaudam superasset. Sed regio illa longius a Carthagine distans nescio an paullo post Solomone interfecto plenam libertatem recuperaverit. Ceterarum provinciarum maior sane pars, quae regiones maritimas, agros planos culturae aptissimos urbesque fere omnes continebat, a Poenis et Romanis per longa saecula occupata Byzantiis parere nunquam recusavit. Sed Mauri, qui asperioribus maxime et montanis locis medias per provincias dispersi habitabant, bello ingruente non semel cum barbaris limitem transgressis agros depopulati esse, milites insidiis temptasse, quin etiam acie instructa cum Byzantiis conflixisse videntur. Non modo ultra limitem, sed mediis in provinciarum finibus hostes illos sedes habuisse, quibuscum vario Marte Iustiniani exercitus saepe arma contulerint, cum aliis e testimoniis comperimus, tum e Corippi loco eo, ad quem explicandum iam transeo.

Populorum Mauricorum nomina, sedes, mores indaganti nescio an nullus veterum locus pluris faciendus sit initio libri secundi (II 28—161) Iohannidos, quo Corippus gentes rebelles recenset [12]). Neque enim nominum casu quodam congestorum mixtorumque farraginem effundit, sed via atque ordine certo procedens gentes affinitate, sedibus, moribus inter se iunctas complectitur, diversas separat. Ne obiter quidem versus illos inspicientem latere posse arbitror, in tres partes a poëta gentes omnes dividi. Duobus enim locis, post versum 84 et post versum 137, oratio ita inciditur, ut ad aliam terrarum Mauricarum partem transire Corippus videatur. Iam vero singula quaeque, in quantum possumus, perquirentes facile intellegemus primum II 28—84

---

10) Procop. de aedif. VI 6 κατὰ δὲ τὴν μεσόγειαν ἐς τῆς χώρας τὰ ἔσχατα, ἵνα δὴ αὐτὴν βάρβαροι προσοικοῦσι Μαυρούσιοι, ἐπιτειχίσματα κατ' αὐτῶν πεποίηται δυνατώτατα, ἐξ ὧν δὴ οὐκέτι οἷοί τέ εἰσι καταθεῖν τὴν Ῥωμαίων ἀρχήν. πόλεις τε γὰρ τὰς ἐνταῦθα οὔσας ἐν ἐσχατιᾷ τῆς χώρας ἑκάστῃ τείχεσιν ἐχυροῖς ἄγαν περιβαλών, αἷς αἱ προσηγορίαι Μάμμης τε καὶ Τελεπτή, Κούλουλις, καὶ φρούριον τειχισάμενος, ὅπερ καλοῦσιν οἱ ἐγχώριοι Αὐμετέρα, ἐχεγγύους ἐνταῦθα φρουροὺς στρατιωτῶν κατεστήσατο.

11) Proc. b. Vand. II 20 fin.

12) Loci totius partitione et conexu parum perspectis primum Mazzucchellius in editionis adnotationibus, deinde Comes Car. Oct. Castiglioni Mémoire géographique et numismatique sur la partie orientale de la Barbarie suivi de recherches sur les Berbers Atlantiques Milan 1826 p. 91—120 versus nonnullos ita interpretari conabantur, ut locorum situs gentiumve sedum parum curiosi, nominum similitudines solas captantes, quidquid cogitantibus in mentem inciderat, in medium proferrent. Quam explicandi rationem quamvis iam anno 1874 improbaverim, quo totum locum eiusque divisionem in Hermae volumine nono (Beiträge zur Erklärung und Kritik der Iohannis des Corippus p. 293 sq.) illustrare studui, tamen quibusdam in rebus tunc modo Mazzucchellii lectionibus perversis modo mea audacia in errores inductus sum. Ne nimis haec disputatio increceret, nec meos illos neque aliorum interpretum lapsus nunc memoravi, sed ubicunque res peracta ac bene stabilita mihi videbatur, interpretationem veram protulisse satis habui.

Mauros Zeugitanos, Byzacenos Syrtisque minoris accolas, deinde II 85—138 Mauros Syrtis maioris litora habitantes enumerari, addi postremum II 140—161 Numidiae meridionalis regionisque Arzugitanae populos.

Initium, ut par erat, a belli Maurici auctore potissimo poëta capit, Antala eiusque a populo Frexensi, cuius nomen in regionibus Byzacii interioribus ne nunc quidem prorsus evanuit. In confiniis enim regni Tunetani et provinciae Algericae inter Thevesten (Tebessam) et Thelepten (Hausch el Kima prope Ferianam) etiamnunc populus Mauricus Fraschisch vagatur[13]. Antalas regnum parvum a patre Guenfan acceptum callide auxit. Cum enim ceterae gentes Mauricae Byzacium incolentes rebellionibus irritis vires exhaurirent et vel sedibus suis cedere cogerentur, ipse decem per annos plenos Byzantiis ita fidem servavit, ut Maurorum omnium in Byzacio commorantium dominatio ei contingeret[14]. Veri igitur simillimum est e populis Mauricis, quos post Frexes Corippus memorat, complures Antalae paruisse. Ac de ceteris quidem, quorum nomina (Silvaizan, Silcadenit) neque apud Corippum alibi neque apud alium ullum scriptorem inveniuntur, pro certo quidquam statuere quis ausit? Sed unum saltem populum Naffur, quem Corippus cum Frexensi iunctum memorare fere solet (Ioh. II 43. 52 III 187. 189 VII 384 VIII 648?), Antalae dominationi addicere nemo dubitabit. In Byzacii enim parte orientali et meridionali hic populus saeculo etiam p. Chr. n. IX° exeunte sedes habuit[15].

Sequuntur — nescio, an quis miretur — Mauri Zeugitani,

qui Gurubi montana colunt vallesque malignas,
Mercurios colles.

Mercurii promontorium (nunc Ras Addar)[16] oppidumque inde haud longe distans Curubim (nunc Gurba)[17] his versibus denotari iam Mazzucchellius intellexit. At populi, quos exinde v. 62. 66 poëta nominat (Silvaizan, Macares, Silzactae, Caunes) utrum ad eandem provinciam Zeugitanam pertinuerint nec ne, equidem prorsus ignorare me fateor. Nominum similitudines captantem iuvabit forsan Mauretaniae Caesariensis Maccuras et Machures, Mauretaniae Tingitanae Caunos Oceano vicinos apud Ptolemaeum invenisse[18]. Sed aliis interpretandi adiumentis destitutus solis his nominibus confidere ego non audeo[19]. Immo, num vere populos illos Mauritanos Corippus

13) H. Barth. Wanderungen durch das pun. und kyren. Küstenland Berlin 1849 p. 240. 284. V. Guérin Voyage archéologique dans la régence de Tunis Paris 1862 I p. 307. Ch. Féraud Notes sur Tébessa Rev. Afr. XVIII 1874 p. 453. Carte de l'Algérie d'après les cartes de l'état major et les documents du ministère de la guerre. 1 : 1,100000 Paris 1862.

14) Proc. b. Vand. II 12 fin. II 21 'Αντάλας δὲ, οὕπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις ἐμνήσθην, ἅτε 'Ρωμαίοις πιστοῦ διαμεμενηκότος, καὶ δι' αὐτὸ μόνου ἐν Βυζακίῳ Μαυρουσίων ἄρχοντος.

15) al Iaqubi ed. vert. de Goeje. Lugd. Bat. 1860 p. 56 'Tripoli relicta intras in regionem tribus Nafusa, quae ex termino meridionali ditionis Tripolitanae ad viciniam Al Kairoanis se extendit'.

16) Mela I 34 Plin. n. h. V 4, 24 Ptol. IV 3, 8 Proc. b. Vand. I 6.

17) Col. Iul. Curubis in inscr. Wilmanns 2332. Plin. n. h. V 4, 24. It. Ant. p. 56, 7 57, 5. Guérin Voyage arch. dans la régence de Tunis II p. 241—244.

18) Ptol. IV 1, 10 Καῦνοι. IV 2, 19 Μακκοῦραι. IV 2, 20 Μαχοῦρες. — Ceterum Macares memorantur Timothei Gazaei περὶ ζῴων fragmento. Haupt Opusc. philol. III p. 300 εἰσὶν ἄλλαι μικραὶ (σφίγγες) περὶ τὴν γῆν τῶν Μακάρων.

19) Non temere gentium nomina similia confundenda esse uno exemplo demonstrasse sufficiat. Populi Frexensis sedes indagantes nescio an Fraxinensis gentis in Mauretania Caesariensi habitantis mentionem (Inscr. Wilmanns 69. 1636) arripuissent, nisi certo Procopii testimonio Antalae gentem Frexensem in Byzacio sedisse constaret.

designaverit, vehementer dubito. E regionibus enim tam longinquis, quas Byzantiorum exercitus multos per annos ne attigerant quidem, Mauros in provinciam Byzacenam praedationibus diuturnis exhaustam accurrisse vix crediderim. Erunt forsan, qui de Mauretania hic loqui Corippum e versibus insequentibus demonstrare posse sibi videantur, quibus montium quorundam altorum, Agalumni

'nubibus in mediis celsum qui ferre cacumen cernitur',

et Macubii 'caeli sidera sustentantis' poëta mentionem facit. Satis quidem constat tota regione Zeugitana montem nullum metris 1400 altiorem inveniri, Numidiae montes usque ad metrorum 2500, Mauretaniae Tingitanae usque ad 3500 metrorum altitudinem eminere. Sed verbis, quibus poëta utitur, montium illorum, quos scriptorum aliorum nemo nominavit, altitudo non tam accurate definitur, ut Zeugitanae Numidiaeve montes poëtam denotasse negare liceat. Ac mihi quidem — quamquam hanc quaestionem profligatam exhaustamque non censeo — tres causae haud spernendae, quominus ad Mauretaniam Corippi hos versus referam, obstare videntur. Primum Mauretaniae populos bellis, quae Mauri Byzaceni et Syrtici cum Byzantiis tunc gesserunt, sese immiscuisse nec Procopius aliusve ullus scriptor memoriae prodidit, nec rebus omnibus perpensis per se veri simile videtur. Deinde mirum sane esset Corippum, qui gentes Mauricas recensens non semel, quam longe remotis e regionibus Romanorum hostes accurrissent, adnotavit [20], Mauretaniae Tingitanae populos, qui omnium longissime a Byzacio aberant, ita memorasse, ut nec spatium ingens eos permigrasse adderet, nec Oceano tenus Mauros tantum non omnes Romanis infestos fuisse memoraret. Oceani autem Atlantici, Atlantis montis, Mauretaniae Tingitanae certam ac manifestam mentionem tota Iohannide frustra quaesiveris. Denique loci totius, in quo explicando versamur, naturam respiciens quis non viderit, quam arte et cum Zeugitanis, qui ante, et cum Syrtis minoris accolis, qui post eos memorantur, populi isti, quorum de sedibus ambigimus, a poëta coniungantur? Mauris enim, qui Mercurii promontorium Curubimque incolebant, memoratis ne verbo quidem ullo iam ad aliam prorsus terrarum Mauricarum partem se transilire poëta indicat. Item montibus illis Agalumno et Macubio breviter descriptis eodem in enuntiato statim ad populos, qui Byzacii Tripolisque in confinio Syrtis minoris ad oras sedes habebant, se convertit.

E populis enim quattuor, quorum nomina versum 75 complent,

Astrices, Anacutasur, Celianus, Imaclas

duorum sedes sat bene novimus. Nominis Imaclas si primam litteram *i*, qua praefixa Mauri pluralem numerum significant [21], dempseris, facillime intelleges gentis eiusdem hic mentionem fecisse poëtam, quam ipse III 410 Mecales [22], Herodotus Machlyes, Ptolemaeus Machryes appellavit [23]. Machlyes autem inde a temporibus antiquissimis

---

20) Ioh. II 74. 85.

21) Hanoteau. Essai de grammaire de la langue Tamachek. Paris 1860 p. 15.

22) Corippum eiusdem nominis formis duabus (Imaclas, Mecales) usum esse ne quis miretur, iam hic memorare liceat similiter populum Syrticum celeberrimum modo Ilaguas, modo Laguantan a poëta appellari. *cf.* p. XII.

23) Herod. IV 178. Ptol. IV 3, 26.

inter Syrtim minorem et Tritonis lacum habitasse inter omnes constat. Eandem fere regionem Astrices incoluisse, quos Syrti minori vicinos iam Ptolemaeus novisse videtur[24], ipsa Iohannide certiores fimus. Pugnam enim, qua Astricum in finibus Iohannes magister militum a populis Syrticis victus est, iuxta Syrtis minoris litora haud procul a Tacape commissam esse p. XXXII demonstravi, ubi de Iohannis expeditionibus agens versus II 77—84, qui ad cladem illam Byzantiorum pertinent, explicavi.

Versu deinceps 85 poëta novo quasi impetu ad aliam gentium Mauricarum partem recensendam pergit, ad populos Marmaridum (v. 138) Syrtis maioris accolas, quos cum alibi tum hoc nostro loco a ceteris Mauris ita separat, ut non sedibus tantum, sed etiam origine, moribus, superstitione inter se artius quam aliis cum Mauris coniuncti fuisse videantur. Non Antalam, Byzacenorum regem, summum ducem sequuntur, sed Ierna, dei Gurzil sacerdos[25], eoque interfecto Carcasan[26] Marmaridis omnibus praeest. Seorsum a ceteris Mauris pugnam et parant[27] et ineunt[28]. Nec ceteris Mauris — Corippo si fidem habemus — eadem, quae Marmaridis, erat castrorum muniendorum bellandique ars. Apud Corippum enim Marmaridae soli camelis, bobus, pecoribus colligatis vivos illos castrorum muros construunt, in quibus magnam victoriae salutisque spem Mauri ponebant[29]. Maior forsan differentia inter Marmaridas Maurosque occidenti magis soli obnoxios appareret, si accuratius Maurorum religiones novissemus. Constat sane Mauros omnes Ammonem summum deum coluisse[30]. Sed ceterorum deorum, quos Corippus nominat, cultus utrum apud omnes Mauros an apud partem tantum viguerit, parum exploratum est. Ac saepius quidem paullo ceteris[31] Gurzil deus, Ammonis filius, memoratur. Nec casu factum putaverim, ut ubique Marmaridae, nunquam Mauri Byzaceni Zeugitanive hunc deum coluisse dicantur. Marmaridum rex Ierna summo Gurzil dei sacerdotio fungitur[32], deique huius simulacrum ne post cladem quidem acceptam deserit, sed fugiens secum domum auferre contendit[33]. Ierna interfecto cum Gurzil dei simulacrum a Romanis combustum esset[34], nihil antiquius Marmaridae habuere quam ut simulacrum novarent deique violati maiestate fisi novis viribus bellum repeterent[35]. Quibus perpensis nescio an Gurzil deum Marmaridum peculiarem fuisse statuere liceat[36].

---

24) Ptol. IV 3, 27 ὑπὸ δὲ τοὺς Νιγιτίμους (qui inter Cinithios et Lotophagos a Cinype fluvio occidentem versus Syrtis oram accoluerunt) Ἀστάκουρες.

25) Ioh. II 109. IV 597. 667. 1013. 1155. 1164.

26) Ioh. VI 143.

27) Ioh. IV 597. 619.

28) Ioh. IV 627 processit geminis acies Maurusia signis.

29) Ioh. II 93—99. IV 597—618. Procopius bis huius pugnandi generis mentionem fecit: b. Vand. I 8, ubi Cabao, Maurorum Syrticorum rex, magnam de Vandalis victoriam reportasse narratur, et II 11, ubi Mauri Byzaceni contra Solomonem male rem gessisse feruntur.

30) Non modo Marmaridum dux Carcasan (Ioh. VI 145—176), sed Antalae quoque pater Guenfan Ammonis oraculum adit (III 81).

31) Mastiman, Sinifere Ioh. IV 681. 682. VIII 305—309.

32) Ioh. II 109. IV 667.

33) Ioh. IV 1138—1144.

34) Ioh. IV 1145. 1146. VI 116.

35) Ioh. VI 207.

36) Tauxier La religion des taureaux divins en Afrique Rev. Afr. XXI 1877 p. 185—197.

Marmaridum inter populos primum locum is tenet, qui tenacius omnibus bellum Mauricum aluit, crebriusque ceteris a Corippo memoratur. Cuius gentis nomen formis pluribus a poëta usurpatur. Atque una quidem

Leucada Ioh. III 294

non plus semel invenitur. Saepius multo duae aliae formae occurrunt varie a librariis corruptae. Quarum altera, littera *i*, qua Mauri pluralem numerum significant [37], praeposita, quattuor prioribus libris ubique

Ilaguas II 478 IV 374 sive
Hilaguas II 87. 96. 106. 210. 345,

tribus posterioribus semper

Ilasguas VI 108. 195. 238. 437. 454. 462. 469. 604 VII 383 VIII 580. 647.

scribitur. Tertia forma, quae littera *n*, alio pluralis numeri signo [38], terminatur,

Laguantan I 467 VII 535
Laguanta IV 48
Ilaguaten IV 797
Languantan IV 85. 629 in margine. VIII 474
Languentan I 144
Languatan IV 629. 815 VIII 434

scribitur. Ac Mazzucchellius quidem arithmetica computatione facta formas Ilasguas et Languantan ceteris praetulit. Mihi vero in tanta codicis inconstantia primum id tenendum videtur, ne nominis eiusdem formae duae nimis inter se discrepent, deinde ut cum formis ab aliis scriptoribus usurpatis conveniant. Iam Procopii codices, quorum de lectionibus vir doctissimus Guilelmus Meyerus Monacensis me certiorem fecit, plerumque Λευᾶθαι vel Λευάθαι, semel (b. Vand. II 21 p. 502) Λευχάθαι, semel (hist. arc. 5 p. 41) Λευέθαι exhibent. In codicibus deterioribus singulis locis lectiones Λεβάψαι, Λεβάνθαι, Λεμάνθαι, Λεμάθαι inveniuntur. Scriptores Arabes omnes Luata vel Lewata vel Lowata scribunt [39]. Quibus formis perlustratis nomina a Mazzucchellio sancita Ilasguas et Languantan cum inter se parum convenire, tum a formis ab aliis scriptoribus commendatis nimis abhorrere ratus ego formas Ilaguas (*adj.* Ilaguantensis VI 166. 278) et Laguantan potiores habui, quae formae in prioribus Iohannidos libris valent, in posterioribus demum mendis inveterascentibus obscurantur.

Sedes populi Ilaguantensis Iustiniani tempore magnae Syrtis litorum partem certe maiorem complectebantur. 'Finibus occiduis' Tripolitanam provinciam attingebant [40]. Haud longe a Lepti magna hos fines afuisse inde forsan colligere licet, quod Ilaguantenses cum Romanis de pace confirmanda acturi hanc urbem magno cum exercitu

37) Hanoteau Essai de grammaire de la langue Tamachek p. 15.

38) Hanoteau ibidem p. 19.

39) al Iaqubi ed. vert. de Goeje p. 28. 58. Maçoudi Les prairies d'or. texte et trad. par Barbier de Meynard et Pavet de Courteille Paris 1864 III p. 241. el Bekri trad. par de Slane. Iourn. Asiat. V série. tôme XII p. 423. 456. Ibn Khaldoun trad. par de Slane I p. 171. 232. IV p. 576.

40) Procop. b. Vand. II 28 οἱ Λευᾶθαι αὖθις στρατῷ μεγάλῳ ἐκ τῶν ἐπὶ Τριπόλεως χωρίων ἐς Βυζάκιον ἀφικόμενοι. Cor. Ioh. VI 224

finibus occiduis equitum iam currere turmas
et Tripolis vastare casas.

petiverunt[41]). Orientem versus quo usque populi pollentis agri se extenderint, parum exploratum est. Saeculo quidem IX° p. Chr. n. exeunte Laguantensium fines per totam fere regionem Barcaeam ab Agdabija usque ad Catabathmum magnum pertinuisse feruntur[42]). Sed tam late nomen Laguantense Iustiniani temporibus patuisse non videtur. Praeter Laguantenses enim etiam alios populos, qui inter Syrtim maiorem et Catabathmum habitabant, Corippus memorat, Austurianos, Ifuraces, Barcaeos, Nasamones.

Artissime cum Laguantensibus apud Corippum iungi solet populus Austur[43]), qui iam ducentos fere per annos modo Leptitanorum, modo Cyrenensium fines latrociniis infestaverat[44]).

Tertius populus Syrticus Ifurac[45]), cuius regulus Carcasan Ierna interfecto Marmaridum omnium dux summus creatus est[46]), ab aliis scriptoribus veteribus non nominatur. Saeculo p. Chr. n. XII° cum Ilaguantensibus mixti Ifuraces in regione Barcaea habitasse videntur[47]).

Priusquam ad ultimos Barcaeos[48]), quos non sine causa v. 123 post ceteros omnes populos Syrticos nominat, poëta transit, minores quasdam gentes enumerat, v. 116 Mutunianos vel Muctunianos aliunde non notos, quos Tripolis deserta coluisse dicit, v. 117 Gadabitanos, quos Lepti magnae vicinos fuisse Procopius tradit[49]), Digdigae denique, quod oppidulum Syrticum itineraria nominant[50]), incolas.

Tot populorum Syrticorum inter nomina obscura ac praeter Corippum vix ulli veterum nota frustra clarissimi populi Syrtici, Nasamonum, nomen requirimus. Cuius populi neque hac in recensione gentium Mauricarum neque alio ullo librorum quinque priorum loco mentionem fecisse Corippum iure nostro miraremur, nisi poëta ipse libri VI[i] v. 195—200 Nasamones primum bello abstinuisse, post Iernae demum cladem mortemque arma cepisse enarrasset. Atque inde ab hoc tempore saepissime Nasamonum nomine Corippus utitur. Nec vero gentem certam aliquam, sed gentes omnes Syrticas hoc nomine complecti solet[51]). Qua re Laguantenses, Austurianos, Ifuraces, Nasamones illos, qui belli participes esse aliquamdiu noluerant, omnes denique hos populos Syrticos partes tantum distinctas magnae illius nationis Nasamonicae fuisse suspicor, quae inde a temporibus antiquissimis Syrtim maiorem accoluerat[52]). Est

41) Proc. b. Vand. II 21.

42) al Iaqubi ed. vert. de Goeje p. 28. 40.

43) Cor. Ioh. II 89. 91. 209. 345. IV 816.

44) Amm. Marc. XXVI 4, 5. XXVIII 6, 2. 13 Austoriani. Synes. epist. 57. 78. 104. catastasis p. 193. 224. 245. 300. 303 ed. Petav. Αὐσουριανοί. Prisci Panitae Fragm. ed. C. Mueller Frgm. hist. Graec. IV p. 98 Αὐσοριανοί.

45) Ioh. II 113. III 412. IV 641. VIII 490. 648.

46) Ioh. VI 143.

47) el Bekri trad. par de Slane Iourn. Asiat. V série. XII tôme p. 424.

48) Herod. III 13. Scylax 108 (Geogr. gr. min. ed. C. Mueller I p. 83). Ptol. IV 4, 9. Steph. Byz. s. v. Βάρκη.

49) Proc. de aedif. VI 4.

50) It. Ant. p. 65 W. Tab. Peut. VII E. F.

51) Ioh. VI 552. 589. 593. 692. VII 465. 510. VIII 95. 177. 234. 248. 274. 423. 428. 446. 639. I. Partsch. Beiträge zur Erklärung und Kritik der Iohannis des Corippus. Hermes IX p. 296.

52) Veterum de Nasamonibus locos collegit et interpretatus est Vivien de S[t]. Martin. Le Nord de l'Afrique dans l'antiquité Paris 1863 p. 45—48.

sane vir doctus, qui saeculo p. Chr. n. II° e desertis, quae Syriae et Arabiae interiacent, gentem Laguantensem in Africam immigrasse, per Aegyptum in terras Marmaricas processisse et gentes antiquitus his in regionibus sedentes oppressisse sibi persuaserit[53]. Sed migrationis talis cum neque apud scriptores temporis illius testimonia nec temporibus posterioribus vestigia ulla inveniantur, audaciam, qua somnia pro studiis veneunt, miraberis magis quam probabis.

Iam vero, ut ad Iohannidos libri secundi exordium explicandum redeamus, versu 138 gentium Syrticarum recensio finitur:

Marmaridas gentes tot pertulit Africa bellis.

Verbis deinde insequentibus se aliam prorsus terrarum Mauricarum in partem non orienti soli, sed occidenti magis obnoxiam transilire poëta diserte profitetur:

quis miseram superesse putet? non sufficit istud,
o superi! iam audax alternis surgit ab oris
adversa de parte fremens dux ille ruinas,
quas illi Romana manus per vulnera Martis
ante dedit.

Quem Maurorum regulum cladibus gravibus a Byzantiis afflictum hic Corippus significet, quaerentes nullum invenimus nisi Iaudam, Aurasii montis (Dj. Aurès) principem, quem a. 535 et 539 expeditionibus duabus felicissimis Solomo pacaverat[54]. Tamen utrum hunc an alium quendam poëta denotaverit, dubitari posset, nisi enuntiato proximo

innumerae gentes illum comitantur euntem,
quae Gemini Petram, quae Zerquilis horrida rura (colunt)

castella duo montis Aurasii memorarentur, quibus in bello cum Solomone gesto Iaudas maxime confisus erat[55]. Quin melius etiam Iaudae regnum versu 149 indicatur:

Aurasitana manus celsis descendit ab oris.

Regulo eidem paruisse dicuntur gentes,

quae nefanda colunt tristis montana Navusi
desertosque locos; nutrit quos horrida tellus
Arzugis infandae.

Quare nec montana illa Navusi longe a monte Aurasio afuisse[56], et Arzugitanam regionem (Belad el Djerid), quae Byzacio meridiem versus contigua inde a Tripolitanae provinciae finibus 'per longum Africae limitem' extendebatur[57], usque ad Aurasii montis radices pertinuisse putaverim.

---

53) L. Tauxier La religion des taureaux divins en Afrique Rev. Afr. XXI, 1877 p. 185—197.

54) Proc. b. Vand. II 13. 19. 20.

55) Proc. b. Vand. II 19 Ζερβούλη. II 20 Γεμινιανοῦ πέτρα.

56) Ne quis Tripolitanae provinciae montem Dj. Nefusa eundem esse atque montem Navusum credat, montem illum a populo Maurico Nefusa vel Nafusa (apud Corippum: Naffur) nomen duxisse meminerit.

57) Oros. I 2 'Tripolitana provincia, quae et Subventana vel regio Arzugum dicitur, ubi Leptis magna civitas est, quamvis Arzuges per longum Africae limitem generaliter vocentur'. Aurelius episc. Carthag. apud Dionys. Exig. in Synod. Carth. can. 49 'in Tripoli et in Arzuge interiacere videntur barbarae gentes'. can. 52 'Tripolitani et Arzugitani fratres'. apud Harduinum (Acta Concil. I p. 1232) extat Epistula Aurelii Carthaginiensis episcopi ad omnes episcopos per Byzacenam et Arzugitanam provinciam constitutos. Augustini Epist. 46 (epistula Publicolae). 'in Arzugibus, ut audivi, decurioni qui limiti praeest vel tribuno solent iuvare barbari, iurantes per daemones suos'.

Postremos Maurorum omnium, quibuscum in Byzacio Iohanni concertandum erat, Corippus v. 156 Vadenses memorat:

quique Vadis tepidae[58] messes bis tondet in anno
Maurus arans.

Numidiae episcopi Vadenses duo diversae sedis in Notitia provinciarum Africae nominantur. Alterius dioecesis ubi fuerit ignoratur, alter vero eum Numidiae meridionalis locum tenuisse videtur, qui nomine antiquo usque ad nostra tempora servato nunc Badis appellatur[59]. Qui vicus quoniam ea ipsa in regione situs est, de qua Corippum hic agere constat, vix audaciae nimiae arguar, si ad eum Iohannidos versum II 156 retulerim.

Nunc, quoniam, quae Corippus et de provinciis Byzantiorum Africanis et de populis Mauricis tradit, quantum fieri potuit, aliorum scriptorum locis collectis illustravimus, ad brevem rerum in Africa gestarum, quae Iohannide memorantur, narrationem accingamur[60].

Vandalorum opes cum a. p. Chr. n. 533 corruissent, decem per annos plenos[61] Solomo (a. 534—536. 539—543) et Germanus (a. 537—539) rebus prospere gestis Africam dioecesim a Maurorum incursionibus defenderunt. Iaudas, Aurasii montis regulus, qui solus latrociniis Numidiam provinciam lacessere ausus erat, felici Solomonis expeditione a. 539 oppressus exinde pacem servavit[62]. Ne Stutias quidem rebellis, qui perfugarum Romanorum dux Africae dominationem appetebat[63], diuturno tunc tumultu pacem provinciae turbavit. A Belisario enim a. 536 ad Membressam[64], a

---

58) Trivultianus codex 'tepide' exhibet. Bekker 'tepido' scripsit, quam coniecturam ego in textum recepi. Sed iure optimo Theodorus Mommsenus monet versum medicina nequaquam egere, dummodo 'tepidae' scribatur.

59) Ragot Le Sahara de la province de Constantine. Recueil des notices et mémoires de la soc. arch. de la prov. de Const. XVI 1874 p. 294 scriptorum veterum et Arabum de vico Badis locos collegit. Ptol. IV 6, 32 Βαδιάθ. Tab. Peut. III F Badias. Not. Dign. Occ. XXV praepositus limitis Bazensis (*i. e.* Badiensis). Cyprian. ed. Hartel I p. 443 libri manuscripti nonnulli 'Dativus (episcopus) a Vadis', alii 'a Badis' exhibent.

60) Rerum, quas Corippus Iohannide retulit, narrationem accuratam, succinctam, elegantem invenies apud Fournel. Les Berbers I p. 95—104 Paris 1875. De opusculo alio, cuius locos paucos in notas recepi, legentibus iudicium relinquo. Inscribitur Tauxier. Notice sur Corippe et sur la Iohannide Rev. Afr. XX 1876 p. 289—299.

61) Cor. Ioh. III 289 florens haec gaudia sensit
nostra decem tellus plenos laxata per annos

62) Cor. Ioh. III 302 asper et ille semel bellum temptavit Iaudas
et tulit, ante tamen campos quam vidit apertos,
et mediis tremuit Romanos currere silvis.

Accuratius bellum Aurasitanum Procopius b. Vand. II 19. 20 descripsit.

63) Causas, quibus Stutiae seditio nata sit celeriterque increverit, Procopius b. Vand. II 14 exposuit.

64) Cor. Ioh. III 311 hunc (Stutiam) Membressa suis vidit concurrere campis,
hunc eadem petiisse fugam, cum maximus hostes
fudisset modicis victor Belisarius armis.

v. 313 pro inani codicis lectione 'mediis' Mommsenus 'modicis' restituit. Duobus enim milibus militum victoriam hanc reportasse Belisarium Procopius b. Vand. II 15 testatur. Ceterum Membressam urbem in Bagradae ripa positam m. p. L a Carthagine afuisse idem Procopius tradit. Cui cum et Itinerarium Antonini p. 45, 2—5 W. et Tab. Peut. assentiantur, ubi Membressa sita fuerit, dubitari nequit. Reliquiae oppidi nunc Medjez el Bab vocantur. Guérin Voyage arch. dans la régence de Tunis II p. 172—176.

Germano a. 537 ad Cellas Vatari[65]) fugatus aliquot annos in Mauretania latuit[66]). Quamquam ne prima quidem haec Byzantiorum dominationis tempora perturbationibus bellicis omnino caruerant, tamen postea Afri calamitatibus continuis mersi summis laudibus annorum illorum felicitatem celebrabant[67]).

Miseriae, quae Africae imminebat, quasi nuntius primus et auctor morbus perniciales comparuit. Inguinum enim pestilentia illa, quae a. 541 in Aegypto orta a. 542 Asiae provincias et imperii sedem Constantinopolim vexaverat[68]), Occidentem etiam totum pervasit. Atque in Africam quidem ex Aegypto non recta via per Cyrenae Syrtiumque oras pestis processisse videtur[69]). Gentes enim Mauricas, quae Byzantiorum provinciis Africanis interiacebant, a pestilentia immunes mansisse Corippus testatur[70]). Veri igitur simillimum, ne dicam certum, est, ut in Italiam, ita in Africam morbi semen Constantinopoli translatum esse. Quae urbs cum vere et aestate anni 542 aegrotaverit, pestem eodem forsan anno Africae oram maritimam attigisse, anno

---

65) Cor. Ioh. III 316 similique viros virtute necabas
Germano spargente ferum victumque tyrannum.
te Cellas Vatari miro spectabat amore,
te Autenti saevos mactantem viderat hostes.

Proc. b. Vand. II 17 οἱ στασιῶται (e regione Carthaginiensi) ἀνεχώρησαν ἔς τε Νουμίδας ἀπήλαυνον. ἔνθα καὶ ὁ Γερμανὸς παντὶ τῷ στρατῷ οὐκ ἐς μακρὰν ἦλθε. καταλαβών τε τοὺς ἐναντίους ἐν χωρίῳ, ὃ δὴ Καλλαςβάταρας καλοῦσι Ῥωμαῖοι, τὰ ἐς τὴν παράταξιν ἐξηρτύετο. In Tabulae Peut. segm. III F Numidiae vicus Vatari nominatur, cuius rudera prope 'Fedj-Souïoud, sur le versant nord-nord-est du Dj. Terguelt' invenisse sibi visus est Dewulf Annuaire de la soc. arch. de la prov. de Constantine 1868 p. 210—213. — Pugnae apud Autentos, Byzacii oppidum (It. Ant. p. 46, 7 W. Not. prov. Byz. 104), commissae praeter Corippum scriptorum nemo mentionem fecit. Parum igitur constat, utrum Stutiam, an gentes quasdam Mauricas hoc proelio Iohannes profligaverit.

66) Proc. b. Vand. II 17 fin.

67) Cor. Ioh. III 28—34. 283—292. 320—336.

68) Cum ne nunc quidem viri docti de tempore, quo pestilentia haec exorta sit, et de anno, quo Constantinopolim vastaverit, inter se consentiant, e libello parum noto, quo quaestio haec iam dudum dirempta est, pauca describo. Val. Seibel Die grosse Pest zur Zeit Justinians Dilingen 1857 p. 24 adn. 3. 'Nach Procop (Pers. II 20 und 22), welcher zur Zeit des Pestausbruches in Constantinopel anwesend war, erfolgte derselbe in jener Stadt in dem Jahre, als Chosroës zum dritten Male in das Römische Gebiet einfiel. Der erste Feldzug aber desselben, bei welchem Antiocheia erobert ward, fand Statt, wie Procop (Pers. II 5) angiebt, nach vollendetem 13., also im Laufe des 14. Jahres der Regierung Justinians, oder nach Marcellin und Marius unter dem Consulate Justins des Jüngeren, d. i. 540. Der dritte Feldzug des Chosroës, da derselbe seitdem jedes Jahr das Römische Gebiet überzog, fällt somit in das Jahr 542. — Hiemit vollkommen übereinstimmend lässt Euagr. (hist. eccles. IV 29) die Pest zwei Jahre nach der Einnahme Antiocheias auftreten. Da er den Ort nicht näher bezeichnet, hatte er wohl sein Vaterland Syrien im Sinne, wohin die Pest aus Aegypten gelangte, wahrscheinlich gleichzeitig mit ihrer Ankunft in Constantinopel. — Desgleichen Malalas XVIII p. Oxf. 224 'im 5 Ind. Jahre'. — Wenn Theophanes p. P. 188 angiebt, die Pest sei im Oktober 541 in der Hauptstadt aufgetreten, so liegt hierin noch kein Widerspruch mit obigen Angaben, da einzelne Krankheitsfälle in Folge des Seeverkehrs mit Aegypten recht wohl schon im Herbste jenes Jahres vorgekommen sein mögen. — Nur die Stelle bei Agathias V 10 scheint von dieser Angabe gänzlich abweichend. Er sagt: 'Die Pest ist zum ersten Male im 5. Regierungsjahre Justinians in unsern Länderkreis eingedrungen'. Offenbar ist jedoch diese Zahlangabe durch Irrthum der Abschreiber aus ιε′ = 15. verderbt, so dass, wenn dem Schriftsteller sein Eigenthum zurückgestellt wird, damit ganz richtig das erste Auftreten der Pest in Aegypten, welches in das 15. Regierungsjahr Justinians = 541 fällt, bezeichnet ist'.

69) Pestilentiam non Africae oras legisse iam e Procopii verbis colligi potest. b. Pers. II 22 ἤρξατο μὲν (ἡ νόσος) ἐξ Αἰγυπτίων, οἳ ᾤκηνται ἐν Πηλουσίῳ. γενομένη δὲ δίχα πῇ μὲν ἐπί τε Ἀλεξανδρείας καὶ τῆς ἄλλης Αἰγύπτου ἐχώρησε, πῇ δὲ ἐπὶ Παλαιστίνους τοὺς Αἰγυπτίοις ὁμόρους ἦλθεν, ἐντεῦθέν τε κατέλαβε τὴν γῆν σύμπασαν.

70) Cor. Ioh. II 388 gentes non laesit amaras
Martis amica lues.

demum insequenti totam provinciam infecisse suspicabimur[71]. Strage hominum permagna morbus perniciosus Africae vires, quae paucorum annorum tranquillitate revaluerant, concussit[72]. Tanta et Afrorum et militum Romanorum pars periit, ut Mauri finitimi, quos exercitus validi timor diu coërcuerat, spe praedationis impunis erecti provinciam incursionibus temptare inciperent. Atque ipso quidem pestilentiae anno (543) contagii formidine territi provinciae fines invadere non ausi sunt. Sed morbo extincto statim undique advolarunt[73]. Anno igitur 544 bellum Mauricum ortum esse et hac Corippi narratione et aliis eiusdem poëtae locis demonstratur, quibus decem per annos plenos (534—543) Mauri pacem servasse dicuntur[74]. Quae Corippi testimonia ego pluris facio quam Victoris Tununnensis, scriptoris parum diligentis, auctoritatem, qui a. 543 bellum illud, quo Solomon oppressus sit, exarsisse opinatur[75]. Neque temporum computationi Corippeae Procopius adversatur, qui accuratius res pertractans haec fere narrat[76].

Quarto anno post felicem Solomonis in montem Aurasium expeditionem, qui annus regni Iustiniani[77] septimus decimus erat (Kal. Apr. 543 — Kal. Apr. 544), Afrorum res prosperae subito in peius mutatae sunt. Hoc enim tempore imperator Sergium, Solomonis fratris filium, Tripolitanae provinciae praefecit. Qui cum Lepti magna commoraretur, huc Laguantenses barbari finitimi munera sollemnia accepturi et de pace firmanda acturi magno cum exercitu venerunt. In colloquio, quod Maurorum exercitu foris castra ponente in urbe conserebatur, unus e barbaris, qui arrogantius Sergium tetigisse fertur, satellitis Romani gladio confossus est. Omnibus deinde arma arripientibus et tumultu magno in palatio orto octoginta barbarorum principes, qui fide accepta in urbem venerant, praeter unum omnes trucidati sunt[78]. Legatorum sanctitatem tam perfide violatam ut ulcisceretur, Maurorum exercitus confestim Leptim magnam aggressus est. Sed vario Marte cum usque ad noctem pugnatum esset, Mauri bellum maius paraturi discessere. Aliquanto autem post (χρόνῳ δὲ ὕστερον), anno, ut

---

71) Vict. Tun. Chron. ed. Roncalli II p. 370 'post consulatum Basilii v. c. anno II. Horum exordia malorum generalis orbis terrarum mortalitas sequitur, et inguinum percussione maior pars populorum necatur'. — Cum Basilius anno 541 consulatum gesserit et Victor in annis numerandis ea ratione uti soleat, ut annus consulatum quendam insequens 'annus secundus post consulatum' dicatur, — id quod iam Valesius intellexit —, ad annum 542, non ad annum 543 Victor, scriptor Afer, pestilentiam referre videtur. Nec tamen computatio, quam modo fecimus, Victoris chronologia confutatur. Cuius verbis accuratius inspectis dubitari nequit, quin annum, quo pestilentia latius per orbem grassari coeperat, non eum, quo Africam vastavit, denotaverit.

72) Cor. Ioh. III 342—370.

73) Cor. Ioh. III 383—392.

74) Cor. Ioh. II 34 finibus in Libycis suscepta pace fidelis
ille (*scil.* Antalas) fuit, plenosque decem perfecerat annos.
III 289 florens haec gaudia sensit
nostra decem tellus plenos laxata per annos.

75) Vict. Tun. Chron. ed. Roncalli p. 370. cf. p. XIX.

76) Procopii capita selecta, quibus res inde ab anno 543 in Africa gestae enarrantur, in calce primi huius prooemii capitis typis expressa invenies.

77) Iustinus imperator Kal. Aug. anni 527 mortuus est. Nec vero ab hoc die, sed a Kal. Apr. eiusdem anni Iustinianus regni annos numeravit. cf. Nov. Iust. 47. Proc. b. Vand. I 12.

78) Ad legatorum Maurorum caedem Corippi versus Ioh. II 36—40 pertinent:
heu, ducis ignavi quale indiscretio bellum
movit, et extinctas fecit recalescere flammas!
tunc furor incepti posuit plantaria Martis.
perfidiae crimen vel tantae semina mortis
ira dedit.

videtur, 544, cum Sergius auxilium petiturus ad Solomonem patruum Carthaginem profectus esset, Laguantenses permagno exercitu Tripolitanam provinciam transgressi Byzacium petierunt, ubi socium belli potentem invenerunt. Antalas enim, qui decem per annos Romanis fidem servaverat, tunc Solomoni succensebat, quippe qui et fratrem eius Guarizilam tumultus cuiusdam in Byzacio exorti auctorem supplicio affecisset [79]) et ipsi munera sollemnia, quae ab Africae praefecto accipere consuerat, recusasset. Qua re castris cum Laguantensibus iunctis tunc Antala duce Mauri omnes Byzaceni provinciis Romanis bellum intulerunt. Tanto subito periculo ingruente Solomo quidquid Romanis in Africa virium erat, in unum colligere contendit. Ac Procopius quidem Solomonis tantum fratris filios, Sergium et Cyrum Tripolitanae et Pentapolitanae praesides, patruo adfuisse memorat. Sed gentes etiam Mauricas nonnullas Solomonem adiuvisse e Corippi Iohannidos III 405—412 discimus.

et ruit ecce volans, aequo non Marte coactus,
Maurorum ductor, miseri Solomonis amicus
Romanis rebus nimium semperque fidelis
Cusina Mastracianis secum viribus ingens.
qui Tripolis tunc ductor erat, convenit et audax
Pelagius: sed gentiles durosque Mecales
secum ad bella trahens fessis non viribus ibat.
Ifuraces fictos suscepit nescius artis [80]).

Pelagium igitur, qui Sergio duce absente limiti Tripolitano praefuisse videtur, Mecales, Syrtis minoris accolae, et Ifuraces, populus Syrtis maioris, sequebantur. Praeterea Maurorum regulus is, quem Romanis fidissimum Iohannidos locis multis Corippus praedicat, Cusina Solomoni adfuit. Cusinae gentem primum in Byzacio habitasse, deinde anno 535 a Solomone pulsam ad Iaudam, Aurasii montis regem, confugisse Procopius narrat [81]). In radicibus igitur septentrionalibus huius montis, in regione Tamugadensi vel Lambaesitana Cusinae exinde populum Mastracianum [82]) sedes habuisse suspicari licet. Cusinae

---

79) Cor. Ioh. II 28 primus init bellum, fraterna morte coactus (Antalas).
III 384 hic fratris mortem concussa mente dolebat.
IV 364 res publica certe
fida satis. sanguisque tuus, germane, fatetur,
Guarizila, ducis iussu qui fusus iniqui est.

80) Iohannidos hos versus vereor ne parum intellexerit Tauxier Notice sur Corippe et sur la Iohannide Rev. Afr. XX 1876 p. 295. 296, qui hanc rerum narrationem sibi finxit: Salomon se porta sur l'ennemi en appellant à lui Coutzinas, chef des Mastrakes et commandant des indigènes fédérés de l'ouest, ainsi que le duc de la Tripolitaine Pelagius. Le rendez-vous était à Theveste. Pélagius accourut à ses ordres; mais, serré de près par les Mecales, tribu de la Tripolitaine, il se laissa prendre dans une embuscade et périt avec tous les siens. Coutzinas de son côté fut aussi battu en route et n'arriva auprès de Solomon qu'avec de faibles débris de sa troupe.

81) Proc. b. Vand. II 10 quattuor Maurorum duces, Cuzinam, Esdilasam, Iuphruthem et Medisinisam nominat, qui a. 535 tribus proeliis cum Romanorum exercitu in Byzacio concertarunt. In monte Burgaone a Solomone victi hi duces omnes praeter Esdilasam, qui ipse Romanis se dedidit, effugerunt. II 12 fin. τὸ μὲν οὖν Ῥωμαίων στράτευμα ξύν τε τῇ λείᾳ καὶ τῷ Ἐσδιλάσᾳ ἐς Καρχηδόνα ἐσήλαυνον, τῶν δὲ βαρβάρων ὅσοις μὴ ἀπολωλέναι ξυμβέβηκεν, ἐν Βυζακίῳ μὲν ἱδρῦσθαι ἀδύνατα ἐδόκει εἶναι, ὅπως μὴ ὀλίγοι ὄντες πρὸς Λιβύων τῶν σφίσι ὁμόρων βιάζωνται. ξὺν δὲ ἄρχουσι τοῖς σφετέροις εἰς Νουμιδίαν ἀφικόμενοι ἱκέται γίνονται Ἰάβδᾳ, ὃς τῶν ἐν Αὐρασίῳ Μαυρουσίων ἦρχε.

82) Nomen gentis ab aliis scriptoribus non memoratum uno tantum Iohannidos versu, cuius lectio parum certa videtur, occurrit.

auxilio ne privaretur, Solomonis plurimum interfuisse et Corippi e loco eo[83], quo triginta milia virorum huic regi paruisse comperimus, et ex itinere, quo Solomo Carthagine hostibus obviam ivit, collegeris. Neque enim via litorali Hadrumetina Byzacium petivit, sed Bagradae per vallem Thevesten, urbem Numidiae meridionalis munitissimam[84], profectus hic cum Cusina, quem hostes magnis iam copiis pressisse videntur[85], castra iunxit. Deinde primum quidem Maurorum rebellium numero ingenti territus cum Laguantensibus de pace componenda agere coepit. Cum autem hostes victoriae spe erecti condiciones omnes reiecissent, pugnam paravit. Occasione usus partem exercitus Maurici praeda magna oneratam oppressit. Sed paullo post cum hostium copiis universis congressus Byzantiorum exercitus, quamquam fortissime aliquamdiu restiterat, tandem multitudine superatus terga dedit. Solomo ipse, qui armigeris fidis stipatus diutius ceteris hostium impetum sustinuerat, sero in fugam conversus periit. Pugnae huius fatalis descriptionem simplicem et sinceram Procopio debemus. Non defuisse, qui non hostium numero, sed Maurorum foederatorum perfidia vel Guntarithi proditione Romanos profligatos esse asseverarent, Corippi e Iohannide discimus[86]. Sed rumoribus talibus, quibus exercitus victi solacium vanum captantes infirmitatem dissimulare fere solent, fidem habiturum credo neminem. At uno e fonte Procopii narrationi addi aliquid posse censeo, Victoris Tununnensis e loco, quem mendis quidem lacunisque inquinatum editiones exhibent[87], genuinum vero in libris manu scriptis nunc primum excussis Ewaldius invenit. Qui cum e schedis suis Mommseno, professore illustrissimo, petente quidquid ad Johannidem explicandam pertinebat, mecum communicaverit, iam emendatum Victoris locum adscribere mihi contigit.

'post consulatum Basilii v. c. anno III. Stuzas tyrannus gentium multitudine adunata Solomoni magistro militiae ac patricio Africae ceterisque[88] Romanae militiae ducibus Cilio occurrit. ubi congressione facta peccatis Africae Romanae reipublicae militia superatur, Solomon utriusque potestatis vir strenuus proelio moritur'.

Quamquam in eo quidem Victor erravit, quod Stutiam Mauris tunc praefuisse dixit, haud tamen spernendam crediderim loci, quo pugnatum sit, mentionem. Neque enim perperam oppidi illius parum celebris nomen scriptori in mentem venisse veri simile est, et situs eius optime cum Procopii narratione convenit. Cilium enim vel — ut inscriptionis

83) Ioh. VII 266. 267.

84) Ch. Féraud Notes sur Tébessa Rev. Afr. XVIII 1874 p. 437. 438.

85) Ioh. III 405.

86) Cor. Ioh. III 412 Ifuraces fictos suscepit nescius artis.
mons obscura manet, quotiens, Fortuna, minaris.
heu, Solomon miserande, tuis hos iungere castris
debueras.
III 428 Guntarith infelix nostrum conterruit agmen.
non victum fortuna, minax non presserat hostis,
non metus acer agens; sed vertens mente maligna
signa refert fugitque.

87) Vict. Tun. ed. Roncalli II p. 370.

88) Africae ceterisque *scripsi*, Afri ceterisque *codices duo Matritenses saec. XIII et XVI*, africae aeducisque *cod. Escorialensis saec. XVI*, Africae Aeducique *ed. Scal.*, Africae ducique *ed. Ronc.*

antiquae (C. I. L. VIII 210) orthographiam sequamur — Colonia Cillitana (nunc Kasrin) itineris, quod Theveste per Suffetulam Hadrumetum tulit, mansio ita in triviis sita erat[89]), ut Mauri primo proelio prope Thevesten fusi huc se recipere et copiis omnibus undique celeriter collectis Solomonem expectare possent. In magna igitur planitie, quae Cillitanae coloniae subiacet, Solomonem a. 544 a Mauris victum caesumque esse arbitror. Diiudicata belli fortuna ne Mauri quidem foederati Romanis victis pepercerunt, sed cum victoribus mixti provincias depopulari coeperunt[90]). Byzantii et exercitus magna parte et duce egregio privati cum acie confligere non auderent, oppida pauca munita tenuerunt, agros omnes Mauris praedantibus concesserunt. Qui cum anno vergente praeda onusti domum rediissent, anno insequente (545) novas rapinas acturi iterum in Byzacium convenerunt[91]). Iam Stutias quoque, qui rebus Romanis florentibus in Mauretania quietem egerat[92]), provinciarum Romanarum parte potiri se posse sperans, paucis sectatoribus Vandalisque quibusdam stipatus Antalae se adiunxit, brevique post rei bene gerendae copiarumque augendarum occasionem nactus est.

Iohannes enim Sisinnioli filius, Romanorum dux strenuus, qui Byzacium a barbaris defensurus exercitum tunc colligebat, cum alia oppidorum munitorum praesidia ad se vocavit, tum Himerium, qui Byzacii dux Hadrumeto (Iustinianopoli) praeerat, Menephesem[93]), Byzacii in vicum quendam, tempore definito secum convenire iussit. Cum autem illo ipso loco hostes castra posuisse certior factus esset, altero nuntio alium, quem peteret, locum Himerio denotavit. Casu factum est, ut nuntius hic sero Hadrumetum veniret, Himerius prioribus mandatis obsecutus prope Menephesem in Antalae et Stutiae exercitum incideret, et multitudine circumventus caperetur. Bene sic rem Procopius exposuit. Minor fides Corippo habenda, qui non a Iohanne duce, sed a Stutia epistulam illam, qua Himerius ex urbe evocatus sit, scriptam fuisse, nec casu quodam, sed Stutiae calliditate in hostium insidias Romanos pellectos esse argutatur[94]). Ceterum sat bene utriusque scriptoris narrationes inter se conspirant. Turmam equi-

---

89) It. Ant. p. 54 W. Morcelli Africa Christ. I p. 139. Guérin Voyage arch. dans la régence de Tunis I p. 322—326. Locorum natura perpensa dubitari nequit, quin a magno itinere, quo Theveste cum Suffetula et Hadrumeto iungebatur, Scillitana in colonia via alia deverterit, quae meridiem versus per Thelepten (Hausch el Kima prope Ferianam) Capsam (nunc Gafsa) petebat. Cuius viae pars dimidia inter Thelepten et Capsam sita in Tab. Peut. picta extat.

90) Ioh. III 442—444.

91) Proc. b. Vand. II 23 Ἀντάλας δὲ καὶ ὁ τῶν Μαυρουσίων στρατὸς ξυνελέγοντο αὖθις ἐν Βυζακίῳ.

92) Proc. b. Vand. II 17 fin. μόνος τε ὁ Στότζας (a Germano victus) σὺν Βανδίλοις ὀλίγοις τισὶν ἐς Μαυριτανοὺς ἀνεχώρησε, καὶ παῖδα τῶν τινος ἀρχόντων γυναῖκα λαβὼν αὐτοῦ ἔμεινε. Vict. Tun. ed. Roncalli II p. 368 'Basilio v. c. cos. (a. 541) Stuzas apud Africam regnum in Eremi partibus cum tyrannide assumit'.

93) Proc. b. Vand. II 23 Μενεφέση non confundenda est cum statione Menegese, quam Thevestae vicinam It. Ant. p. 47, 1 W. indicat. Locus enim, quo Himerius captus est, propius multo ab Hadrumeto afuisse videtur.

94) Ioh. IV 11 (Himerio) urbe sedenti
blandior infausto mandatur epistula versu,
nomine scripta ducis; milesque Sinonius intrans
esse Iohannis ait. legimus mandata tyranni
credentes mandata ducis.

tum unam, quae sola manus cum hostibus conseruerat, in castellum quoddam parum firmum confugisse, sed paullo post cum ceteris omnibus Himerii militibus Stutiae se dedidisse et Procopius et Corippus referunt[95]. Victoriae huius incruentae fructum maximum Mauri Hadrumeto occupato percepere, cuius portas Himerius ipse hostium, quorum in manibus erat, minis territus per proditionem reseravit[96]. Quamvis haud ita multo post et Hadrumetum Romani recuperarent et militum captorum, qui Stutiam sequebantur, pars magua ad imperatoris exercitum reverteretur, tamen rebus adversis fracti Romani in campos apertos procedere non audebant, sed oppidis munitis se continebant. Neque enim Sergius, quem Solomone mortuo Iustinianus Africae praefecerat, militibus neque milites Sergio confidebant. Mauri autem, quibus nemo occurrebat, omnes per provincias Africanas vagabantur. Tandem Africae laboranti subveniendum esse intellexit Iustinianus. At non exercitum, sed magistrum militum alterum misit, Ariobindum, senem rerum militarium parum peritum[97]. Iam copiis, quibus unus Sergius praefuerat, divisis Sergio Numidia provincia, Ariobindo Byzacena defendenda obvenit. Ac Sergius quidem statim in Numidiam perrexit. Ariobindus autem cum Antalam et Stutiam prope Siccam Veneriam (nunc el Kef)[98], castra posuisse audivisset, nihil moratus Iohannem Sisinnioli filium cum delecta militum manu eo progredi iussit, a Sergio, ut copias cum Iohanne iungeret et una cum eo hostes aggrederetur, litteris petivit. Quas cum Sergius prorsus neglexisset, Iohannis exercitus parvus solus cum hostibus numero longe superioribus conflixit. Procopii si historiis solis uteremur, prope Siccam pugnam commissam esse scire satis haberemus. Sed alio e fonte paullo accuratius pugnae locum designabimus, Victoris Tununnensis loco, quo oppiduli ad quod exercitus congressi sunt, nomen memoriae traditum est[99]:

'post consulatum Basilii v. c. anno V (545) Stuza tyrannus apud Africam portu Taceae congressione facta Ioannis Romanae militiae ducis iaculo percussus est parique vice et Ioannes Stuzae, qui confestim alterutro utrique gladio ceciderunt et dominico die, quo pugna facta est, moriuntur'.

Vbi Tacea sita fuerit, dubitari nequit. In Tabula enim Peutingerana Thacia memoratur, quod oppidum in via Carthaginiensi situm et m. p. XXVI a Sicca distans[100] eundem fere locum tenuit, quem nunc vicus Bordj Massudi[101]. Ceterum non apud

---

95) Ioh. IV 41 ardua castra gerit campis Cebar addita apertis.
Hoc versu nomen castelli scriptoribus ceteris ignotum Corippus memoriae tradidisse videtur.

96) Proc. b. Vand. II 23. Cor. Ioh. IV 64.

97) Proc. b. Vand. II 24. Cor. Ioh. IV 82—86.

98) Guérin Voy. arch. dans la régence de Tunis II p. 53—71.

99) Vict. Tun. Roncalli II p. 371.

100) Cum viae antiquae, qua Mustis veteres Siccam meabant, vestigia extent (Grenv. Temple Excursions in the Mediterranean II p. 282. Barth Wanderungen im pun. und kyren. Küstenland p. 221. Rev. Afr. I p. 371), de viae huius longitudine certum iudicium proferre licet. Recte Itinerarii Antonini p. 45, 2 XXXII m. p. inter Siccam et Mustos interfuisse feruntur. In Tab. Peut. IV E, ubi olim certe haec legebantur: Musti — VII — Thacia — VII — Drusiliana — VII — Siguese — XII — Sicca Veneria — XXX — Naraggara, librarii errore manifesto numeri XII et XXX inter se commutati sunt. I. Partsch Africae Veteris itineraria explicantur et emendantur. Vratislaviae 1874 p. 53.

101) Guérin Voyage arch. dans la régence de Tunis II p. 97.

aliam ullam urbem Taciensem[102], sed prope ipsam illam, quae Siccensi in regione sita esset, Iohannem et Stutiam arma conseruisse satis constat.

Iam ad ipsam pugnae descriptionem si convertimur, nullum scriptorem cum ceteris omnino convenire intellegimus. Corippus solus duobus proeliis cum hostibus Iohannem certasse memorat[103]. Atque e priore quidem propter ductorum (Ariobindi et Sergii) discordias Romanos inferiores discessisse, altero primum Mauros fugatos esse, donec perfugarum manus Stutia duce accelerans pugnam restitueret. Acerrimo hoc concursu quamquam Stutias ipse Iohannis sagitta transfixus cecidisset, in fugam coniectos esse Romanos, fugientium partem magnam rivuli alveo altissimo impeditam periisse. Dubitari nequit, quin eiusdem rivi in ripis Iohannem ducem ab hostibus oppressum esse Corippus narraverit, quamquam Iohannidos versus hic (III 201) non pauci interciderunt. Iohannidos enim lacunam Procopii haec verba resarciunt: χῶρος δέ τις ἦν κατάντης ἐνταῦθα, οὗ δὴ αὐτὸν ἀποβάλλει ὀκλάσας ὁ ἵππος. ἐφ' ὃν αὖθις αὐτὸν ἀναθρώσκειν πειρώμενον καταλαβόντες οἱ πολέμιοι κτείνουσιν, ἄνδρα γενόμενον δόξῃ τε καὶ ἀρετῇ μέγαν. Ceterum non Stutiae ipsius[104], sed alius perfugae, armigeri forsan Stutiani[105] manu Iohannem occisum esse Procopii Corippique consensu satis constat.

Pugnae Taciensis exitu nuntiato cum ne Iustinianum quidem lateret exercitus Africani imperio bipartito provinciam funditus perdi, Sergio, in quem cladis gravissimae culpam omnes contulerunt, revocato toti militiae Africanae Ariobindum magistrum praefecit. Qui senex ignavus ne suorum quidem insidias comprimere valens duobus mensibus post a Guntaritho Numidiae duce seditioso, imperio privatus obtruncatur[106]. Guntarithus non diu dominationem, qua potitus erat, tenuit. Tricesimo sexto enim tyrannidis die ab Artabano Armenio inter cenam trucidatus est. Caedis auctorem Athanasium senem, consilii tantum ministrum Artabanum Corippus praedicat[107]. At totam facinoris laudem Artabano ceterisque Armeniis Procopius impertit[108]. Cui si fides habenda, Athanasius, qui Africae praefectura functurus cum Ariobindo Carthaginem venerat[109], vilique deinde adulatione a Guntaritho imperium usurpante, ut sibi par-

102) Plures eiusdem nominis urbes fuisse inde colligas, quod 'Taciae Montanae', provinciae Africae proconsularis oppidi, episcopi memorantur. cf. Morcelli Afr. Chr. I p. 296. Vtrum ad oppidum, cuius in agro pugnatum est, cognomen hoc pertinuerit nec ne, parum constat.

103) Cor. Ioh. IV 103 ductorum iussu, merito fortisque Iohannis
temptavere feros aequis non partibus hostes.
sed victi petiere fugam. discordia mentis
vicit amare viros. rursus dux ipse Iohannes
signa movens densos vadit moriturus in hostes.

104) Vict. Tununn. ed. Roncalli II p. 371.

105) Marcellinus comes ed. Roncalli II p. 330 'post consulatum Basilii anno IV (545). In Africa Ioannes inruens super tyrannum Stotzam interimit eum et ipse ab eius occiditur armigero'.

106) Proc. b. Vand. II 25. 26. Cor. Iob. IV 222—226.

107) Cor. Ioh. IV 231—242.

108) Proc. b. Vand. II 27. 28.

109) Proc. b. Goth. II 22 anno 539 Athanasium Italiae praetorio praefectum esse testatur. 'Αθανάσιον μὲν ὕπαρχον τῶν ἐν Ἰταλιώταις πραιτωρίων καταστησάμενος. b. Vand. II 24 ξὺν αὐτῷ (*scil.* Ἀρεοβίνδῳ) Ἀθανάσιον ὕπαρχον ἄρτι ἐξ Ἰταλῶν ἥκοντα ἔστελλε (*scil.* Carthaginem).

ceretur, impetraverat[110], coniurationis Armeniorum ne particeps quidem fuit, sed tyranno demum interfecto in aerario tuendo Artabanum adiuvit[111]. Quae narratio mihi multo magis arridet. Veri enim admodum simile videtur Corippum Athanasio, qui Guntaritho occiso Africae praefecturam receperat[112], laudes iusto maiores tribuisse.

Iam alio de Iohannidos loco iudicium ferendum, quo Antalas, Maurorum Byzacenorum regulus, nisi sua ope adiutum Artabanum Guntarithi caedem perpetrare non potuisse gloriatur[113]. Antalam, qui primum Guntaritho faverat, auxilii mercede fraudatum exinde infestum tyranno fuisse tam certo testimonio compertum habemus[114], ut cum Antala de tyranno e medio tollendo clam Artabanum egisse non sit quod negemus. Cum autem caedes ipsa haud dubie Artabano Armeniisque solis perficienda esset, ea tantum de causa Antalae amicitiam Artabanus ambiisse videtur, quod rebus Africae extremo in periculo versantibus cavendum esse intellegebat, ne forte Maurorum omnium simul vis in Romanos discordia intestina laborantes ingrueret. Vt igitur antea Guntarithus Antalae totam se provinciam Byzacenam concessuram pollicitus erat[115], ita tunc promisso simili Artabanus Maurorum principem sibi conciliasse videtur. Re feliciter peracta Artabanum promissis non stetisse, Antalamque ea de causa novas in Romanos iras percepisse nemo mirabitur[116].

Certe Iohannidos locorum, de quibus modo egimus, neuter, neque Athanasii laus neque Antalae ostentatio Procopii narrationem infringit vel refutat, qua Armeniorum merito, Artabani maxime fortitudine et calliditate Africam provinciam imperatori recuperatam esse docemur. Artabano Iustinianus ipse maximas gratias habuit, eumque statim Africanae militiae toti praefecit. Cum autem Artabanus ipse paullo post, ut

---

110) Proc. b. Vand. II 26 πρῶτα μὲν οὖν τὸν Ἀθανάσιον μετεπέμπετο (*scil.* ὁ Γόνθαρις), καὶ ὃς αὐτῷ οὐδὲν μελλήσας ἦλθε. θωπείᾳ τε πολλῇ χρώμενος δόκησιν παρείχετο ὡς αὐτῷ ὅτι μάλιστα ἡ πρᾶξις ἀρέσκει. Areobindo interfecto Ἀθανασίου μέντοι ἐφείσαντο, τὸ γῆρας, οἶμαι, τοῦ ἀνθρώπου ὑπεριδόντες.

111) Proc. b. Vand. II 28 τότε (*scil.* Guntaritho occiso) Ἀρταβάνης τὸν Ἀθανάσιον ἐμαρτύρατο ἐπιμελεῖσθαι τῶν ἐν τῷ παλατίῳ χρημάτων. ὅσα γὰρ Ἀρεοβίνδῳ ἐλέλειπτο, ἐνταῦθα εἶναι.

112) Cor. Ioh. VII 199 cf. prooemii huius adnotationem 194.

113) Cor. Ioh. IV 367 [Antalas: 'quam fida sit, inquit, vestra res publica]
Armeniique tui docuit mihi reddita merces,
frangere quod nisus nostra virtute tyrannum
Guntarith hic potuit.

114) Proc. b. Vand. II 27 init. τὴν μὲν Ἀρεοβίνδου κεφαλὴν παρὰ τὸν Ἀντάλαν ὁ Γόνθαρις ἔπεμψε, τὰ δὲ χρήματα καὶ τοὺς στρατιώτας αὐτὸν ἀποστερεῖν ἔγνω. Ἀντάλας τοίνυν, ὅτι τε οἱ τῶν ξυγκειμένων οὐδὲν ἐπετέλει, δεινὰ ἐποιεῖτο, καὶ τὰ ὁμωμοσμένα τῷ Γονθάριδι ἐς τὸν Ἀρεόβινδον ἐννοῶν ἤσχαλλεν. πολλὰ γοῦν ἐν αὑτῷ λογισάμενος Ἰουστινιανῷ βασιλεῖ προσχωρεῖν ἤθελε: paullo post Guntarithus Antalae bellum infert.

115) Proc. b. Vand. II 25 med.

116) Cor. Ioh. IV 359 ultra nec fallere quisquam
Antalan se posse putet. iam sufficit istud
Armenio licuisse semel.
373 Artabanum modo grata mihi, Fortuna, dedisses,
sorte nova fortis pariter cum noster Ilaguas
castra gerit gentesque ferae de finibus Austri.

Constantinopolim revocaretur, peteret, eius in locum Iohannes magister militum suffectus est, cuius facinora bellica Iohannide Corippus celebravit[117]).

Sed nunc, priusquam rerum gestarum seriem sequi pergamus, paullulum subsistendum, ut, quo tempore subitae illae rerum Africae mutationes inde a pugna Taciensi usque ad Iohannis in Africam adventum peractae sint, inquiramus. Iam igitur si meminerimus ita apud Victorem Tunnunensem annos post Basilii consulatum (541) numerari, ut annus consulatum illum insequens (542) 'annus secundus post consulatum Basilii' dicatur, et tertius vocetur, quem alii secundum dicere soleant (543)[118]), optime inter se Procopium et Victorem convenire nec nimis ab utroque Marcellini continuatorem recedere intellegemus. Quorum omnium de temporibus indicia ad hos annos pertinentia haec tabella complectitur.

	Procopius	Victor	Marcellinus
Stutias et Iohannes Sisinnioli filius proelio Taciensi mortem oppetunt.		545	545
Sergio revocato Ariobindus solus Africae praeficitur.	mensibus duobus ante Ariobindi caedem.		546
		546	
Ariobindus a Guntaritho interficitur.	diebus XXXVI ante Guntarithi caedem.	diebus XXXVI ante Guntarithi caedem.	
Guntarithus ab Artabano trucidatur.	anno XIX° regni Iustiniani. (545/6)	546	
Artabanus Ariobindi viduam Constantinopolim remittit. Ipse Africae praeficitur.			547

Taciense proelium, quod Victoris et Marcellini consensu ad annum 545 refertur, certe anni huius parte extrema commissum est, si quidem anni eiusdem initio Himerius, a Stutia captus, Hadrumetum a Mauris occupatum erat et Romani his rebus adversis afflicti diu pugna abstinuerant[119]). Optime igitur anno demum 546 Sergium, quem statim (εὐθύς) post pugnam Taciensem nuntiatam Iustinianus revocaverat, Africa decessisse Marcellinus refert. Quodsi mense fere Ianuario anni 546 exeunte Sergium ex Africa abiisse credimus, Ariobindi caedem mensis Martii sub finem, Guntarithi mense fere Maio incipiente perpetratam esse suspicabimur. Inter Guntarithi necem et Iohannis magistri in Africam adventum tempus perbreve interfuisse videtur. Apud Corippum enim Caecilides ille tribunus, qui Iohanni res ante eius adventum in Africa gestas enarrat, orationem suam Guntarithi morte memorata finit[120]). Procopius Arta-

117) Proc. b. Vand. II 28 οὐ πολλῷ δὲ ὕστερον Ἀρταβάνης μὲν ἔχρῃζε βασιλέως, ὅπως αὐτὸν ἐς Βυζάντιον μεταπέμποιτο. βασιλεὺς δὲ τὴν δέησιν ἐπιτελῆ ἐποιεῖτο, καὶ τὸν Ἀρταβάνην μεταπεμψάμενος Ἰωάννην τὸν Πάππου ἀδελφὸν Λιβύης στρατηγὸν μόνον κατεστήσατο. b. Goth. III 31. Marcellinus comes ed. Roncalli II p. 331.

118) cf. prooemii huius p. XVII.

119) cf. prooemii huius p. XX.

120) Cor. Ioh. IV 246.

banum vixdum Africanae militiae praefectum, paullo post (οὐ πολλῷ ὕστερον), ut Byzantium revocaretur, ab imperatore impetrasse refert. Assentitur Marcellinus, qui Guntarithi caede nuntiata 'aliquantos post dies' Iohannem in Africam missum esse testatur[121]. Quibus omnibus locis examinatis et perpensis facere vix possumus, quin anno iam 546 exeunte Iohannem in Africam transiisse statuamus.

Iohannes hic, cuius laudes posteris Corippus tradidit, ne cum ceteris permultis eiusdem nominis ducibus confundatur, Pappi frater cognominari solet[122], qui Pappus inter belli Vandalici duces haud ignobilis iam ante annum 546 morbo correptus mortem obierat[123]. Solum apud Iordanem alio cognomine a patria haud dubie derivato Iohannes Troglita dicitur[124]. Tamen qua regni Byzantii terrarumve barbaricarum parte Iohannes oriundus fuerit, nondum exploratum est. Vivien de St. Martin, qui solus quod arbitrabatur in medium protulit, Armenios Iohannem et Pappum fuisse suspicatus est, quod haec nomina in Armenia admodum usitata fuerint[125]. Quam sententiam nescio an vir doctissimus ipse reiecisset, si loci Procopiani meminisset, quo Iohannis in patria indaganda aliquantum adiuvamur. Libri alterius de bello Vandalici cap. XI, ubi duces omnes exercitus, quo Belisarius Vandalos devicturus erat, enumeravit, nominibus eorum haec addit: τούτων ἁπάντων Σολομῶν ἑῷος μὲν ἐτύγχανεν ὢν ἐκ τῆς Ῥωμαίων ἐσχατιᾶς αὐτῆς, οὗ νῦν πόλις οἰκεῖται Δάρας, Αἰγᾶν δὲ ἦν Μασσαγέτης γένος, οὓς νῦν Οὔννους καλοῦσιν. οἱ δὲ λοιποὶ (quo in numero Iohannes et Pappus enuntiato proximo nominantur) σχεδόν τι ἅπαντες τὰ ἐπὶ τῆς Θρᾴκης χωρία ᾤκουν. Thraces igitur Iohannem et Pappum fuisse veri simillimum est. Iam quid Troglitae cognomen Iohanni inditum sibi velit, quaerens apud Stephanum Byzantium s. v. Τρώγιλος haec invenio: Τρώγιλος. χωρίον ἐν Σικελίᾳ. ἔστι καὶ χώρα Μακεδονίας. Ab hac Macedoniae regione Trogilitam vel Troglitam Iohannem appellatum esse suspicor.

Iohannes et provinciam, quam defendendam et hostem, quem profligandum a. 546 suscepit, iam noverat. Nam Belisarii expeditioni Vandalicae et rebus a Solomone et Germano usque ad annum 537 in Africa gestis interfuerat[126]. Annos deinde nonnullos belli Persici particeps Mesopotamiae dux fuerat[127] et — Corippo si credimus[128] — victoriis clarissimis prope Nisibim et Daras hostes prostraverat. Ac Darensis quidem

121) Marcellinus Comes ed. Roncalli II p. 331. 'eodemque anno (547) de Africa neptis imperatoris revertitur vidua occiso Areobinda a Gunthario tyranno, qui cum Stotza iuniore tractans eum occiderat. Sed Artabanes utrosque comprehensos Guntharium occidit, Iohannem idem Stotzam iuniorem vinctum transmittit ad principem. post aliquantos dies mittitur in Africam Ioannes, et Artabanes evocatus praesentale accepit magisterium'.

122) Proc. b. Vand. II 17. 28.

123) Proc. b. Vand. I 11. II 3. Cor. Ioh. I 390—403.

124) Iordan. Rom. c. 385 Momms. p. 242^b Mur.

125) Iournal des savants 1828 p. 208.

126) Proc. b. Vand. I 11. II 3. 17. Cor. Ioh. I 379—391. 469—472. III 29—31. 294—301. 314—319. Solomone Africam regente aut Byzacenae aut Tripolitanae provinciae dux fuerat.

Ioh. I 470 quem novit Massyla manus Solomonis iniqui
tempore, dux nostris fueras qui proximus oris
vicinaeque maris quondam servator harenae.

127) Proc. b. Pers. II 14 Ἰωάννης, ὃς τῶν ἐν Μεσοποταμίᾳ στρατιωτῶν ἦρχεν. II 18 Ἰωάννην, ὃς τῶν ἐν Μεσοποταμίᾳ καταλόγων ἄρχων μοῖραν οὐ φαύλην τινὰ τοῦ στρατοῦ εἶχεν.

128) Cor. Ioh. I 58—109.

proelii apud Procopium mentionem frustra quaesiveris. Pugnae Nisibensi, qua a. 541 inferior Nabedes discessit, interfuisse Iohannem Procopius quoque memorat, sed non victoriae, immo periculi magni, quod Belisarii vigilantia et celeritate depulsum sit, auctorem temerarium facit[129]. Indutiis inter Iustinianum et Chosroëm a. 546 pactis magna certe pars exercitus, qui limitem imperii orientalem defenderat, in Europam revertit. Iohannes etiam paullo post Constantinopolim revocatus et Africanae militiae praefectus est. Cum autem non vetere illo exercitu Africano, cuius flos ac robur cladibus tantis deletum, cuius disciplina discordiis ductorum, seditionibus, inopia corrupta erat, Africa ab hostibus numero superioribus, victoriae gloria inflatis liberari posset, Iustinianus exercitum novum collegit, qui classe magna cum magistro militum Carthaginem veheretur[130]. Prospera navigatione usa classis Siciliae in portum Caucana pervenit[131], inde in Africam traiecit brevique tempestate territa magis quam afflicta primum ad Byzacii promontorium Caput Vada (nunc Ras Kapudia), triduo post Carthaginem naves appulit (anno, ut videtur, 546 exeunte)[132].

Escensione facta quam potuit celerrime copias omnes Iohannes urbe eduxit[133]. Non magnum fuisse exercitum quamquam pluribus locis Corippus profitetur[134], tamen militum numerum accurate nusquam indicat. Partes tantum exercitus quot fuerint, poëtae verbis edocemur, ubi milites ex urbe signa efferentes depingit, versu I 426

iamque novem latis erumpunt agmina portis.

Egregie cum hoc loco libri quarti versus IV 472—563 conveniunt, quibus Romanorum acies instructa ita describitur, ut eorum, qui singulis agminibus praefuerint, nomina memorentur. Si Maurorum foederatorum Cusinae et Ifisdaiae nomina secreveris, supersunt novem: Gentius magister militum, Putzintulus, Gregorius, Geisirith, Marturius tribunus, Iohannes senior, Fronimuth, Marcentius, Tarasis. Non nominum a poëta fictorum umbras inanes, sed veras ducum, qui bellum Mauricum gesserunt, personas a poëta induci ego persuasum habeo. Ceterum duo-

---

129) Proc. b. Pers. II 17. 18.

130) Cor. Ioh. I 125 principis imperiis onerantur milite puppes,
impensis armisque simul; pugnasque docendus
mittitur auspiciis domiturus bella magistri
tiro rudis magni.

131) Cor. Ioh. I 159—231.

132) Cor. Ioh. I 369. 415. Temporis, quo Iohannes in Africam venit, indicium invenisse mihi videor in versibus Ioh. III 23—27, quibus Iohannes magister anno 533 minore cum sudore et periculo in Africa bellatum esse affirmat, quamquam tunc anni tempore calidiore autumnali cum hostibus confligendum fuerit. Inde elucere mihi videtur primam Iohannis pugnam, cuius tempore magistrum haec verba loquentem poëta facit, anni tempore frigidiore, hieme 546/7 commissam esse.

133) Proc. b. Vand. II 28· οὗτος ὁ Ἰωάννης ἐπεὶ τάχιστα ἐν Λιβύῃ ἐγένετο, Ἀντάλᾳ τε καὶ Μαυρουσίοις τοῖς ἐν Βυζακίῳ ἐς χεῖρας ἐλθών.
Cor. Ioh. I 417 litora vix primis figens vestigia plantis
contigerat: campis acies exire iubebat.

134) Cor. Ioh. I 482 tu milite parvo,
iam periture, meas audes vel cernere turmas?
IV 376 quas [*scil.* gentes] tamen ecce parat ductor temptare Iohannes
milite cum parvo.
IV 661 milite cum parvo veniens vocat ecce Iohannes.

rum ex his ducibus Procopius etiam mentionem fecisse videtur, Marcentii, qui anno 546 ineunte dux Byzacii fuerat[135]), et Gregorii, qui Artabanum patruum ad Guntarithi caedem compulerat[136]). Hunc virum de imperatore optime meritum numero praefectum esse non est quod miremur. Neque alium ullum Gregorium, sed ipsum illum Armenium intellegendum esse, e verbis elucet, quibus eius patriam poëta indicavit:

> tertius ille furens rapta Gregorius hasta
> atque levi clipeo et telo fulgebat Iberis.

Praeter duces hos novem, quorum quot quisque militibus imperaverit nescimus[137]), vir insignis unus memoratur, qui magistrum, cuius nunquam non 'lateri haeret', consilio adiuvare omnesque imperii labores allevare solet: Recinarius[138]). Qui nescio an eundem in Iohannis exercitu locum tenuerit, quem in Belisarii Solomo, ὃς τὴν Βελισαρίου ἐπετρόπευε στρατηγίαν[139]). Vt in bello laborum, ita post victoriam reportatam honorum eorundem, quibus Iohannem imperator ornaverit, Recinarium participem factum esse comperimus[140]). De rebus ante bellum Mauricum initum a Recinario gestis nihil memoriae proditum est nisi bello Persico eum interfuisse annoque 544 cum Persis de pace componenda egisse[141]).

Exercitu Romano parvo Maurorum se copias ingentes victurum Iohannes vix speravisset, si Mauri universi inter se concordes et fidam ad societatem iuncti Romanis bellum intulissent. Sed id potissimum Byzantios iuvabat, quod populi Maurici multi inter se acriores quam cum ipsis inimicitias exercebant neque unquam Maurorum reguli deerant, qui commodi cuiusdam arripiendi vel irae satiandae spe illecti cum Romanis belli societate inita finitimos consanguineos opprimere quam cum ceteris Mauris Romanos oppugnare mallent. Ac tunc quidem Antalas Maurorum Byzacenorum rex et Cusina populi Mastraciani prope Aurasium montem habitantis princeps acerbissimo inter se odio flagrasse videntur. Res enim Africanas inde a Vandalorum regni interitu

---

135) Proc. b. Vand. II 27 init. (ὁ Ἀντάλας) γνούς τε Μαρκέντιον, ὃς τῶν ἐν Βυζακίῳ καταλόγων ἦρχεν, ἐς νῆσόν τινα τῶν ταύτῃ ἐπικειμένων καταφυγεῖν, πέμψας παρ' αὐτὸν, φράσας τε τὸν πάντα λόγον καὶ τὰ πιστὰ δοὺς, τὸν ἄνθρωπον ἐπηγάγετο. Μαρκέντιος μὲν ἔμενε ξὺν τῷ Ἀντάλᾳ ἐν τῷ στρατοπέδῳ, στρατιῶται δέ, ὅσοι ἐν Βυζακίῳ διατριβὴν εἶχον, εὐνοϊκῶς βασιλεῖ ἔχοντες, Ἀδραμητὸν πόλιν ἐφύλασσον.

136) Proc. b. Vand. II 27 λάθρα δὲ (ὁ Ἀρταβάνης) ἀνελεῖν τὸν Γόνθαριν ἐβουλεύετο, Γρηγορίῳ τε τῷ ἀνεψιῷ καὶ Ἀρτασίρῃ τῷ δορυφόρῳ κοινολογησάμενος τὸ βούλευμα τοῦτο. Γρηγόριος δὲ αὐτὸν ἐς τὴν πρᾶξιν ἐνάγων ἔλεξε τοιάδε ''Ἀρταβάνη, νῦν σοι πάρεστι μόνῳ τὸ Βελισαρίου ἀναδήσασθαι κλέος' e. q. s.

137) Procopii historias perscrutatus ducibus singulis modo minorem modo maiorem militum numerum paruisse nemo non intelleget.

138) Cor. Ioh. II 312—319. IV 583—594. VII 23—35.

139) Proc. b. Vand. II 11.

140) Cor. Ioh. II 315 hunc habet in saevis fidum sociumque periclis
et virtute virum et discreta mente levamen.
illum etiam summis victo Mavorte triumphis
tot nimios gaudet secum tolerasse labores
Martis et ad summam pariter venisse coronam.

141) Proc. b. Pers. II 27 ἀπήγγελλε Ῥεκινάριον ἐπὶ τῇ εἰρήνῃ ἐκ Βυζαντίου ἥκειν.
Cor. Ioh. VII 28 novit ferus omnia Perses
facta viri, ingenium, vires, consulta, labores,
Martis opus clarum, pacemque fidemque benignam.

usque ad Iohannis expeditiones percurrens vix unquam eadem a parte hos viros stetisse invenies. Cusina a. 535 rebellante Antalas, Antala a Solomone deficiente a. 544 Cusina Romanis fidem servavit. Solomone deinde interfecto quamvis Romanas provincias simul vastarent et post pugnam Taciensem una Carthaginem peterent, tamen tunc maxime Cusina clam cum Ariobindo agens Antalae insidias struebat, qui Guntaritho seditionem paranti favebat[142]. Sed Ariobindo trucidato, ubi primum Antalas Guntaritho infestus factus et imperatoris ad partes transgressus est, statim Guntarithi ad amicitiam Cusina se adiunxit et suis copiis expeditionem contra Antalam susceptàm adiuvit[143]. Denique bello inter Byzantios et Antalam instaurato Cusina Iohannis magistri socius fidissimus tamque strenuus fuit, ut ipse magistri militum titulo a Iustiniano ornaretur[144]. Praeter Cusinam alius Maurorum rex, Ifisdaias, Romanis auxiliatus est. Cuius regnum quamquam certo nomine a Corippo nusquam denotatur, tamen in Numidia situm Cusinaeque agris finitimum fuisse e Iohannidos loco eo elucet, quo Cusina et Ifisdaias inter se discordantes bellum parasse feruntur[145]. Iam igitur cum Cusina et Ifisdaias, Numidiae reges, Byzantiorum a partibus steterint, satis apparet, qui factum sit, ut in Maurorum gentibus rebellibus recensendis a poëta Numidiae septentrionalis neque populus ullus neque oppidum, Numidiae meridionalis ea tantum pars, quae Iaudae Aurasii montis regi pareret, memoraretur[146]. Ac de exercitu Iohannis eiusque auxiliis haec hactenus. Nunc de rebus ab eo gestis breviter agendum est.

Byzacium cum innumeris Maurorum praedantium turmis vexaretur[147], hanc provinciam Carthagine profectus Iohannes petivit[148]. Maurorum legatione, quae ad ca-

---

142) Proc. b. Vand. II 25 Ἀρεόβινδος πέμψας παρὰ τὸν Κουζίναν λάθρα ἔπρασσε προδοσίας πέρι. καὶ ὅ τε Κουζίνας ὡμολόγησεν, ἐπειδὰν ἐν τῷ ἔργῳ γένωνται, ἐπί τε Ἀντάλαν καὶ Μαυρουσίους τοὺς ἐκ Βυζακίου τραπήσεσθαι. — ἀλλήλοις δὲ ἄμφω πολέμιοί τε καὶ δυσμενεῖς ταῖς γνώμαις ὄντες νῷ πονερῷ ξυνετάσσοντο.

143) Proc. b. Vand. II 27 Ἀρταβάνης δὲ καὶ Κουζίνας ἐπῆγον ἐπὶ τοὺς ἐναντίους τὸ στράτευμα. οὓς δὴ οὐ ξυνενεγκόντες οἱ ξὺν τῷ Ἀντάλᾳ Μαυρούσιοι ἐς φυγὴν ὥρμηντο.'

144) Proc. b. Vand. II 28 fin. Cor. Ioh. IV 509—514. 1095. VI 267. 268. 468. 517. VII 262—271. VIII 266—273.

145) Cor. Ioh. VII 244 namque inter sese duri iam semina belli
saevus Ifisdaias et fidus Cusina sumptis
tunc habuere odiis. bellum iam corda futurum
coeperat alterno succendere barbara motu.

146) Cor. Ioh. II 28—161. cf. prooemii huius p. XIV. XV.

147) Cor. Ioh. I 323—349.

148) Cor. Ioh. I 460 Iamque per extensos properans exercitus agros
Byzacii carpebat iter, qua Antonia castra
nomine dictus avis locus est. hic castra Iohannes
mox posuit: legati et iam venere tyranni.

Vnde Antonia castra nomen duxerint et ubi fuerint, nescire me fateor. Antonii Gordiani castra denotari arbitratus est Tauxier. Notice sur Corippe et sur la Johannide. Rev. Afr. XX 1876 p. 296 'il se porta hors de la ville jusqu' au camp Antonien, champ de bataille situé non loin des faubourgs et témoin jadis de la défaite de Gordien I par Capellien. Là, Jean rencontra l'armée des indigènes commandée par Antalas et aussi par Jerna'. Equidem tumultu brevi, quo Gordianus periit, perpenso (Herodian VI 9. Iul. Capitol. Gordiani tres 15) a Gordiano castra munita esse, quorum memoria ne VI° quidem saeculo perierit, vix crediderim. Ceterum pugna illa, qua Gordianus filius cecidit, haud dubie in via Thevestina, non in Hadrumetina commissa est. Denique ad castra Antonia Iohannem cum exercitu Maurico congressum primam victoriam reportasse nescio num Tauxier contendisset, si accuratius paullo libri secundi Iohannidos exordium inspexisset.

stra Antonia ei occurrerat, sine responsis in custodia retenta[149]) primum oram maritimam, per quam via Hadrumetina processisse videtur, ab hostibus vagantibus liberat[150]), deinde in interiora Byzacii conversus in montium, qui planitiem Byzacenam cingunt, margine Maurorum exercitum permagnum invenit[151]). Neque enim Antalae tantum qui parebant Byzacii populi, sed Syrtici etiam Ierna duce, Numidiae meridionalis gentes cum Iauda rege huc concurrerant[152]). Priusquam ad pugnam se accinxit, Mauris extremas pacis condiciones has proposuit: ut Afri captivi redderentur, Austuriani et Laguantenses in sedes suas redirent, Antalas Iustiniani imperio se subiceret[153]). Quibus condicionibus reiectis Mauri e castris, quae in monte posuerant[154]), descenderunt et acie instructa cum Romanorum exercitu conflixerunt. Cum diu vario Marte pugnatum esset, tandem in fugam coniecti Mauri castra repetierunt. Sed praedae, quam totam magister exercitui promiserat[155]), spe incitati Romani castra etiam hostium irrupere et diripuere. 'Multa inter milia', quae in fuga perierunt, Ierna Marmaridum rex caesus est[156]). Praeter praedam ingentem splendidissima hac victoria partam Romanorum exercitus Solomonis etiam signa militaria, quae clade Cillitana Maurorum in potestatem devenerant, recuperavit[157]). Praesidiis per provincias dispositis[158]) Iohannes exercitum Carthaginem reduxit, summoque civium gaudio exceptus est, cum nemo dubitaret, quin bellum iam peractum ac sepultum esset[159]).

Nec vero diuturna tunc pax Africae contigit. Aliquanto enim post populi Syrtici bellum instaurarunt. Si quis Iohannidem solam obiter inspexerit, vixdum Carthaginem revertisse Iohannem, cum Syrticorum rebellio nuntiaretur, credere possit[160]). Sed menses certe nonnullos quietem egisse Mauros cum Procopii e verbis (χρόνῳ δὲ ὕστερον) colligere possumus tum e temporum indiciis paucis, quae per Iohannidos librum sextum dispersa inveniuntur. Bellum enim Syrticum non hieme, qua pugna prima commissa erat, sed tempore eo quo messis instabat, exarsisse et aestate media gestum esse Corippi e narratione elucet[161]). Cum igitur constet temporis aliquantum inter primam et secundam Iohannis expeditionem interfuisse, iam fieri potuisse intellegemus,

---

149) Cor. Ioh. I 499 ipsos privato iussit custode teneri.

150) Cor. Ioh. II 1 Pellitur interea cunctis vastator ab oris
Maurus et adverso trepidus calcatur ab hoste.
deserit obsessas fugiens conterritus urbes,
turbatusque metu montes concurrit ad altos.

151) Cor. Ioh. II 162 iam fortis properans densos exercitus hostes
montibus in summis et collibus esse videbat.

152) Cor. Ioh. II 28—161. cf. procemii huius p. VIII—XV.

153) Cor. Ioh. II 344—347. Qui versus quamquam certa coniectura restitui vix possunt, sententiam tamen continere videntur planissimam.

154) Cor. Ioh. II 9. 163. 207. 414. IV 304. 947.

155) Cor. Ioh. IV 1054—1057.

156) Cor. Ioh. IV 1163.

157) Proc. b. Vand. II 28. Cor. Ioh. IV 1154.

158) Cor. Ioh. VI 38—52.

159) Cor. Ioh. VI 58—103.

160) Fournel Les Berbers I p. 102 'Le général romain avait à peine ramené ses troupes à Carthage qu'il apprit l'arrivée des terribles Louatah dans la Byzacène'.

161) Cor. Ioh. VI 247 sterilis nam cernitur annus.
VII 70. 71 iam tempus apertum
aequor habet.

ut tempore hoc intermedio exercitus Iohannis magna parte desumpta imminueretur. Bello enim Syrtico exoriente novem illi duces, qui primae pugnae interfuerant, non iam in Africa degisse videntur omnes. Vbicunque Iohannidos in libris posterioribus acies Byzantiorum instructa describitur, illo e numero quinque tantum memorantur: Putzintulus, Geisirith, Iohannes senior, Fronimuth, Tarasis[162]. Ceterorum quattuor, Gentii, qui priore in pugna primum inter duces locum tenuisse videtur, Gregorii, Marturii, Marcentii nomina in libro VIº, VIIº, VIIIº frustra quaerimus. Casu quodam poëtam haec nomina silentio pressisse equidem, cum non poëtae magis quam historici munere Corippus fungatur, negaverim. Veri multo similius est, hos viros quattuor cum numeris, quibus praeessent, ubi primum Africa pacata videretur, aliam in provinciam transmissos esse, in Italiam forsitan, ubi res Romanae tunc collabebantur. Cum Ifisdaiae etiam auxilio destitutus a Maurorum principe nullo praeter Cusinam Iohannes adiuvaretur, minoribus multo copiis ad maiorem expeditionem aestate anni 547 magister militum profectus est.

Coniuraverant contra Romanos populi Syrtici omnes, qui Ierna Marmaridum rege interfecto Ifuracum regulum Carcasan summum sibi ducem creaverant[163]. Ammonis oraculis in victoriae spem certam erecti[164] gentes multas finitimas, quae priore bello abstinuerant, in armorum societatem adiunxere:

Ioh. VI 195 nec solus Ilaguas
aut gentes tantum egerunt quae bella priores
convenere sibi, sed si quis Syrtica rura
asper arat Nasamon, si quis Garamantidos arvis
proximus arva colit, pinguis qui margine Nili
stagna bibunt, venere viri.

Non inepte foederis Maurici increscentis magnitudinem poëta regionibus tribus electis designat, quarum una Nasamonum orientem versus, altera Maurorum, qui Garamantibus (Phazaniae) finitimi erant, meridiem versus, tertia occidentem versus extremos foederatorum fines indicaret. Neque enim de Nili, quos nos novimus, lacubus magnis cogitandum, sed de Mauritaniae Numidiaeque meridionalis (Sahara algérien) stagnis, e quibus Nilum originem ducere veteres opinabantur[165]. Magno illo e numero stagnorum certa, ad quae stagnorum Niliacorum nomen referatur, eligi non posse doctissimi quique et studiorum horum peritissimi intellexerunt[166]. Tantum liquet tunc Mauros meridiei maxime obnoxios inde ab oasibus Syrti maiori proximis usque ad Saharam Algericam belli societatem pepigisse[167]. Priusquam periculi ingruentis

162) Cor. Ioh. VI 518—525. VIII 370—377. Vtroque loco novus quidam dux memoratur, cui nomen Sinduit fuisse suspicatus sum.

163) Cor. Ioh. VI 144.

164) Cor. Ioh. VI 145—190.

165) Vitruv. VIII 2, 6. Plinius n. h. V 9, 51. 52. Vivien de St. Martin Le Nord de l'Afrique dans l'antiquité p. 427. 'c'est du Nil mauritanien que Corippus entend parler'.

166) Viv. de St. Martin ibidem p. 435.

167) Proc. b. Vand. II 28 οἱ Λευᾶθαι αὖθις στρατῷ μεγάλῳ ἐκ τῶν ἐπὶ Τριπόλεως χωρίων ἐς Βυζάκιον ἀφικόμενοι τοῖς ἀμφὶ τὸν Ἀντάλαν ξυνέμιξαν. Perperam certe Procopius iam tunc Antalam cum populis Syrticis castra iunxisse asseverat. Post Iohannis demum cladem Antalam rebellasse Corippus disertis verbis docet VII 286.

nuntius Carthaginem pervenit, iam Tripolitanam per provinciam Mauri vagabantur Byzaciique finibus appropinquabant. Quos cum vix attigissent, Iohannis adventu celeri territi cursum verterunt et in deserta regressi sunt [168]. Iohannes belli conficiendi cupidissimus hostem in deserta persecutus, sed post dierum paucorum iter irritum militum seditione, qui labores expeditionis per regiones calidas, aqua carentes, steriles aegre ferebant, litora repetere coactus est [169]. Vix oram Astricum in finibus attigerat, cum hostes perinde reversi eumque assecuti sunt. Proelio tumultuario ad rivi cuiusdam ripas exorto primum Mauri Cusinae parentes, deinde Romani ipsi in fugam coniecti et dissipati sunt. Cum militum pars magna periit, tum e ducibus unus Iohannes senior ab hostibus circumventus caesusque est [170].

Iam rebus ipsis brevissime relatis, quibus quaeque locis gestae sint, indagemus. Byzacii a finibus recedentes Mauri

siccas superare Gadaias
nec dubitant tristesque locos, quis nullus eundi
vivendique modus.

Gadaiae ubi fuerint, frustra adhuc quaesitum est. Mazzucchellius de Gadabitanis barbaris Tripolitanae provinciae finitimis, quos Procopius memorat, cogitavit. Sed gentis huius patria a Corippo ipso (Ioh. II 117) non Gadāiae, sed Gadăbis vocatur. Tauxier oppidum Ghat (28° long. or. 25° lat. sept.) a veteribus Gadaias appellatum esse suspicatur [171]. Qua coniectura ne quis decipiatur, meminisse sufficiet Ghat a Syrtis minoris litore m. p. fere DCL abesse. Tantum iter nec Maurorum turmae innumerae pecudumque greges ingentes perfecissent, nec Byzantiorum exercitus suscepisset. Equidem quo accuratius versum totum 'siccas superare Gadaias' examinavi, eo minus de oppido ullo hic verba facere poëtam credidi. Apparet enim desertorum quasi limen quoddam hic denotari, quo superato mediis in harenis fugientes versentur. Iam vero Henrici Duveyrier librum illum egregium perscrutans, in quo desertorum, de quibus hic agitur, notitia tota fere nititur, in harenae tumulorum (*Dünen*), quibus desertorum illorum pars magna repleta est, descriptionem incidi [172]. Tumuli tales, qui ventorum vi coacervantur, agitantur, propulsantur, apud Maurorum gentes nonnullas 'el guédéa' vel, ut orthographia Germanica utar, 'gedēa' vocari solent. Parum me peritum linguae Mauricae esse fateor, quam ut hac notula fretus 'Gadaias' illas harenae tumulos regionis desertae esse contendam. Tamen in re desperata, quin virorum doctorum oculos in nominum similitudinem illam adverterem, facere non potui.

Ceterum quam desertorum in partem populi Syrtici ipsi recesserint et Byzantios illexerint, dubitari nequit. Cum enim ad oram maritimam via recta reversus statim Syrtis minoris ad litora Byzantiorum exercitus pervenerit — quod quidem paullo infra mihi demonstrandum erit —, manifestum est eum desertorum (el Erg) angulum

168) Cor. Ioh. VI 276—291.
169) Cor. Ioh. VI 292—379.
170) Cor. Ioh. VI 437—773.
171) Rev. Afr. XXI 1877 p. 188. Les Louata s'enfoncèrent dans les solitudes brûlantes du midi, et ce fut même eux qui firent connaître aux géographes romains la ville lointaine de Gadaïas (aujourd'hui Ghât), inconnue jusque là à l'antiquité.
172) Henry Duveyrier Exploration du Sahara. Tôme I. Les Touareg du Nord Paris 1865 p. 5 sq.

Byzantios ingressos esse, qui Byzacenae et Tripolitanae provinciae inter fines septentrionem versus longissime procurrens Syrtis minoris recessum prope attingit. Atque huius regionis harenis mollibus opertae naturam bene Corippus Iohannidos libro sexto depinxit. Quae descriptio Corippea in nullam aliam partem desertorum, quae mari Syrtico vicina sunt, quadrat. Deserta enim Tripolitanae provinciae superiacentia non harenosa, sed saxosa sunt (Hammada), tamque alte supra planitiem cultam litoralem eminent, ut ascensum exercitui difficilem poëta silentio transire non potuisset, si hanc in regionem Iohannes progressus esset. Quo usque meridiem versus in deserta el Erg Byzantii penetraverint, ignoramus, quoniam neque itineris longitudinem neque dierum numerum poëta indicat. Certius multo de situ locorum, quibus exercitus rediens oram maritimam attigerit, iudicium ferre licet. Iohannes enim ubi primum ad litora devenit, castris iuxta flumen quoddam positis oppidis maritimis frumentum imperat, quod navibus in castra advehatur. Sed ventis adversis naves repulsae detinentur.

Ioh. VI 387 adversos habuere Notos. fors dura negavit
puppibus aequoreas velis transire per undas:
proxima seiunxit.

His e versibus elucet, inde a Iohannis castris oram maritimam, cui urbes illae proximae impositae essent, septentrionem versus se extendisse, castra igitur non Syrtis maioris in oris posita fuisse, quae ab oriente sole occidentem versus directae sunt, sed Syrtis minoris in sinu, ubi Byzacenum litus septentrionem petere incipit. Firmatur haec conclusio versibus insequentibus, quibus, cuius populi in finibus castra Iohannis fuerint, edocemur.

Astrices illis longo iam tempore terris
horrentes habuere domos.

Qui Astrices haud dubie Syrtis minoris tunc oras, quibus Ptolemaei iam tempore vicini fuerant, incolebant. Pugna enim, qua eorum in finibus a castris prioribus parvo itinere digressus [173] Iohannes a Mauris victus est, certe iuxta sinus huius litus commissa est. Quamquam nomen fluminis illius, cuius in ripis proeliatum est, ignoramus [174], tamen vicum vel regionem proximam poëta nominavit.

VI 485 collesque malignos
tristis et infaustos monstrabat Gallica campos.

Sane hoc solo versu usus ne sagacissimus quidem, ubi Gallica illa fuerit, explorare possit. Sed peropportune Iohannidos libri secundi locus (II 77—83) subvenit, quo poëta infelicem hanc Iohannis expeditionem deplorat. Primum hoc quoque loco Gallicae poëta mentionem facit, quam Romano mox sanguine pollutum iri praedicit.

II 77 immittit polluta viros mox Gallica tristes.

---

173) Cor. Ioh. VI 482—486.

174) Mira sagacitate Tauxier fluminis huius nomen invenisse sibi visus est. Pugnam enim commissam esse dicit 'à l'embouchure du petit fleuve Lyaeus'. Acie Romanorum in fugam conversa Iohannes 'se jette dans une petite redoute élevée aux bouches du Lyaeus'. Rev. Afr. XX 1876 p. 297. Ne quem fugiat, unde hanc notitiam vir doctus hauserit, adscribo Iohannidos libri VII v. 10. 11

percipiunt epulis parvas post tempora vires,
laetificumque bibunt post tristia bella Lyaeum.

Sequuntur versus duo intellectu tam difficiles, ut, num prorsus genuini sanique ad nos pervenerint, dubitem[175].

II 78 nec cessant populos infausti mittere campi,
quos Talanteis nutrix suscepit ab arvis
Tillibaris.

Tillibari memorata tantum constat haud longe a Syrtis minoris oris poëtae cogitationes versari. Nam Tillibaris in limitis Tripolitani parte occidentali sita a Syrti minore meridiem versus spatio non nimio distabat[176]. Talantea arva inde haud longe afuisse loci Corippei conexu doceri videtur, cum Tillibaris quasi nutrix Talanteos populos suscipere dicatur. Qua re alius castelli in limite Tripolitano positi, Talalatorum, nomen hic latere suspicatus 'Talalateis' reposui[177]. Sed maiorem, quam ex his versibus, fructum in pugnae Gallicensis loco indagando ex iis, qui iam sequuntur, percipimus.

iunctasque mari distendit harenas
Marta mali genetrix, tristes quos cernere campos
vitasset Romana manus, ni fata dedissent
invida saepe, bonis licet, ultima rumpere fila.

Certe cladis, qua Iohannes ceterorum omnium proeliorum victor Astricum in finibus afflictus est, memor poëta hos gemitus mittit. Cum Marta a Corippo mali genetrix vocetur, eiusque mentione pugnae illius infelicis memoria suscitetur, vix credo quemquam dubitaturum esse, quin proxime a pugnae loco Marta afuerit. Iam vero quoniam Martam a Tacape (nunc Gabes), Syrtis minoris oppido notissimo, m. p. X meridiem versus afuisse e Tabula Peutingerana comperiamus[178], ubi pugna illa Gallicensis Romanis adversa commissa sit, satis exploratum est.

Qua quaestione profligata ad aliam paullo magis intricatam accedamus. Exercitus Romani prope Martam victi pars, cui Iohannes ipse praeerat, in oppidum quoddam parvum vicinum se recepit[179], pars alia fuga longiore in aliud oppidum litoris Byzaceni[180] abrepta est, cuius nomen in codice Trivultiano modo satis perspicue 'uinci', modo ita ut et 'uinci' et 'iunci' legi possit, exaratum est[181]. Similiter Ferrandi

175) Versibus 78. 79 inter se commutatis melius oratio procederet.

176) It. Ant. p. 75, 5. Not. Dign. Occ. XXV.

177) It. Ant. p. 76. Not. Dign. Occ. XXXI. Eum locum Talalatos tenuisse, quem nunc Ksar Tlalet in regno Tunetano meridionali situm viri docti crediderunt, qui tabulam geographicam Africae antiquae Francogallicam delineaverunt. Carte de l'Afrique sous la domination des Romains dressée au dépôt de la guèrre d'après les travaux de M. Fr. Lacroix par M. Nau de Champlouis Paris 1864. Sed huic coniecturae nominum tantum similitudine nixae Itinerarium non favet.

178) Tab. Peut. segm. VI D. Si nominum magis similitudini quam Tabulae numeris confidere liceret, Martam non X, sed XXV m. p. meridiem versus a Tacape afuisse suspicarer, ubi vicus haud exiguus Maret situs est, qui iam medii aevi a scriptoribus memoratur. Marite apud Scheikh-et-Tidjani. Voyage dans la régence de Tunis. Journ. Asiat. série V. tôme I p. 104. Marts apud Moula Ahmed. Exploration scientifique de l'Algérie IX Paris 1846 p. 267. Ceterum Martae praeter Anonymum Ravennatem scriptorum veterum nemo mentionem fecisse videtur, nisi forte hoc oppidulum nomine Μαρθαμά denotatur in Appiani Punicis 55.

179) Cor. Ioh. VII 1—3.

180) Cor. Ioh. VII 140. 391. 392. VIII 20. 26.

181) Cor. Ioh. VII 391 uinci. 478 uicte ensibus. VII 111. 136 uinci *vel* iunci. VIII 20 uincesibus *vel* iuncensibus.

codices nutant, quorum alii Vincense, alii Vivecense, alii Iuncense litus exhibent[182]. Alios apud scriptores oppidi Vincensis vestigium certum nullum, vestigia autem certissima oppidi Iuncensis inveni, quod non modo scriptis ecclesiasticis Latinis[183], sed a Graecis etiam scriptoribus memoratur, qui litterarum confusioni illi (iu = ui) haud obnoxii nomen Ἰούκη vel Ἰούγκη melius servaverunt[184]. De situ oppidi huius Iuncensis quid veteres tradiderint, indagans cum in scriptis ecclesiasticis Byzacenam ad provinciam pertinuisse inveni, tum Procopii e loco tantum collegi, oppidum fuisse maritimum Byzacii meridionalis, quod a promontorio Capitis Vadorum meridiem versus spatio haud parvo distaret[185]. Tamen oppidum hoc Iuncense litoris Byzaceni cum Corippeo illo oppido Vincensi vel Iuncensi eodem in litore sito confundere non auderem, nisi Ferrandi loco accuratius examinato, ubi oppidum Vincense vel Iuncense ab eo memoratum fuerit, et quod nunc eius ruderibus nomen sit, indagare mihi contigisset. Egregia litoris Byzaceni descriptio haec apud Ferrandum extat: 'Est — inquit — in medio vadosi maris sinu monasterium Iuncensi litori proximum, Bennefensi autem maxima ex parte contiguum, ubi neque hortos colere parvissimi scopuli limes sinit angustus, neque ligni vel potabilis aquae consolatio saltem ministratur exigua, sed rei utriusque per brevissimas naviculas quotidie sufficientia praeparatur'. Quo in monasterio degens Fulgentius 'ex palmarum foliis flabellos saepissime contexebat'. Notis his uberrimis Iuncensis litoris situs bene denotatur. Quamquam tota Byzacii meridionalis ora inter Cercinam et Tacapen extensa vadoso mari infesta navibus est, tamen, qui sinus litoris eius scopulum monasteriumque a Ferrando descriptum continuerit, tabula geographica inspecta nemo ambiget. Nullus enim Syrtis minoris totius sinus insulas minutas, scopulos aqua carentes, nec silvis nec hortis sufficientes continet nisi is, qui 'bay of Surkenis' in tabula Anglica nominatur[186]. Insulae Surkenis hodie desertae sunt, sed in scopulo perparvo aedium antiquarum, monasterii, ni fallor, a Ferrando memorati rudera extant[187]. Iam vero, si litori Iuncensi vel Vincensi proximum fuisse sinum vadosum, in quo monasterium illud situm esset, meminimus litorisque insulis Surkenis vicini loca oppidorum antiquorum reliquiis conspersa perquirimus, propiorem nullum invenimus quam Kasr Vnga, qui locus septentrionem versus m. p. X ab insula Surkenis distat[188]. Hic oppidum Iuncense vel

---

182) Ferrand. vit. Fulgentii XIV 29.

183) Locos omnes, quibus oppidum episcopale Iuncense, concilium Iuncense ab episcopis provinciae Byzacenae a. 524 habitum, episcopi Iuncenses quattuor memorantur, diligenter collegit Morcelli. Africa Christ. I p. 192. 193.

184) Proc. b. Vand. I 15 Ἰούκη. Notitia episcopatuum Graeca cum Hieroclis Synecdemo edita a Pindero et Partheyo Berolini 1866 p. 78. Ἰούγκη (Ἐπαρχία Βυζακίης).

185) Proc. b. Vand. I 15 Archelaus ne ad Caput Vadorum Belisarius naves appellat, dissuadens ἢ οὐκ ἀκηκόατε — inquit — ὡς ταύτην μὲν τὴν ἀκτὴν ἐννέα ἡμερῶν ὁδὸν, λέγω δὲ εἰς Ἰούκην ἐκ Καρχηδόνος, κατατείνειν φασὶν, ἀλίμενόν τε παντελῶς οὖσαν καὶ τοῖς ἀνέμοις ὅθεν ἂν ἐπιπνεύσειαν ἐκκειμένην;

186) Mehediah to Ras Makhabez. London published at the Admiralty 5th March 1867. No. 249.

187) In exigua quadam ex insulis Surkenis tabula Anglica 'ruins' notat.

188) Kasr Vnga viderunt et descripserunt Grenville Temple. Excursions in the Mediterranean. Algiers and Tunis. London 1835 II p. 120. 121. V. Guérin Voyage arch. dans la rég. de Tunis I p. 182. 183. Aliarum aedium inter rudera basilicae Byzantiae muri etiamnunc eminent.

Vincense a Ferrando memoratum fuisse arbitror. Vtra nominis forma vera sit quaerens si loci nomen hodiernum respicio, inter Vnga et Ἰούγκη tantam video similitudinem intercedere, ut etiam apud Ferrandum lectionem 'Iuncensi litori' ceteris potiorem habeam. Soli supersunt Iohannidos loci, quibus de nominis Vincensis et Iuncensis forma ambigatur. Non nego fieri potuisse, ut eodem in litore Byzacii meridionalis milium paucorum intervallo dirempta oppidula duo existerent, alterum Iuncense scriptoribus antiquis multis memoratum, alterum Vincense, cuius memoriam Corippus solus servaverit. Tamen cum ne Corippi quidem codex satis sibi constet, nonnullis locis forsan Iunci, non Vinci exhibeas, deinde admitti vix posse videatur oppidum, quod bis belli eiusdem quasi sedes fuerit, ne Notitia quidem episcoporum Byzacii nominari, equidem dubitare iam desii, quin nomen Iuncense a ceteris scriptoribus commendatum in Iohannide quoque restituendum sit. Quodsi ad locum, qui nunc Kasr Vnga dicitur, omnia retuleris, quae de Vincensi vel Iuncensi oppido Corippus tradidit, accuratius multo, quam adhuc fieri potuit, res, quae libris Iohannidos posterioribus enarrantur, intellegentur.

Vbi Iohannes magister, qui e clade Martensi in oppidum quoddam vicinum se receperat, magnam exercitus victi partem longius aufugisse et in oppido Iuncensi se expectare certior factus est, statim cum militibus, quos secum habebat, eo profectus copias dispersas congregavit[189]. Nec vero exercitui pugna infelici afflicto ita confidebat, ut extemplo bellum instaurare auderet. Sed praesidiis, quae oppida munita defenderent, per provincias dispositis ipse cum reliquo exercitu septentrionem versus recedens primum oram maritimam legit, quod tutius navibus commeatus advehebatur. Brevi autem post a via litorali Carthaginiensi deflectens fines Zeugitaniae occidentales petivit[190], quo propius ad Numidas foederatos accederet, quorum auxiliis se sublevatum iri sperabat[191]. Mauris victoribus Africam totam Carthaginem usque percurrentibus Iohannes Laribus (nunc Lorbus) consedit, quod oppidum Iustiniani iussu egregie munitum erat[192]. Quam diu hic commoratus sit, parum exploratum est. Procopius paullo post (οὐ πολλῷ ὕστερον) inde ad bellum renovandum processisse asseverat[193]. Sed Corippi narratione perpensa, quin per hiemem totam annorum 547/8 Iohannes Laribus quietem egerit, dubitari vix potest. Auxilia enim imperata non tam celeriter, quam speraverat, advenerunt. Copiae, quas Athanasius[194] Africae praefectus prae-

189) Cor. Ioh. VII 110. 111. 136.

190) Cor. Ioh. VII 137—142.

191) Cor. Ioh. VII 63—69.

192) De Laribus cf. Sall. Iug. 60. Ptol. IV 3, 28. Tab. Peut. It. Ant. p. 26, 3 W. Aug. adv. Don. VI 20. Vict. Vit. II 7, 9. Proc. b. Vand. II 22. 28. Inscr. apud Henzen 5327. de vestigiis urbis Grenv. Temple Excursions in the Mediterranean II p. 272. 273. Guérin Voyage arch. dans la rég. de Tunis II p. 72. 79

193) Proc. b. Vand. II 28.

194) Ioh. VII 199—235 poëta narrat, quam diligenter clade Martensi nuntiata Romani Iohanni subventuri Carthagine bellum paraverint. Omnium studia bellica incitasse, rexisse, ordinasse fertur vir quidam insignis, aetate provectus (v. 199—208), qui maior natu quam Iohannes magister (v. 208) summum Carthagine dignitatis locum tunc tenuisse videtur. Senem hunc laudibus summis dignum non indiciis tantum obscuris, verbis 'pater', 'genitor', 'tantus vir', 'veneranda senectus', 'gravitas seniumque', sed nomine ipso enuntiato denotandum poëtae fuisse quivis videt. Diu frustra, ubi nominis huius vestigia laterent, quaesivi, donec in loci totius versu primo VII 199 invenirem. Cum enim in codice haec exarata vidissem:

torio festinanter Carthagine collegit collectasque ad Iohannem duxit, exiguae admodum fuisse videntur. Plus virium in Mauris foederatis erat[195]. At infelicissime accidit, ut eorum reguli, Cusina et Ifisdaias, inter se discordes arma pararent. Iohanni Stephanidi demum, quem legatum magister in Numidiam misit, contigit, ut socios litigantes inter se conciliaret et ab utroque auxilia magna impetraret[196]. Tandem vere, ut videtur, anni 548[197] Numidarum turmae ingentes ad Iohannem accurrerunt. Cusina triginta milia, Ifisdaias centum milia Maurorum adduxisse fertur[198]. Quibus de numeris quidquid iudicamus, sive veros sive iusto nimios credimus, tantum inter omnes constat, tunc in Mauricis magis quam in Romanis copiis exercitus robur victoriaeque spem positam fuisse. Praeter Cusinam et Ifisdaiam Iaudas, Aurasii montis rex, Iohanni suppetias venit, qui, quamquam diu Romanis infestissimus fuerat et priori Iohannis victoriae armis offecerat, tunc tamen Maurorum forsitan finitimorum viribus territus iisdem, quibus illi, partibus favebat[199]. Locus, quo Maurorum auxilia convenerunt, Arsuris a poëta vocatur[200]. Quod nomen neque in Arzugis mutandum[201], neque pro Assuris, Zeugitaniae oppido notissimo (nunc Henschir Zanfur) accipiendum[202] est, sed ad Byzacii oppidulum quoddam episcopale ceteris a scriptoribus nunquam memoratum pertinet[203]. Ceterum non in regionem Larensem Maurorum catervas ingentes contractas esse, sed in Byzacii partem vicinam occidentalem non est quod miremur, si quidem facilius exercitus latius dispersus alitur quam coactus in unum locum hibernis militum exhaustum.

Copiis tantis collectis Iohannes denuo concertandum ratus in planitiem magnam Byzacenam descendit, cuius in parte interiore, in campis Mammensibus[204], et Marmaridae et Antalas, qui post pugnam Martensem bellum receperat, castra habebant[205].

---

at pater alternans anas uis (*vel* anas ius) ordine curas,

ego: at pater alternans Athanasius ordine curas

facillima coniectura, litteris paucis additis restitui. Litteras 'ath' eo facilius intercidere potuisse, quod versus vocula 'at' inciperet, neminem fugiet. Favet praeterea coniecturae huic locus alius, quo idem ille Athanasius Africae praefectus praetorio a Corippo memoratur, Ioh. IV 232—239. Iisdem enim fere verbis 'pater', 'genitor', 'cana gravitas' illic Athanasius ornatur, quibus nostro loco poëta utitur.

195) Proc. b. Vand. II 28. Iordan. Rom. c. 386 Momms. p. 242b Mur. 'Mauros partis adversae per pacificos Mauros superatos'.

196) Cor. Ioh. VII 242—261.

197) Aestivo tempore postremam Iohannis expeditionem susceptam esse satis elucere videtur e Iohannidos VII 320—332. 351—371. VIII 84. 258. 259.

198) Cor. Ioh. VII 266. 267. 272.

199) Cor. Ioh. VII 277. VIII 126. Parum igitur accurate Procopius b. Goth. IV 17 haec narrat. (Ἰωάννης) ἕνα τῶν ἐν Μαυρουσίοις ἀρχόντων ἑταιρισάμενος, Κουτζίναν ὄνομα, τά τε πρότερα μάχῃ τοὺς ἄλλους ἐνίκησε καὶ οὐ πολλῷ ὕστερον Ἀντάλαν καὶ Ἰάβδαν, οἳ Μαυρουσίων τῶν ἐν Βυζακίῳ καὶ Νουμιδίᾳ τὸ κράτος εἶχον, ὑποχειρίους πεποίηται. εἵποντό τε αὐτῷ ἐν ἀνδραπόδων λόγῳ.

200) Cor. Ioh. VII 273.

201) Haupt Opusc. III 616.

202) Tauxier Rev. Afr. XX 1876 p. 298.

203) Not. prov. Byzacenae 67 episcopus Arsuritanus nominatur.

204) Mammam oppidum in Byzacii limite, magnis in campis, qui montibus cingebantur, sitam fuisse e Procopii b. Vand. II 11. de aedif. VI 6 discimus. Sunt, qui montem Burgaonem campis Mammensibus imminentem (Proc. b. Vand. II 11. 12) eundem esse suspicentur, qui nunc Djebel bu Ghanem vocetur (Tauxier l. l.). Sed nominis illius veteris et nominis, quod Arabes monti cuidam indiderunt, similitudini fortuitae quis fidat?

205) Cor. Ioh. VI 283—290.

Marmaridum dux Carcasan, ubi Iohannis exercitum appropinquare comperit, statim cum Romanis confligendum esse censuit. Sed vicit Antalae consilium, qui itineribus magnis, aestatis caloribus, inopia fatigandum prius Romanorum exercitum, quam armis vinceretur, demonstravit[206]. Dierum igitur decem itinere per totam provinciam Byzacenam usque ad oram maritimam regressi Mauri in agro Iuncensi consederunt[207]. Eandem regionem Iohannes de hostium itinere per exploratores, de Antalae consilio captivorum verbis certior factus petivit[208]. Cum autem tunc quoque hostes proelium detrectantes a litore in regionem quandam Byzacii meridionalis montibus obsitam recederent[209], persequi eos Iohannes destitit et in ora maritima castra munivit, ubi exercitus summa et celeritate et securitate commeatus navibus undique advectos acciperet[210]. Fore enim confidebat, ut hostes e terris asperis incultisque, quas petierant, mox inopia coacti ad litora reverterentur. Haud dubie ipsa in regione maritima eos expectasset, nisi exercitus Byzantii seditione, ut belli finem acceleraret, adductus esset. Milites Romani belli periculis et laboribus continuis confecti, mercede pacta se iam dudum destitutos esse indignantes[211] Iohannem, quem miseriae egestatisque suae auctorem criminabantur, armis infestis petiverunt. Vix Iohanni ipsi cum ducibus et armigeris fidis evadere castris furiosis[212] et Maurorum foederatorum ope[213] tumultum Romanorum comprimere contigit. Vbi seditionem sedavit, magister consilio mutato hostes insecutus haud longe ab iis in campis Catonis consedit[214]. Sed tam bene locorum natura hostium castra munita invenit, ut expugnari posse ea desperans ipse quietem agere constitueret, donec frumenti inopia coacti e locis asperis in campos planos descenderent. Quae spes eum non fefellit[215]. Paucis enim diebus post in planitie Marmaridae castra posuerunt. Brevi deinde itinere cum ad hostes proxime Iohannes accessisset[216], dominica die[217] exercitus uterque ad proelium eductus est. Congressione facta primum exercitus Romani cornu alterum, cui Cusina, Maurorum regulus, et Putzintulus dux praeerant, ab hostibus vehementer pressus lababat.

---

206) Cor. Ioh. VII 296—310.

207) Cor. Ioh. VII 370—373. 391—393.

208) Cor. Ioh. VIII 20.

209) Cor. Ioh. VIII 39. Tauxier Rev. Afr. XX 1876 p. 298 ils se hâtèrent de décamper et de se jeter dans le massif qui borde au sud la Tripolitaine. — Non in Tripolitanam provinciam, sed in Byzacii tantum partem extremam meridionalem, in montes forsitan Tritonis lacui vicinos, Mauros recessisse inde consequitur, quod pugna, qua paullo post Iohannes Mauros ad internecionem vicit, in Byzacio commissa est. cf. Ioh. VI 181—184.

210) Cor. Ioh. VIII 26—31. 41—48. Vbi portus Lariscus, quo naves frumentarias convenire Iohannes iussit, situs fuerit, ignoramus.

211) Cor. Ioh. VIII 81. 85.

212) Cor. Ioh. VIII 111.

213) Cor. Ioh. VIII 127—129. 144. 148.

214) Cor. Ioh. VIII 165. 166. Vbi fuerint campi Catonis et unde nomen duxerint, nescire me fateor. Non prope Vticam fuisse — id quod Mazzucchellius suspicatus est — sed in Byzacio interiore constat. cf. Ioh. VI 181—184.

215) Cor. Ioh. VIII 167—179.

216) Cor. Ioh. VIII 225—230. versu 229 committere pugnam
vicinis liceat ferventi caede Lataris.
loci, quo pugnatum sit, nomen scriptoribus ceteris non notum Corippus tradidisse videtur.

217) Cor. Ioh. VIII 214. 254—257.

Putzintulus ipse fortiter pugnans mortem oppetivit[218]. Sed in tempore Iohannes, qui altero cornu hostes sibi oppositos profligaverat, laborantibus subvenit[219]. Tota tunc Maurorum acie in fugam conversa Romani victores stragem ingentem ediderunt. Praeter alios duces permultos[220] Carcasan, Marmaridum rex summus, occisus est[221]. Çuius morte relata Iohannidos liber octavus in fine mutilus desinit. Sed Procopii ex historiis discimus tantam fuisse Maurorum cladem, tam graviter eorum vires labefactatas esse, ut multos per annos invasionibus provincias Romanas vexare non auderent, Africaeque fessae tandem aliquando pax malorumque intermissio contingeret[222].

Iohannes magister annos certe nonnullos provinciae, quam hostium incursionibus continuis liberaverat, praefuit. Anno enim p. Chr. n. 553 in Sardiniam provinciam, quae ad Africanam dioecesim pertinebat, expeditionem suscepisse fertur[223]. Paullo autem post mortem obiisse videtur, cum nomen eius neque belli Gothici annis postremis neque postea unquam memoretur. Verisimillimum est superstitem eum non fuisse anno 562, quo Africae res denuo turbatae sunt. Iohannes enim Rogatinus tunc Africae praefectus Maurorum regem Romanis fidissimum Cusinam dolis circumventum e medio sustulit[224]. Perfidiae tantae ultores Cusinae filii Mauris ad arma vocatis Africam totam crudelissime vastarunt. Tunc novum bellum Mauricum exarsit, quod tam male a Byzantiis gestum est, ut regni Iustiniani annis extremis ad ultimas miserias Africa delaberetur[225].

PROCOPII
DE BELLO VANDALICO
CAPITA SELECTA.

Procopii in libro altero de bello Vandalico cum tota fere Iohannidos interpretatio historica nitatur, iis, qui Corippi libris uterentur, gratum me facturum Mommsenus iudicavit, si huic prooemio Procopii capita ea, quae huc pertinent, addidissem. Cum autem ne Bonnensis quidem editio neque interpolationibus, quibus libri manu scripti multi inquinati sunt, omnino careat, neque in nominibus propriis scribendis satis sibi constet, a viro docto, qui nunc codicibus optimis denuo excussis Procopii libris recensendis operam navat, Guilelmo Meyero Monacensi, ut e schedis suis, quae ad

218) Cor. Ioh. VIII 473—496.

219) Cor. Ioh. VIII 457—472.

220) Iordan. Rom. c. 356 Momms. p. 242b Mur. 'una die decem et septem praefectos extinxit, pacemque totius Africae iuvante domino impetravit.

221) Cor. Ioh. VIII 627—634. VI 184—187.

222) Proc. b. Vand. II 28 fin. b. Goth. IV 17.

223) Proc. b. Goth. IV 24.

224) Ioh. Malal. Chronogr. XVIII p. 495. 496 ed. Dind.

225) Cor. laud. Iust. I 18—21. Anast. 37.

capita illa emendanda pertinerent, mecum communicaret, petivi. Qui tanta liberalitate mihi morem gessit, ut non modo menda quaedam parvula editionis Dindorfianae notaret, sed horum capitum omnium lectionis varietatem notulis criticis indicaret, quas Procopii textui addere mihi licuit.

Dind. I p. 493 Proc. de b. Vand. II 19 Γερμανὸν δὲ ξύν τε Συμμάχῳ καὶ Δομνίκῳ μεταπεμψάμενος βασιλεὺς Σολομῶνι αὖθις ἅπαντα Λιβύης τὰ πράγματα ἐνεχείρισε, τρισκαιδέκατον ἔτος τὴν αὐτοκράτορα ἔχων ἀρχήν· στράτευμά τε αὐτῷ παρασχόμενος καὶ ἄρχοντας ἄλλους τε καὶ Ῥουφῖνον καὶ Λεόντιον τοὺς Ζάννα τοῦ Φαρεσμάνου καὶ Ἰωάννην τὸν Σισιννιόλου υἱόν. **capitibus II 19. 20 Solomonis in montem**
p. 501 **Aurasium expeditio enarratur, qua feliciter confecta** Ζάβην τε τὴν χώραν, ἣ ὑπὲρ ὄρος τὸ Αὐράσιόν ἐστι Μαυριτανία τε ἡ πρώτη καλεῖται μητρόπολιν Σίτιφιν ἔχουσα, τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐς φόρου ἀπαγωγὴν προσεποιήσατο. — καὶ ἀπ' αὐτοῦ Λίβυες ἅπαντες, οἳ Ῥωμαίων κατήκοοι ἦσαν, εἰρήνης ἀσφαλοῦς τυχόντες καὶ τῆς Σολομῶνος ἀρχῆς σώφρονός τε καὶ λίαν μετρίας, ἕς τε τὸ λοιπὸν πολέμιον οὐδὲν ἐν νῷ ἔχοντες, ἔδοξαν εὐδαιμονέστατοι εἶναι ἀνθρώπων ἁπάντων.

21. τετάρτῳ δὲ ὕστερον ἐνιαυτῷ ἅπαντα σφίσιν ἀγαθὰ ἐς τοὐναντίον γενέσθαι ξυνέπεσεν. ἔτος γὰρ ἕβδομόν τε καὶ δέκατον Ἰουστινιανοῦ βασιλέως τὴν αὐτοκράτορα
p. 502 ἀρχὴν ἔχοντος, Κῦρός τε καὶ Σέργιος οἱ Βάχχου τοῦ Σολομῶνος ἀδελφοῦ παῖδες πόλεων τῶν ἐν Λιβύῃ πρὸς βασιλέως ἄρχειν ἔλαχον, Πενταπόλεως μὲν ὁ Κῦρος ὁ πρεσβύτερος, Τριπόλεως δὲ Σέργιος. Μαυρούσιοι δὲ οἱ Λευάθαι[1]) καλούμενοι στρατῷ μεγάλῳ ἐς Λεπτίμαγναν πόλιν παρ' αὐτὸν ἵκοντο ἐπιθρυλοῦντες ὅτι δὴ τούτου ἕνεκα ἥκοιεν, ὅπως ὁ Σέργιος δῶρα καὶ ξύμβολα σφίσι τὰ νομιζόμενα δοὺς τὴν εἰρήνην κρατύνηται. **barbaris nobilibus octoginta, qui fide accepta in urbem intraverant, interfectis Maurorum exercitus urbem petit et ante portas cum Romanis acie confligit.**

p. 503 χρόνῳ δὲ ὕστερον οἱ μὲν βάρβαροι μείζονι παρασκευῇ ἐπὶ Ῥωμαίους ἐστράτευσαν. Σέργιος δὲ παρὰ Σολομῶνα τὸν θεῖον ἐστάλη, ἐφ' ᾧ καὶ αὐτὸς μείζονι στρατῷ ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἴοι· οὗ δὴ καὶ Κῦρον τὸν ἀδελφὸν εὗρεν. οἵ τε βάρβαροι ἐς Βυζάκιον ἀφικόμενοι πλεῖστα ἐξ ἐπιδρομῆς ἐληίσαντο τῶν ἐκείνῃ χωρίων· Ἀντάλας δὲ
p. 504 (οὗπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις ἐμνήσθην, ἅτε Ῥωμαίοις πιστοῦ διαμεμενηκότος, καὶ δι' αὐτὸ μόνου ἐν Βυζακίῳ Μαυρουσίων ἄρχοντος) ἤδη Σολομῶνι ἐκπεπολεμωμένος ἐτύγχανεν, ὅτι τε τὰς σιτήσεις, αἷς αὐτὸν βασιλεὺς ἐτετιμήκει, Σολομῶν ἀφείλετο καὶ τὸν ἀδελφὸν τὸν αὐτοῦ ἔκτεινε, ταραχὴν αὐτοῦ τινα ἐς Βυζακηνοὺς γινομένην ἐπενεγκών· τότε γοῦν[2]) τούτους Ἀντάλας τοὺς βαρβάρους ἄσμενός τε εἶδε καὶ ὁμαιχμίαν ποιησάμενος ἐπὶ Σολομῶνά τε καὶ Καρχηδόνα σφίσιν ἡγήσατο. Σολομῶν δέ, ἐπεὶ ταῦτα ἤκουσε, παντὶ τῷ στρατῷ ἄρας ἐπ' αὐτοὺς ᾔει, καὶ καταλαβὼν ἀμφὶ πόλιν Τεβέστην, ἓξ ἡμερῶν ὁδῷ Καρχηδόνος διέχουσαν, ἐστρατοπεδεύσατο αὐτός τε καὶ οἱ Βάχχου τοῦ ἀδελφοῦ παῖδες, Κῦρός τε καὶ Σέργιος καὶ Σολομῶν ὁ νεώτατος. δείσας τε τὸ τῶν βαρβάρων πλῆθος ἔπεμψε παρὰ τῶν Λευαθῶν[3]) τοὺς ἄρχοντας, μεμφόμενος μὲν ὅτι δὴ ἔνσπονδοι Ῥωμαίων ὄντες εἶτα ἐν ὅπλοις γενόμενοι ἐπ' αὐ-

1) λευκάθαι *codd. plerique*, λεβάψαι *unus e deterioribus*. 2) *al.* οὖν. 3) λευαθῶν, λεβάνθων, λεμάνθων *codd.*

τοὺς ἥκουσι, τὴν δὲ εἰρήνην ἀξιῶν ἐν σφίσι κρατύνασθαι, ὅρκους τε ὀμεῖσθαι τοὺς δεινοτάτους ὑπέσχετο, ἦ μὴν ἀμνηστίᾳ τῶν πεπραγμένων ἐς αὐτοὺς χρήσασθαι [4]. χλευάζοντες δὲ τὰ εἰρημένα οἱ βάρβαροι πάντως αὐτὸν ὀμεῖσθαι τὰ Χριστιανῶν λόγια ἔφασαν, ἅπερ καλεῖν εὐαγγέλια νενομίκασιν. οὐκοῦν ἐπειδὴ Σέργιος ταῦτα ὀμόσας εἶτα τοὺς πιστεύσαντας ἔκτεινε, βουλομένοις σφίσιν αὐτοῖς εἴη ἐς μάχην ἰοῦσι τούτων δὴ τῶν λογίων ἀποπειράσασθαι [5], ὁποίαν τινὰ πρὸς τοὺς ἐπιόρκους δύναμιν
p. 505 ἔχουσιν, ὅπως αὐτοῖς βεβαιότατα πιστεύσαντες οὕτω δὴ ἐπὶ τὰς ξυνθήκας καθιστῶνται. ταῦτα Σολομῶν ἀκούσας τὰ ἐς τὴν ξυμβολὴν ἐξηρτύετο.

τῇ δὲ ὑστεραίᾳ μοίρᾳ τινὶ τῶν πολεμίων λείαν ὅτι πλείστην ἀγούσῃ ξυμβαλὼν καὶ μάχῃ νικήσας ἀφελών τε τὴν λείαν ἐφύλασσε πᾶσαν. δυσανασχετοῦσι δὲ τοῖς στρατιώταις καὶ δεινὰ ποιουμένοις, ὅτι δὴ αὐτοῖς οὐκ ἐδίδου τὰ λάφυρα, ἔφασκεν ἀναμένειν τὸ τοῦ πολέμου πέρας, ὅπως δὴ ἅπαντα τηνικαῦτα διανέμωνται, καθάπερ ἂν ἐς τὴν ἀξίαν ἐπιβάλλον ἑκάστῳ φαίνηται. ἐπεὶ δὲ αὖθις οἱ βάρβαροι πάσῃ τῇ στρατιᾷ ἐς ξυμβολὴν ὥρμηντο, ἐνταῦθα Ῥωμαίων τέ τινες ἀπελίποντο [6] καὶ οἱ ἄλλοι οὐ ξὺν προθυμίᾳ ἐς τὴν παράταξιν ᾔεσαν. καὶ [7] πρῶτα μὲν [8] ἀγχώμαλος ἐγεγόνει ἡ μάχη, ὕστερον δὲ πλήθει πολλῷ ὑπερβαλλομένων τῶν Μαυρουσίων, Ῥωμαίων [9] μὲν οἱ πολλοὶ ἔφευγον, Σολομῶν δὲ καὶ ἀμφ' αὐτόν τινες χρόνον μέν τινα βαλλόμενοι ἀντεῖχον, ὕστερον δὲ ὑπερβιαζομένων τῶν πολεμίων σπουδῇ ἔφευγον, ἔς τε ῥύακος ἐκείνῃ ῥέοντος χαράδραν ἀφίκοντο. ἔνθα δὴ ὀκλάσαντος οἱ τοῦ ἵππου Σολομῶν ἐκπίπτει ἐς ἔδαφος, καὶ αὐτὸν κατὰ τάχος χερσὶν [10] οἱ δορυφόροι ἀράμενοι ἐπὶ τοῦ ἵππου καθίζουσι. περιώδυνον δὲ γεγονότα καὶ ἀδύνατον [11] ἔτι τοῦ χαλινοῦ ἔχεσθαι καταλαβόντες οἱ βάρβαροι αὐτόν τε κτείνουσι καὶ τῶν δορυφόρων πολλούς. αὕτη τε τοῦ βίου τελευτὴ Σολομῶνι ἐγένετο.

p. 506 22. τελευτήσαντος δὲ Σολομῶνος, Σέργιος αὐτοῦ, ὥσπερ εἴρηται, ἀδελφιδοῦς ὤν, δόντος βασιλέως, παρέλαβε τὴν Λιβύης ἀρχήν. ὃς δὴ φθορᾶς πολλῆς αἰτιώτατος τῷ Λιβύων γένει ἐγένετο, ἅπαντές τε αὐτοῦ τῇ ἀρχῇ ἤχθοντο. — μάλιστα δὲ πάντων ὁ Σισιννιόλου Ἰωάννης τῇ Σεργίου δυνάμει χαλεπῶς εἶχε. ἀγαθὸς γὰρ ὢν τὰ πολέμια καὶ διαφερόντως εὐδόκιμος, ἀχαρίστου τοῦ ἀνθρώπου ἀτεχνῶς ἔτυχεν. διὸ δὴ οὔτε οὗτος οὔτε ἄλλος τῶν πάντων οὐδεὶς ὅπλα ἀνταίρειν τοῖς [12] πολεμίοις ἠβούλετο [13]. τῷ τε Ἀντάλᾳ οἵ τε Μαυρούσιοι σχεδόν τι ἅπαντες εἵποντο καὶ Στότζας ἐκ Μαυριτανίας μετάπεμπτος ἦλθεν. ἐπεί τε οὐδεὶς σφίσιν ἐπεξῄει τῶν πολεμίων, ἦγόν τε καὶ ἔφερον ληϊζόμενοι ἀδεῶς ἅπαντα. —

p. 509 23. Ἀντάλας δὲ καὶ ὁ τῶν Μαυρουσίων στρατὸς ξυνελέγοντο αὖθις ἐν Βυζακίῳ, καὶ αὐτοῖς Στότζας ξυνῆν, στρατιώτας τε ὀλίγους τινὰς καὶ Βανδίλους ἔχων. Ἰωάννης δὲ ὁ Σισιννιόλου, πολλὰ λιπαρούντων Λιβύων, στράτευμα ἀγείρας ἐπ' αὐτοὺς ἦλθεν. ἐτύγχανε δὲ Ἱμέριος Θρᾷξ τῶν ἐν Βυζακίῳ καταλόγων ἄρχων, ὃν δὴ τότε Ἰωάννης ἐκέλευε πάντας ἐπαγόμενον τοὺς ταύτῃ καταλόγους ξὺν τοῖς ἑκάστῳ ἡγουμένοις ἐλθόντα ἐς χωρίον Μενεφέση [14], ὅ ἐστιν ἐν Βυζακίῳ, σφίσι ξυμμῖξαι. ὕστερον δὲ ἀκούσας ἐνταῦθα ἐστρατοπεδεῦσθαι τοὺς πολεμίους, Ἱμερίῳ ἔγραφε τά τε ξυμπεσόντα

4) *al.* χρήσεσθαι. 5) *al.* ἀποπειρᾶσθαι. 6) *al.* ἀπελείποντο. 7) *al.* καὶ *omittitur.* 8) *post* μὲν *al.* οὖν *additur.* 9) *al.* ῥωμαῖοι. 10) *al.* ταῖς χερσὶν. 11) *al.* ἀδυνατοῦντα. 12) *al.* ἐν τοῖς. 13) *al.* ἠβούλοντο. 14) μενεφέσση, μενεφεσῆ, μενεφέση *codd.*

δηλῶν καὶ σφίσιν ἐπαγγέλλων ἑτέρωθι ἀναμίγνυσθαι, ὅπως μὴ κατὰ μόνας, ἀλλὰ κοινῇ ἅπαντες ὑπαντιάσωσι τοῖς πολεμίοις. τύχῃ δέ τινι οἱ ταῦτα τὰ γράμματα ἔχοντες ὁδῷ ἑτέρᾳ χρησάμενοι τὸν Ἱμέριον εὑρεῖν οὐδαμῇ ἴσχυσαν, ἀλλὰ ξὺν τῷ στρατῷ ἐμπεπτωκὼς ἐς τὸ τῶν ἐναντίων στρατόπεδον γέγονεν ὑπὸ ταῖς ἐκείνων χερσίν. ἦν δέ τις ἐν τούτῳ τῷ Ῥωμαίων στρατῷ νεανίας Σεβηριανός Ἀσιατικοῦ παῖς, Φοῖνιξ, Ἐμεσηνὸς γένος, καταλόγου ἱππικοῦ[15] ἄρχων. ὃς δὴ μόνος ξὺν τοῖς ἀμφ' αὐτὸν στρατιώταις, πεντήκοντα οὖσι, τοῖς πολεμίοις ἐς χεῖρας ἦλθε. καὶ χρόνον μὲν ἀντεῖχόν τινα, ἔπειτα δὲ πολλῷ πλήθει βιαζόμενοι ἐς λόφον ἀνέδραμον ἐνταῦθά πη ὄντα, οὗ δὴ φρούριον οὐκ ἀσφαλὲς ἦν. διὸ δὴ ὁμολογίᾳ σφᾶς αὐτοὺς τοῖς ἐναντίοις
p. 510 ἐνταῦθα ἐπ' αὐτοὺς ἀναβεβηκόσι παρέδωκαν. οἱ δὲ οὔτε αὐτὸν[16] οὔτε τῶν στρατιωτῶν τινα ἔκτειναν, ἀλλὰ ζωγρήσαντες ἅπαντας, Ἱμέριον μὲν ἐν φυλακῇ ἔσχον, τῷ τε Στότζᾳ τοὺς στρατιώτας παρέδοσαν, ὁμολογοῦντας σφίσι ξὺν προθυμίᾳ πολλῇ ἐπὶ Ῥωμαίους στρατεύσεσθαι[17]· τὸν μέντοι Ἱμέριον, ἢν μὴ τὰ ἐπαγγελλόμενα ποιῇ, κτείνειν ἠπείλουν. ἐπήγγελλον δὲ πόλιν Ἀδραμητὸν ἐπιθαλασσίαν μηχανῇ τινι σφίσιν ἐνδοῦναι. καὶ ἐπεὶ οἱ ἰσχυρίζετο βουλομένῳ εἶναι, ἐπὶ Ἀδραμητὸν σὺν αὐτῷ ᾔεσαν. τῆς[18] πόλεως ἀγχοῦ γενόμενοι Ἱμέριον μὲν[19] ὀλίγῳ ἔμπροσθεν ξὺν στρατιώταις τῶν Στότζᾳ ἑπομένων τισὶν ἔπεμψαν, Μαυρουσίους δεδεμένους δῆθεν ἐφέλκοντα, αὐτοὶ δὲ ὄπισθεν εἵποντο. καὶ τῷ Ἱμερίῳ εἰπεῖν τοῖς ἐφεστῶσι ταῖς τῆς πόλεως πύλαις ἐπέστελλον, ὡς νικῴη μὲν κατὰ κράτος ὁ βασιλέως στρατὸς, ἥξει δὲ Ἰωάννης αὐτίκα δὴ μάλα, πλῆθος Μαυρουσίων δοριαλώτων[20] ἄγων ἀριθμοῦ κρεῖσσον· οὕτω τε τῶν πυλῶν σφίσιν ἀνοιγνυμένων, ἐντὸς τοῦ περιβόλου ξὺν τοῖς ἅμα αὐτῷ ἰοῦσι γενέσθαι. καὶ ὁ μὲν κατὰ ταῦτα ἐποίει. Ἀδραμητηνοὶ[21] δὲ οὕτως ἐξαπατηθέντες (οὐ γὰρ ἀπιστεῖν τῷ πάντων ἄρχοντι τῶν ἐν Βυζακίῳ στρατιωτῶν εἶχον) τὰς πυλὰς ἀναπετάσαντες τοὺς πολεμίους ἐδέχοντο. τότε δὴ οἱ ξὺν τῷ Ἱμερίῳ ἐσβάντες σπασάμενοι τὰ ξίφη[22] τὰς πυλὰς ἐπιτιθέναι τοὺς ταύτῃ φύλακας οὐκ ἔτι εἴων, ἀλλ' ἅπαντα τῇ πόλει αὐτίκα ἐδέξαντο τὸν τῶν Μαυρουσίων στρατόν. ληισάμενοί τε αὐτὴν οἱ βάρβαροι καὶ
p. 511 φύλακας καταστησάμενοι ὀλίγους τινὰς ἀπηλλάσσοντο. Ῥωμαίων δὲ τῶν ζωγρηθέντων τινὲς μὲν φεύγοντες ἐς Καρχηδόνα ἦλθον, ἐν οἷς Σεβηριανός τε καὶ Ἱμέριος ἦν. ἐκ Μαυρουσίων γὰρ τοῖς φεύγειν ἐθέλουσιν οὐ χαλεπὸν ἦν. πολλοὶ δὲ καὶ ξὺν τῷ Στότζᾳ οὔ τι ἄκοντες ἔμειναν. **Paullo post** (χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον) **Hadrumetum Romani recuperant.**

p. 512 οἵ τε Μαυρούσιοι ἀδεέστερον, ἅτε οὐδενὸς σφίσιν ἐπεξιόντος, ἦγόν τε καὶ ἔφερον ἅπαντα καὶ ξὺν αὐτοῖς ὁ Στότζας ἐν δυνάμει ὢν ἤδη. Ῥωμαῖοι γὰρ αὐτῷ
p. 513 στρατιῶται πολλοὶ εἵποντο, οἱ μὲν αὐτόμολοι ἥκοντες, οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν αἰχμάλωτοι γεγενημένοι, ἐθελούσιοι δὲ αὐτοῦ μείναντες. Ἰωάννης δέ, οὗ δὴ[23] λόγος τις ἦν ἐν Μαυρουσίοις, Σεργίῳ προσκεχρουκὼς ἐς τὰ μάλιστα ἡσυχίαν ἦγεν.

24. ἐν τούτῳ[24] δὲ βασιλεὺς ἄλλον ἐς Λιβύην στρατηγὸν Ἀρεόβινδον ξὺν στρατιώταις ὀλίγοις τισὶν ἔπεμψεν, ἄνδρα ἐκ βουλῆς μὲν καὶ εὖ γεγονότα, ἔργων δὲ πολεμίων οὐδαμῶς ἔμπειρον· καὶ ξὺν αὐτῷ Ἀθανάσιον ὕπαρχον[25] ἄρτι ἐξ Ἰταλίας[26])

15) *al.* ἱππικῶν.. 16) *al.* αὐτῶν. 17) *al.* στρατεύεσθαι. 18) *al.* τῆς τε. 19) *al.* μέν τοι. 20) *al.* δοριάλωτον. 21) *al.* ἀδραμυτηνοί. 22) *al.* τὰ ξίφη *omittitur.* 23) *al.* δὴ *omittitur.* 24) *al.* τούτοις. 25) *al.* ἔπαρχον. 26) *al.* ἰταλῶν.

ἥκοντα ἔστελλε καὶ Ἀρμενίους ὀλίγους τινάς, ὧν Ἀρταβάνης τε καὶ Ἰωάννης ἦρχον, Ἰωάννου παῖδες, Ἀρσακίδαι μὲν γένος, ἔναγχος δὲ ἀπολιπόντες τὸ Περσῶν στράτευμα, ἔς τε Ῥωμαίους ξὺν[27]) τοῖς ἄλλοις Ἀρμενίοις αὐτόμολοι ἥκοντες. ξυνῆν δὲ τῷ Ἀρεοβίνδῳ ἥ τε ἀδελφὴ καὶ Πρεϊέκτα ἡ γυνή, Βιγλεντίας θυγάτηρ τῆς βασιλέως Ἰουστινιανοῦ ἀδελφῆς. οὐ μὴν οὐδὲ Σέργιον μετεπέμπετο, ἀλλ᾽ αὐτόν τε καὶ Ἀρεόβινδον Λιβύης στρατηγοὺς ἐκέλευεν εἶναι, τήν τε χώραν καὶ τῶν στρατιωτῶν τοὺς καταλόγους διελομένους. ἐπέβαλε[28]) δὲ Σεργίῳ μὲν τὸν πόλεμον διενεγκεῖν πρὸς τοὺς ἐν Νουμιδίᾳ βαρβάρους, Ἀρεοβίνδῳ δὲ τοῖς ἐν Βυζακίῳ Μαυρουσίοις ἀεὶ διαμάχεσθαι. καταπλεύσαντός τε τοῦ στόλου τούτου ἐς Καρχηδόνα Σέργιος μὲν ἐπὶ Νουμιδίας ξὺν τῷ οἰκείῳ στρατῷ ἀπιὼν ᾤχετο, Ἀρεόβινδος δὲ Ἀντάλαν τε καὶ Στότζαν ἐνστρατοπεδεύεσθαι μαθὼν ἀμφὶ πόλιν[29]) Σικκαβενηρίαν, τριῶν ἡμερῶν ὁδῷ Καρχηδόνος διέχουσαν, Ἰωάννην τὸν Σισιννιόλου ἐπ᾽ αὐτοὺς ἐκέλευεν ἰέναι τοῦ στρατοῦ ἀπολεξάμενον εἴ τι ἄριστον ἦν· τῷ δὲ[30]) Σεργίῳ ἔγραφε τοῖς ἀμφὶ τὸν Ἰωάννην ἀναμίγνυσθαι, ἐφ᾽ ᾧ κοινῇ ἅπαντες ὁμόσε τοῖς πολεμίοις χωρήσουσι. Σέργιος μὲν οὖν τῶν τε γεγραμμένων καὶ τοῦ ἔργου τούτου ὀλιγωρεῖν ἔγνω, ὁ δὲ Ἰωάννης ξὺν ὀλίγῳ στρατῷ ἀμυθήτῳ ἠνάγκαστο πολεμίων πλήθει ἐς χεῖρας ἰέναι. ἦν δὲ αὐτῷ τε καὶ Στότζᾳ μέγα τι ἀεὶ ἐς ἀλλήλους ἔχθος, ἑκάτερός τε αὐτῶν[31]) ηὔχετο φονεὺς θατέρου γενόμενος οὕτω δὴ ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισθῆναι. τότε γοῦν, ἐπειδὴ τάχιστα ἡ μάχη ἐν χερσὶ γίγνεσθαι ἔμελλεν, ἄμφω ἐκ τῶν στρατοπέδων[32]) ἐλαύνοντες ἐπ᾽ ἀλλήλους ἦλθον. ὁ μὲν οὖν Ἰωάννης ἐντείνας τὸ τόξον ἔτι προσιόντα τὸν Στότζαν κατὰ βουβῶνα τὸν δεξιὸν ἐπιτυχὼν βάλλει, ὁ δὲ καιρίαν τυπεὶς[33]) αὐτοῦ ἔπεσεν, οὔπω μὲν τεθνεώς, χρόνον δέ τινα ὀλίγον ταύτῃ δὴ ἐπιβιωσόμενος τῇ πληγῇ. ἐπελθόντες δὲ πάντες αὐτίκα, ὅσοι τε αὐτῷ εἵποντο καὶ ὁ τῶν Μαυρουσίων στρατός, Στότζαν μὲν ᾽λιγοψυχοῦντα ἐπὶ δένδρου τινὸς ἔθεντο, αὐτοὶ δὲ θυμῷ πολλῷ ἐπὶ τοὺς πολεμίους χωρήσαντες τόν τε Ἰωάννην καὶ Ῥωμαίους ἅπαντας, ἅτε πλήθει πολλῷ ὑπεραίροντες, οὐδενὶ πόνῳ ἐτρέψαντο. τότε δή φασιν εἰπεῖν τὸν Ἰωάννην ὡς ἡδύν τινα θάνατον θνήσκοι, ἐπεί οἱ τὰ τῆς εὐχῆς ἀμφὶ τῷ Στότζᾳ ἐς πέρας ἀφῖκται[34]). χῶρος δέ τις ἦν κατάντης ἐνταῦθα, οὗ δὴ αὐτὸν ἀποβάλλει ὀκλάσας ὁ ἵππος. ἐφ᾽ ὃν αὖθις αὐτὸν ἀναθρώσκειν πειρώμενον καταλαβόντες οἱ πολέμιοι κτείνουσιν, ἄνδρα
p. 515 γενόμενον δόξῃ τε καὶ ἀρετῇ μέγαν. ὅπερ ὁ Στότζας μαθὼν ἐτελεύτησε τοσοῦτον εἰπών, ὡς ἥδιστα τὸ λοιπὸν θνήσκοι. ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ καὶ Ἰωάννης Ἀρμένιος Ἀρταβάνου ἀδελφὸς θνήσκει, ἔργα ἐς τοὺς πολεμίους ἐπιδειξάμενος ἀρετῆς ἄξια. βασιλεὺς δὲ ταῦτα ἀκούσας περιώδυνός τε τῇ τοῦ Ἰωάννου γεγονὼς ἀρετῇ, μάλιστα ἀξύμφορόν τε νομίσας εἶναι τοῖν δυοῖν στρατηγοῖν τὴν ἀρχὴν ἔχειν[35]), τὸν μὲν Σέργιον εὐθὺς μεταπεμψάμενος ἐς Ἰταλίαν ξὺν στρατῷ ἔπεμψεν[36]), Ἀρεοβίνδῳ δὲ ἅπαν τὸ Λιβύης παρέδωκε κράτος.

25. **Γόνθαρις δὲ δυοῖν μησὶν ὕστερον ἢ Σέργιος ἐνθένδε ἀπιὼν ᾤχετο τυραννίδι ἐπέθετο τρόπῳ τοιῷδε. Gontharis Areobindo interfecto Africae dominationem usurpat. Paullo post in cena ab Artabane Armenio trucidatur.**

27) *al.* αὖθις ξὺν. 28) *al.* ἐπέβαλλε. 29) *al.* πόλει. 30) *al.* τε. 31) *al.* αὐτοῖν. 32) *al.* τοῦ στρατοπέδου. 33) *al.* πληγείς. 34) *al.* ἀφῖκτο. 35) *al.* μάλιστα διέπειν. 36) *al.* ἔστελλεν.

p. 532 28. γέγονε δὲ ὁ τοῦ τυράννου φόνος ἕκτῃ καὶ τριακοστῇ ἀπὸ τῆς τυραννίδος ἡμέρᾳ, ἔνατον καὶ δέκατον ἔτος Ἰουστινιανοῦ βασιλέως τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν ἔχοντος.
p. 533 Ἀρταβάνης τε ἐκ τοῦ ἔργου τούτου κλέος περιεβάλλετο μέγα ἐς πάντας ἀνθρώπους. καὶ Πρεϊέκτα μὲν εὐθὺς ἡ Ἀρεοβίνδου γυνὴ, μεγάλοις αὐτὸν ἐδωρήσατο χρήμασι, βασιλεὺς δὲ στρατηγὸν αὐτὸν κατεστήσατο Λιβύης ἁπάσης. οὐ πολλῷ δὲ ὕστερον Ἀρταβάνης μὲν ἔχρῃζε βασιλέως ὅπως αὐτὸν ἐς Βυζάντιον μεταπέμποιτο, βασιλεὺς δὲ τὴν δέησιν ἐπιτελῆ ἐποιεῖτο. καὶ τὸν Ἀρταβάνην μεταπεμψάμενος, Ἰωάννην τὸν Πάππου ἀδελφὸν Λιβύης[37]) στρατηγὸν μόνον αὐτὸν κατεστήσατο. οὗτος ὁ[38]) Ἰωάννης ἐπεὶ τάχιστα ἐν Λιβύῃ ἐγένετο, Ἀντάλᾳ τε καὶ Μαυρουσίοις τοῖς ἐν Βυζακίῳ ἐς χεῖρας ἐλθὼν καὶ μάχῃ νικήσας τῶν τε πολεμίων πολλοὺς ἔκτεινε καὶ σημεῖα πάντα τὰ Σολομῶνος τούτους δὴ τοὺς βαρβάρους ἀφελόμενος βασιλεῖ ἔπεμψεν, ἅπερ αὐτοῦ ληισάμενοι ἔτυχον, ἡνίκα Σολομῶν ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο. τοὺς δὲ λοιποὺς ὡς ἀπωτάτω ἐξήλασε τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς. χρόνῳ δὲ[39]) ὕστερον οἱ Λευάθαι αὖθις στρατῷ μεγάλῳ ἐκ τῶν ἐπὶ Τριπόλεως χωρίων ἐς Βυζάκιον ἀφικόμενοι τοῖς ἀμφὶ τὸν Ἀντάλαν ξυνέμιξαν. οἵσπερ Ἰωάννης ὑπαντιάσας ἡσσηθείς τε τῇ ξυμβολῇ καὶ πολλοὺς τῶν οἱ ἑπομένων ἀποβαλὼν ἐς Λαρίβους φεύγει. καὶ τότε δὴ οἱ πολέμιοι μέχρι ἐς Καρχηδόνα ξύμπαντα καταθέοντες τὰ ἐκείνῃ χωρία ἀνήκεστα ἔργα Λίβυας τοὺς παραπεπτωκότας εἰργάσαντο. οὐ πολλῷ δὲ ὕστερον Ἰωάννης τῶν στρατιωτῶν τοὺς περιγενομένους ἀγείρας, καὶ Μαυρουσίους ἄλλους τε καὶ τοὺς
p. 534 ἀμφὶ Κουτζίναν ἐς ξυμμαχίαν ἐπαγαγόμενος τοῖς πολεμίοις ἐς χεῖρας ἦλθε καὶ αὐτοὺς ἐκ τοῦ παραδόξου ἐτρέψατο. Ῥωμαῖοί τε αὐτοῖς φεύγουσι κόσμῳ οὐδενὶ ἐπισπόμενοι μοῖραν μὲν αὐτῶν πολλὴν ἔκτεινον, οἱ δὲ λοιποὶ ἐς τῆς Λιβύης τὰς ἐσχατιὰς διέφυγον. οὕτω τε Λιβύων τοῖς περιγενομένοις, ὀλίγοις τε καὶ λίαν πτωχοῖς οὖσιν, ὀψὲ καὶ μόλις ἡσυχίαν τινὰ ξυνηνέχθη γενέσθαι.

II.

Flavii Cresconii Corippi[1]) de vita paucissima comperta habemus. Afrum fuisse et e libris ipsius[2]) et e codicis Matritensis inscriptione, qua 'Africanus grammaticus' dicitur, satis elucet. Grammaticus autem cum tunc temporis non quivis homo litteratus appelletur, sed 'praeceptor erudiendae inventuti praesidens'[3]), ex hoc verbo de poëtae vitae genere et condicione tantum elicere possumus, ut nihili faciamus notulam, quae in codice quodam Vallicellano extat[4]): 'Concordia Canonum a Cresconio Africano episcopo digesta sub capitulis trecentis. iste nimirum Cresconius bella et victorias, quas Iohannes patricius apud Africam de Sarracenis gessit, hexametris versibus descripsit libris [VIII]'. Non e vetere testimonio de Cresconio Corippo haec manasse,

---

37) Λιβύης ἁπάσης *codex unus.* 38) *al.* ὁ *omittitur.* 39) χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ *codex unus.*

1) Cresconius *cod. Casinensis*, Crestonius *in dorso cod. Trivultiani*, Corippus *cod. Matritensis*, Fl. Cresconius Gorippus *cod. Budensis.*

2) Ioh. praef. 1. 35. Anast. 37. 38.

3) Cod. Theod. XIII 3, 11. VI 21, 1. Cod. Iust. I 27, 1, 42.

4) Caes. Baronii Annales a. 527 n. 76. Fogginius in editionis librorum in laudem Iustini praefatione p. XI (p. LXI apud Bekkerum).

sed a librario quodam, qui et Cresconii episcopi Canones et Cresconii poëtae Iohannidos codicem viderat, incertissima coniectura inventa esse satis apparet e verbis, quibus Iohannidos mentionem facit. Quidquid e codice Iohannidos obiter inspecto facillime cognoscere poterat, librorum numerum, metrum heroicum, titulum (de bellis Libycis), nomen ductoris celebrati bene novit. Sed ubi plura de Iohannide et de Cresconio poëta proferre incipit, ariolatur. Bellum enim Saracenicum anno p. Chr. n. 697 in Africa a Iohanne patricio gestum Iohannide describi opinari non potuisset, si certi quidquam de poëtae vita vel de tempore saltem, quo vixerat, compertum habuisset. Quare notulae codicis Vallicellani, qua idem Cresconius episcopus, qui Canones collegerit, Iohannidem scripsisse fertur, iure suo viri docti fidem denegarunt, quamvis et Fogginius eodem fere tempore, quo Iohannis, Canonum illam collectionem scriptam esse bene demonstraverit, et Mazzucchellius multa in Corippi libris inesse viderit, quae episcopum non dedeceant[5]).

Aliis igitur adiumentis omnino destituti viri docti Corippi res indagantes in libris eius solis coniecturae magis lubricae quam notitiae certae ansam quaesiverunt. Iohannidos praefatione proceres Carthaginienses allocutus[6]) poëta tunc primum se carmina, quae in provincia latens panxerit, palam urbis civibus tradere profitetur[7]). In patriae igitur municipio quodam tunc Corippus grammaticus degit naturae, regionum, populorum Africae gnarissimus auctor, rerum gestarum, quas carmine celebravit, testis. Iohannide, quam perbrevi tempore post bellum Mauricum finitum, anno 549 vel 550 scripsit[8]), viros eos, qui Africae tunc praeerant, Iohannem magistrum militum per Africam et Athanasium Africae praetorio praefectum[9]) summis laudibus extulit, Iustinianum raro admodum nec nimia unquam adulatione memoravit. Forsan hoc ipso poëmate virorum clarissimorum favorem sibi ita conciliavit, ut eorum ope e loco humili et obscuro maiores ad spes evectus Byzantium mitteretur munusque id acciperet, quo Iustiniani imperatoris extremis, Iustini primis temporibus fungebatur. Altero enim, quod tempus tulit, in opere, panegyrico in laudem Iustini minoris poëta ipse se principis officium gestare fatetur[11]). Quod officium quale fuerit non dubitaremus, nisi eum locum (laud. Iust. IV 142—190), quo poëtae verbis disertis memorabatur, librarii neglegentia mutilum codex Matritensis exhiberet. Corippus ibi narrat, quomodo strenas Iustinus consul dispensaverit. Primum senatores citantur, post eos deinceps viri quidam, qui senatoria dignitate inferiores iisdem tamen, quibus senatores,

5) Fogginius in editionis praefatione p. XII (p. LXII apud Bekkerum). Mazzucchellius in editionis praefatione p. IX (p. XV apud Bekkerum).

6) Ioh. praef. 1. 35.

7) Cor. Ioh. praef. 25 quid[quid ego] ignarus quondam per rura locutus,
urbis per populos carmina mitto palam.

Fuerunt, qui e versu 25 Corippum ante Iohannidem carmina bucolica scripsisse demonstrare posse sibi viderentur. cf. Baehr. Gesch. der röm. Literatur I⁴ p. 650. Sed verbis 'per rura', quae urbis civibus opponuntur, nihil denotatur nisi locus, ubi antea poëta latuerat.

8) Ioh. praef. 1. 2. 13. 22. 33. I 9—13.

9) Ioh. IV 232—239. VII 199—208.

10) Ioh. I 14—22. II 24. IV 687. VII 145.

11) Anast. 47. 48.

donis ornantur. Scribarum officio hos viros functos esse poëta indicat[12]. Cum autem versus, quibus accuratius titulum munusve eorum denotasse videtur, inter versum 172 et 173 interciderint — id quod Theodori Mommseni sagacitate perspectum est —, utrum de tribunis et notariis, an de scriniariis, an de utrisque simul agatur, parum certo dignosci potest. Iam vero Corippum ipsum eo in numero fuisse, tribuni igitur et notarii vel scriniarii munere functum esse ipsius verbis ita, ut dubitari nequeat, demonstratur[13]. Optime cum hoc loco alius convenit, quo poëta quaestoris sacri palatii sub nomine se principis officium gestare asseverat[14]. Quaestor enim non officium proprium habebat, sed adiutoribus e scriniis variis selectis utebatur[15].

Primis regni Iustini annis, quibus panegyricum in laudem Iustini scripsit, iam fessus senio[16] Corippus erat et insuper calamitatibus quibusdam, quae fortunam eius merserant, ita afflictus, ut non suis viribus, sed imperatoris tantum ope resurgere posse sibi videretur[17]. Quid adversi Corippo acciderit, e paucis parumque dilucidis indiciis, quibus de infortunio suo loquitur, pro certo cognosci vix potest. Nihil constat nisi casu quodam infelici ('fortunae ira') Corippi patrimonium periisse ('nudatus propriis') eumque ab imperatore expetivisse, ut beneficio ('sine composito medicamine', 'munere') paupertatem suam sublevaret. Si quid ultra audere liceat, equidem ad locos duos respexerim, quibus Africae provinciae miserias Corippus ita lamentatur, ut ipsum eius calamitatibus oppressum esse suspiceris[18]. Forsitan heredium, quod Corippo in patria fuerat, bello Maurico infausto sub finem regni Iustiniani funditus deletum erat. Iam ad imperatoris misericordiam confugiens, quo certius voti compos fiat, poëta ab

---

12) in laud. Iust. IV 181—185 namque illos donis conscriptis patribus aequos
esse dedit, cum distet honor. vigilantia noctis
hoc meruit carisque favens sapientia Musis.
doctior et princeps novit, quod littera rerum
pars magna est, magnusque labor scribentibus instat.

13) in laud. Iust. IV 173—176.

14) Anast. 47. 48.

15) Not. Dign. Orientis XII. '(Quaestor) officium non habet, sed adiutores de scriniis quos voluerit'.

16) laud. Iust. praef. 37 senio dextram pie porrige fesso.
laud. Anast. 48 fessae miserere senectae.

17) laud. Iust. praef. 41 vince meae saevam fortunae, deprecor, iram.
vincere fortunam plus est quam vincere bella.
nudatus propriis et plurima vulnera passus
ad medicum veni, precibus pia pectora pulsans,
ad medicum, verbo pestem qui submovet uno
et sine composito medicamine vulnera curat.
huic ego sananti, si qua est fiducia servis,
grates semper ago et pro munere carmina porto.

18) laud. Anast. 36 generaliter orbi
quamquam provideas, miseri specialiter Afri
in te oculos atque ora ferunt. agit Africa grates,
et vestram iam sentit opem, gaudetque, quod ampla
semper Anastasii referunt solacia cives.
me quoque gaudentem, quaestorum maxime, redde.

laud. Iust. I 18—21

Anastasio quaestore sacri palatii, ut imperatori res suas afflictas commendet, petit[19]. Dignum se esse, cui beneficia Iustini obveniant, 'sacris apicibus'[20], Iustiniani principis decreto demonstrat, quo officii diuturni praemia quaedam nactus esse videtur. De decreto honestae missionis poëtam loqui crederem, nisi ipsius verbis etiamtunc eum principis in officio fuisse compertum haberemus.

Paupertate, cui imperatorem subventurum esse sperabat, poëta extremis vitae annis, ut carmine senili Iustini laudes caneret, adductus est[21]. De tempore, quo panegyricus scriptus sit, iam Fogginius in editionis praefatione tam scite et diligenter egit, ut nemo post eum hanc quaestionem tetigerit, quin eius scrinia compilasse satis habuerit. Non eodem omnes libros tempore, sed quartum aliquanto post tres priores publici iuris factum esse recte Fogginius e libri tertii fine collegit, quo poëta non omnia, quae Iustinus gesserit, parvo libri eiusdem spatio comprehendere se posse, sed multa 'dilata parum, non praetereunda' in posterum relinquere fatetur. Ac tres quidem priores libros primis haud dubie mensibus regni Iustini Corippus scribere coepit. Nullo enim nisi hoc tempore, quo Iustiniani funus, Iustini coronatio, Avarum legatio irrita omnium in ore erant, hebdomas[22] prima regni Iustini poëtae digna videri potuit, quae librorum trium narratione epica celebraretur. Sed sano sagacique iudicio Fogginius iam libri primi versus duos invenit, quae anno demum secundo Iustini imperatoris (566/7) scribi potuerunt, quo Aetherius et Abdius, qui contra Iustini vitam coniuraverant, gladio percussi criminis poenas dederunt[23]. Eorum enim ad supplicium optimo iure Fogginius vaticinationem illam retulit, quam sacra Pietas Iustino dormienti imperium accipiendum renuntians apud Corippum portendit:

laud. Iust. I 60 quisquis erit vestrae, per se cadet, invidus aulae,
adficietque viros legum pius ensis iniquos.

Constat igitur vix ante anni 566 finem primos panegyrici libros in publicum emissos esse. Nec vero post annum 567 factum id esse e praefatione elucet, quae scripta est, priusquam Avares et Langobardi incursionibus imperium Romanum vexare coeperunt.

Quando quartus panegyrici liber publici iuris factus sit, nescimus. Veri simile est paullo post ceteros tres eum prodisse[24], bellis deinde ingruentibus vel morte poëtae inani panegyrici ludo finem impositum esse.

---

19) laud. Anast. 41 me quoque gaudentem, quaestorum maxime, redde.
quod labor indulsit, quod fessis provida Musis
alma per insomnes meruit vigilantia noctes,
hi sacri monstrant apices. lege, summe magister,
et causam defende meam. tibi sanctio vestrum
commendat famulum.

20) Ne quis Fogginio adstipulatus ipsos panegyrici libros a Corippo 'sacros apices' appellari credat, paucos locos adscribo, e quibus solemne id nomen fuisse decreti imperatoris appareat. Sidon. ep. 1, 5. 6, 8. Cod. Iust. II 8, 6. XI 42, 11.

21) laud. Iust. praef. 48 grates semper ago et pro munere carmina porto.

22) In tres libros priores id cadit, quod Guilelmus Teuffelius incautius de toto Corippi panegyrico contendit: 'Die Anlage ist so weitschweifig, dass diese 4 Bücher nur die ersten acht Tage von Justin's Regierung umfassen'. Geschichte der röm. Literatur. § 484.

23) Theoph. ed. Classen I p. 373 τούτῳ τῷ ἔτει Αἰθέριος καὶ ὁ Ἄβδιος καὶ ὁ σὺν αὐτοῖς ἰατρὸς ἐπεβούλευσαν τῷ βασιλεῖ Ἰουστίνῳ, γνωσθέντες δὲ ἀπέθανον ξίφει.

24) In quarto etiam libro versus pauci extant, in quibus scribendis poëta coniurationis suppliciique Aetherii et Abdii meminisse videtur. IV 348—363.

III.

Iohannidos Corippeae codices plures medio aevo extiterunt:

Casinensis, quem medio fere saec. XI° Desiderius abbas scribi iusserat[1]),

Budensis, quem Ioh. Cuspinianus vidit[2]),

tertius codex (*Veronensis* forsan), e quo a. MCCCXXIX° versus pauci in Florilegium Veronense (Veronensem 168, antea 155) recepti sunt[3]).

Cum autem Casinensis iam saeculo XVIII° frustra a Fogginio quaesitus sit[4]), Budensis post bibliothecam Corvinam direptam nusquam innotuerit, tertii codicis praeter excerpta illa Veronensia vestigia alia inventa non sint, unus liber *Trivultianus* ad nos pervenit.

Codicibus tribus, qui perierunt, in titulo operis librorumque numero restituendis adiuvamur. Titulo enim Trivultianus caret, nisi quod in dorso litteris evanescentibus nomen 'Crestonius' exaratum est. Casinensis 'de bellis Libycis' inscriptus fuit, Budensis et codex is, quo Florilegii Veronensis auctor usus est, 'Iohannidos' titulum prae se tulerunt. Neutram inscriptionem spernendam, utramque a poëta ipso operi inditam esse iam dudum viri docti perspexerunt. At nuper demum quaestio de librorum Iohannidos numeris profligata est. In codice Trivultiano neque titulis disertis neque numeris, sed spatiis tantum intermissis libri singuli distinguuntur. Quae intervalla diligenter respiciens Mazzucchellius septem Iohannidos libros discrevit. Cum autem octo libros Budensem continuisse Cuspiniani testimonio constet, octavum librum periisse credere assuevimus, quamvis, quid libro eo enarratum esset, vix quisquam divinare auderet. Non vero librum octavum temporum iniquitate nobis surreptum esse, sed quartum et quintum librarii neglegentia in Trivultiano codice in unum praegrandem[5]) coaluisse, Gustavus Loewe intellexit excerptis Veronensibus inspectis, quibus librorum, e quibus electa sunt, numeros Florilegii auctor adscripsit. Iam locus, quem octavo e libro exscripsit, in septimo editionum, loci tres, qui libro sexto addi-

---

1) Petrus Diaconus Leonis Marsicani continuator in Chronicis monasterii Casinensis inter libros, 'quos Desiderius in hoc loco describi praecepit', enumerat 'Cresconium de bellis Libicis'. Mon. Germ. Hist. Script. VII p. 747.

2) Ioh. Cuspinianus. de Caesaribus et Imperatoribus 1540 p. 216. 'Bellum vero Libycum, quod Iohannes contra Aphros gessit: Fl. Cresconius Gorippus VIII libris prosequutus est, quibus titulum fecit Iohannidos, quos in Regia Bibliotheca Budae repperi. Hi sic incipiunt: Signa duces (*sequuntur quinque libri primi versus*)'. Praefatio huic codici defuisse videtur.

3) Gustav Loewe. Ueber eine verlorene Handschrift der Johannis des Corippus. Rhein. Mus. N. F. XXXIV p. 138—140. 1879. In libro manu scripto, cui titulus est 'flores moralium auctoritatum', Gustavus Loewe novem Iohannidos locos invenit: Ioh. I 146—149. 573. 574 II 111. 112. 337—339. 392. 393 VI 149—151. 231. 232. 480. 481 VIII 6. 7.

4) Fogginius (Praefatio editionis panegyrici in laudem Iustini p. X) in Indice librorum Casinensium Clementis VII[i] iussu confecto, qui in codice Vaticano 3961 extat, hunc titulum invenit: 'liber Cresconii. incip. Victoris'. Anno igitur MDXXXII° in monasterio Casinensi fuisse codicem constat. Fogginium autem bibliothecae Casinensis curator certiorem fecit 'nullam ibi restare membranam, quae Cresconii nomen prae se ferat, nullam, in qua de Bellis Libycis agatur'.

5) Liber quartus editionum versus 1171 continet, primus 581, secundus 488, tertius 460, quintus 773, sextus 542, septimus 656. Etiamsi librum primum foliis duobus deperditis deminutum olim 705 fere versus continuisse, septimum lacuna magna finisque interitu breviatum esse meminerimus, nunquam tamen libri quarti, qui et ipse (IV 201) lacuna magna imminutus est, ambitum iusto nimium esse infitiabimur.

cuntur, in quinto editionum inveniuntur. Librorum igitur numeri, quos Mazzucchellius constituit, ita immutandi sunt, ut liber V^{s} VI^{s} VII^{s} editionum VI^{s} VII^{s} VIII^{s} nominentur, liber IV^{s} bipartitus numeris IV et V signetur. Vbi liber quartus exeat, quintus incipiat, pro certo diiudicari nequit[6].

Codicem Trivultianum, qui domus nobilissimae bibliothecam privatam inde a centum triginta fere annis exornat, ut ipse Mediolani in domo ea diligenter denuo excuterem, Iacobus Trivultius, marchio nobilissimus, Theodoro Mommseno petenti liberaliter concessit. Plures quotidie per horas codici conferendo operam danti mihi nunquam non adfuit comes nobilissimus Iulius Porro, in quo viro egregiam eruditionem atque doctrinam iucundissimae comitati et facilitati sic iunctam vidi, ut, fructumne maiorem an delectationem eius ex sermone perceperim, ne nunc quidem dicere queam. Quandocunque ad libri manuscripti locum difficiliorem, parum diligenter scriptum rescriptumve deveneram, consilio cum viro doctissimo collato dubitationes solvere mihi licuit. Quotiens oculorum animive acie nimiam post intentionem obtusa operam paulisper intermiseram, confabulatione brevi iucundissima refectus plena alacritate ad negotium redii. Viro tam egregie de studiis hisce merito quin publice etiam grates agerem, facere non potui.

Trivultiano in codice non integra Iohannis inest. Iam enim in libro antiquiore, e quo Trivultianus manavit, libri octavi finis defuit, locisque compluribus modo folia, ni fallor, singula (IV 200 VIII 369), modo foliorum partes (VI 585—591 VIII 622—626. 650—656) perierant. Ne ipse Trivultianus quidem temporum iniquitatis immunis fuit. E foliis enim septuaginta, quae singula sexagenos binos fere versus Iohannidos continebant, secundum et septimum (I 22. 270) interciderunt.

Codex chartaceus a librario parum perito parumque diligenti saec. XIV apicibus minusculis scriptus est. Quid legerem, aliquotiens dubitavi. Neque enim litterae *i u n m*, ubi inter se iunctae occurrunt, certo semper dignosci possunt, et versus nonnulli secunda manu, quae a prima haud facile discernitur, ita immutati sunt, ut ne summa quidem oculorum iudiciique intentione dubitationem omnem tollere possis. Ceterum secundae manus lectiones non e codice ullo manasse, sed coniecturis raro felicibus ortas esse neminem fugiet.

Iam Trivultiani codicis de *orthographia*, cuius brevem conspectum viri docti Iohannidi emendandae operam navaturi requirent, pauca praefari liceat.

e ae oe nunquam, *i y* raro discernuntur

u pro *o* ponitur in his vocibus:

conglumero VI 484
contursit IV 839
cumclausus I 551
cumcurro IV 1017
cumvenio II 74
cumvolvo VII 447
cuncutio I 158
heulis (Aeoliis) II 256
lucutus praef. 25 II 336 III 12. 53
lurica VIII 493
muriturus IV 202
muvet IV 525
rubor IV 1069
rumuleus IV 893
trepulis (Tripolis) II 117
uliua II 203 III 32. 72. 256

6) Gustavus Loewe sic librum dividendum esse suspicatur, ut quarto versus 644, quinto 527 addicantur.

h omittitur in vocibus:

abena II 60
arena *ubique praeter* I 92. 472 II 254. 257 IV 955
as I 14
asta *passim*
astile *passim*
aurio, auxisse (hausisse) III 349 IV 804
exaustus I 193 III 118
inexaustus III 105
erba IV 776
erilis IV 37
eros IV 290
imerius IV 8
ora VII 314
ordea II 73
orreo VI 392
orresco III 115 IV 562
orridus I 251 II 145
orrificus IV 1073
orisonus (horrisonus) I 163
ortor I 159. 225 IV 262
ortus VII 336
baccus III 71
caribdis I 218
caron IV 325
etra IV 388
particus II 382
phetonteus III 38
pulcer I 430
terrinteus (Tirynthius) VI 212

h additur vocibus:

habeo II 224
hafer IV 232
herinis III 37
heris (aeris) II 249
heulis (Aeoliis) II 256
hilaguas II 87. 96. 106. 210. 345
hore praef. 24
hostendo I 519
hosto (obsto) II 231 IV 650
coheo I 216
perhennis I 479
perhentus (peremptus) I 189 IV 434
prohiecit I 91
gigantheus I 453
linthea I 274
olimphus I 253. 259
trophea III 299

p obtruditur vocibus:

alumpnus I 122
columpna II 277
dampno I 303
dampnum II 302
fugiptivus I 560
numptius *vel* nuptius (nuntius) I 576 II 85
sompnus I 235. 513
teptoria (tentoria) II 101. 430

l et *r* inter se confunduntur:

albor I 221 III 257. 325 VIII 516
alx VI 184
celebrum IV 755
clura I 307 IV 92
conflactus I 357
plora I 348
camarus (*alias* camalus) VI 732
fragellum III 380 VI 18

s et *x* inter se confunduntur:

abstruxus III 177
extuo (aestuo) II 292
extus II 160
ferox (feros) III 351
fixus (fisus) VI 188 VIII 618
milex II 435. 455 III 321 IV 5 VI 310
feros (ferox) II 61
finserat IV 669
iunsere VII 294
disiunsisset I 340
iusta (iuxta) IV 478. 489. 525
minas (minax) III 430.
velos IV 662
vos (vox) IV 686

ss et *x* inter se confunduntur:

auxisse (hausisse) III 349 IV 804
bellaxe IV 206
confoxus IV 1008
implexe II 238

iuxi I 113. 414 VI 295 VIII 47
iuxio VII 511
iuxus IV 533. 1054 VII 476
obsexus I 551 IV 8
tolleraxe II 318
fississet I 459
lassus IV 1076
vessare III 17 VIII 17

ti ponitur pro *ci* in vocibus:

auspitium I 127
bizatium VI 280 VII 285
otius I 210. 348 VI 40
solatium *passim*
sotio IV 526. 639
sotius *passim*

tt et *ct* confunduntur:

attus III 97. 194
coattus II 346
fattus I 7 VIII 428
defettus VI 470
imperfettus I 407
praevettus (praefectus) IV 837
fletto VI 624 VII 222
hettoreus I 185
humetto VIII 357
iatto III 1
deiettus I 253 IV 1081
delittum I 303
matto IV 1062
nottem IV 255 (I 278)
pettus II 449 IV 798 VII 115. 176
rettor III 43
erettus I 439 III 283 IV 525 VI 748
spetto III 231. 294 VI 645 VII 5
aspettus I 259 III 351
exspetto II 193 (VII 111)
tettum I 335. 464 IV 46
vetto VI 386
vettator III 253
transvettus II 85
micto praef. 26
imicto (immitto) II 77
promicto I 508
remicto I 493
actentus III 57

tt ponitur pro *pt* in vocibus:

atto II 129. 280 VIII 501
cattus III 20
incettus II 38. 187
precettus I 116. 300 II 272 VI 503
cettus (coeptus) I 409 II 354
otto IV 736
rattus II 199 III 296
direttus I 30 II 474
settus I 178 III 219

Praepositionum litterae extremae in verbis compositis verborum litteris primis tantum non semper accommodantur. Praepositio *ex* ubi cum verbis a littera *s* incipientibus componitur, fluctuat codex. Semper fere *s* servatur. Sed duobus in verbis *s* eicitur:

execo VIII 542. 623
exupero II 214

Panegyrici quoque in laudem Iustini minoris editio, si paucissimos locos exceperis, in uno codice nititur, sed in codice antiquiore optimae notae.

Matritii in bibliotheca nationali Cajon 14. Num. 22 liber manu scriptus asservatur, cuius de fatis in charta membranis praefixa haec enarrantur: 'Hunc codicem Gotthicum pene lacerum Vallisoleti pretio redemit Michael Ruyzius Azagra imperatoris Rodolphi II[i] secretarius. Quo mortuo ab eius haeredibus impetravit et in hanc bibliothecam [*scil.* Toletanam] transtulit Iohannes Baptista Perezius Canonicus et fabricae huius ecclesiae Toletanae praefectus anno MDLXXXVII'. Saeculo IX[o] hunc codicem scriptum esse 'non ex coniecturis, sed fide plane certissima' sibi persuaserat Ruizius, qui plura de aetate et origine eius Dracontii in editione, quam pararet,

publici se iuris facturum promisit[7]. Cum autem Dracontii recensio Ruiziana nunquam typis expressa sit, non Ruizii ipsius, sed amici eius Iohannis Perezii testimonio utimur, qui Ovetensis olim ecclesiae in libris Ruizii codicem fuisse asseveravit[8]. Vnde Ruizius et Perezius, quae de codice noverunt, hauserint, minime nos latet. Etiamnunc enim in vetustissimo libro ecclesiae Ovetensis, qui a Philippo rege in bibliothecam Escorialensem translatus est ibique etiamnunc (R II 18) asservatur, inventarium bibliothecae Ovetensis extat anno DCCCCXX⁰ aerae Hispanicae, DCCCLXXXII⁰ p. Chr. n. scriptum[9]). Quo in inventario cum alia opera, quae in codice Matritensi insunt, Catonis, Dracontii, Sedulii, Eugenii episcopi Toletani carmina memorantur, tum 'in laudem Iustini minoris, in laudem Anasthasii'[10].

Codicem Matritensem cum post Ruizium editorum Corippi nemo viderit, mihi primo denuo excutiendum praebuit fortuna prospera. Viri enim insignes et liberales, quibus hodie summa rerum apud Hispanos commissa est, quod privato nemini adhuc concesserant, ut venerandae antiquitatis librum ad exteros transmitterent, id monumentorum historiae Germanicae curatoribus ut denegarent non sustinuerunt. Itaque contigit, ut anni proximi aestate liber pretiosissimus Matritio Berolinum perveniret, ubi in bibliotheca regia eum excussi. Ad Corippum codicis Matritensis folia 17^b—51^a pertinent, in quibus haec insunt:

1) fol. 17^b—19^a. Periochae barbare scriptae, nec tamen in editione praetermittendae, cum is, qui composuit, Corippi panegyricum integrum, non lacunis scatentem, viderit. Epitomes eius menda corrigere, lacunas explere editores potuerunt, cum singula eius enuntiata aliquanto breviora in margine libri iuxta panegyrici locos eos, ad quos pertinent, iterum scripta extent. Periochae in capita divisae sunt, quae eadem numeris iisdem litterisque magnis initialibus notata in panegyrico ipso librarius distinxit. Periocharum pars postrema iam in codice eo, e quo Matritensis manavit, perierat folio, ut videtur, uno intercepto, in quo praefationis etiam initium exaratum fuerat.

2) fol. 19^a—20^a sequitur praefatio Corippi initio mutila.

3) fol. 20^a—21^a commendatio carminum, quam ad Anastasium quaestorem Corippus scripsit, continetur. Cui titulus praefigitur 'panigiricum in laudem Anastasii questoris et magistri'.

---

7) Corippi de laudibus Iustini libri IV primum e tenebris in lucem asserti per Michaelem Ruizium Assagrium Celtiberum Antverpiae 1581 p. 74. 'in nostro exemplari, quod, ut alibi ad opus Dracontii poëtae de Fabrica mundi, et ad carmina simul D. Eugenii Episcopi Toletani diffuse praefati sumus, non ex coniecturis, sed fide plane certissima, constat ante septingentos, et eo amplius, annos fuisse descriptum, semper *totiens* et *quotiens* leguntur'.

8) Perez in notis ad caput VII Isidori de viris illustribus: 'is liber, Gothicis litteris descriptus, fuit olim Ecclesiae Ovetensis, postea apud Michaelem Ruizium Azagrium amicum meum'. cf. Arevali ad Dracontium prolegomena V 42 p. 35.

9) Viage de Ambrosio de Morales per orden del rey D. Phelipe II a los reynos de Leon, y Galicia, y principado de Asturias para reconocer . . . . y libros manuscritos de las Cathedrales y Monasterios. dale à luz Henrique Florez. Madrid 1765 p. 94. 95. Itin. Ant. edd. Pinder et Parthey Berolini 1849 p. XX. XXI.

10) Litteris Ewaldii, qui vir doctus nuper librum Escorialensem inspexit, certior fio cum alios quosdam titulos tum verba 'in laude Iustini minoris liber' non prima manu, sed in spatio, quod vacuum prima manus omiserit, altera manu paullo recentiore saeculo, ut videatur, IX⁰ scripta esse.

4) fol. 21^a—51^a panegyrici ipsius libri quattuor. Inter folium vicesimum primum et vicesimum alterum (I 27) codicis folium unum intercidit, quod versus circiter quinquaginta quattuor continuisse videtur. Inter versus IV 172 et 173 librarii a folii 47^i pagina priore ad posteriorem transcedentis neglegentia versus complures omissi sunt. Lacunis ceteris, quae in fine libri quarti versus haud paucos, in medio panegyrico modo verba singula, modo versus dimidios hauserunt, tantum non omnibus iam codicem antiquiorem, e quo Matritensis descriptus est, deminutum fuisse constat.

Liber Matritensis litteris Visigothicis pulcherrimis tamque perspicuis pictus est, ut, quid librarius scripserit, dubitari nusquam possit nisi locis iis, qui ab aliis postea immutati sunt. Manus enim recentiores tres in codice inveniuntur, quae facillime et inter se et a prima manu discernuntur. Ac de tertia quidem et quarta, quibus coniecturae paucis codicis locis additae sunt, verba facere haud operae pretium est. De secunda, quae violentius grassata saepissime ea, quae prima manu scripta erant, modo verbis additis complevit, modo immutavit, modo erasit erasaque rescripsit, quid iudicem, breviter exponam.

Locis plerisque, quos tetigit, secundam manum veram medellam attulisse vestigiis eius perlustratis nemo infitiabitur. Quarum emendationum in numero quamquam permultae insunt, quas linguae Latinae gnarus quivis excogitare potuit, sunt tamen, quas ne sagaci quidem ingenio praeditus clericus monachusve ullus invenire valuerit. Exempla pauca eligo:

		1 m.	*2 m.*
II	136	audiunt	audiit et
	382	pater cui	patri qui
III	22	tura abea	tura sabea
	88	quem repta	que sarepta
	183	muneris	numeris
	202	aura	aëra
	280	cuncta	cincta
	357	geniti	gentes
	371	dominis	donis

Locos tales codicis ope correctos esse negare non ausus aut libro manu scripto eodem, e quo Matritensis totus descriptus est, aut apographo eius alio correctorem usum esse suspicor. Aliis enim emendandi subsidiis instructum eum non fuisse inde apparet, quod lacunas maiores omnes, minores multas vacuas reliquit. Nec vero libri illius antiquioris verba restituisse corrector satis habuit, sed sua eruditione suoque ingenio genuinam carminum Corippi formam revocare se posse confisus non modo orthographiam codicis hic illic immutavit, sed versus multos, quos mutilos invenerat, libero arbitrio explevit, alios, quos corruptos iudicavit, coniectura refinxit. Sunt loci, quibus commenta eius facillime perspiciantur perspectaque reprobentur. Exempla sufficiant haec:

		1 m.	*2 m.*	*legendum.*
I	102	et faciem ira loci	et faciem iraque loci	et facie miranda loci
	257	iaces	*vel* iacet	iaces
	258	pectore toto	pectore tuto	pectore toto
	278	neto auro	necto auro	neto auro
	296	eximiis	extremis	ex imis

	1 m.	2 m.	legendum.
II 104	iure	sure	terrae
166	equo	equor	echo
200	sedens una	sedens una comes	sede sedens una
228	qui nec	que nec	quin et
294	lacerna	lucerna	lacerna
III 22	fragrantia	flagrantia	fragrantia
50	istri	astris	Istri
99	levissima gustu	lenissima gustu	levissima gustu
246	tygres	tygrides	tigres
351	non	nam	non
IV 99	auserat	hauserat	auxerat
220	librant	liberat	librant

Ad quantam coniciendi audaciam manus secunda processerit, duobus praecipue e locis elucet, quos iam dudum viri docti restituissent, si codicem Matritensem inspicere iis contigisset. III 277—280 Avarum regi ne Persas quidem armis obsistere ausos esse Avarum legati his verbis iactant:

quem Persae timuere feri genibusque minantis
admovere manus: pacem meruere precando.
ni fieret, frustra celsis Babylonia muris
cincta foret dominos Avares nunc ferre parata.

Ita videlicet versum 280 editores plerique constituerunt, cum nihil amplius nisi codicem

dominos humeris nunc ferre parata

exhibere a Ruizio comperissent, verba quattuor postrema secunda manu in litura exarata esse nequaquam suspicarentur. Quid prima manu scriptum fuerit, parum liquet, cum apices eius altera manu adeo erāsi sint, ut nihil dignoscere queas nisi

dominosq . . b . . . .

Quae frustulae tam plene cum Ovetensis fragmenti, de quo mox agam, lectione

dominosque Avares nunc patria ferret

conveniunt, ut prima manu in Matritensi

dominosque Abares nunc patria ferret

scriptum fuisse suspicer. Quo coniecturae fundamento usus iam facile versum restitues

dominosque Avares nunc Parthia ferret.

Atque hunc quidem locum, in quem mendum pusillum irrepserat, secundae manus coniectura temeraria prorsus corruptum esse vix quisquam infitiabitur.

Eadem violentia locum alium nulli unquam suspectum manus secunda interpolavit. Libri II v. 159 sqq. quomodo Iustinus a patriarcha Constantinopolitano benedictus sacroque diademate cinctus sit, Corippus enarrat.

postquam cuncta videt ritu perfecta priorum
pontificum summus plenaque aetate venustus
adstantem benedixit eum.

Verba 'ritu', 'venustus', 'eum' tam commode secunda manu addita sunt, ut nemo ea in dubium vocaret, nisi nomen patriarchae a poëta memoratum esse e periochae enuntiato

margini inscripto intellegeretur: 'A Iohanne pontifice Iustinus imperio consecratur'[11]. Cum autem periocharum auctor aliis fontibus usus nullis e panegyrico solo sua hauserit, quin in fine versus 160[i] Iohannis nomen interciderit, vox deinde 'venustus' secundae manus coniectura speciosa addita sit, non dubito.

Iam vero tot talibusque exemplis a secundae manus lectionibus cavendum esse haud dubie evincitur. Quod cum perspexissem, primam manum pluris facere coepi, secundae auxilio usus, quoad erroribus apertis mederetur.

Restat, ut de orthographia primae manus codicis Matritensis pauca referam:

e, *ae*, *oe* fere nusquam, *i*, *y* raro discernuntur.

h perperam additur vocibus:

honero II 385 (h *erasum*)
horbis *passim*
hos III 223 IV 245
hostrum I 326
humerus *passim*
hurbs *passim*

h demitur vocibus:

abeo I 88 II 82. 149. 248. 250 IV 333
abitus I 117 III 224
coibeo II 343
exibeo I 222
proibeo I 108
arena *passim*
aurio IV 172
exaurio II 261. 269 III 275
erba II 15. 95. 292 IV 205, erva I 323
ervosus IV 199
erus Anast. 20 Iust. I 91
erilis II 115. 296 IV 368
ibernus III 282
iems I 328 III 52
ilaris II 334 III 245 IV 144
ircanus III 246
irundo IV 257
istoria III 122
onor IV 335
ora I 293 III 2
orresco III 242. 342 IV 24
orribilis praef. 5
ortor I 155
ostis II 39 III 336
umanus I 273
ueor IV 339
acat IV 369 (achates)
baccus III 87
bracia *passim*[12]
carta II 363. 368. 393. 395
clamis II 119
corus III 43
pulcer *passim*
pulcritudo Per. III 6
scola III 158 IV 188
itacus III 93
particus II 106
sciticus III 300

p post *m* omittitur in vocibus:

comtus *passim*
emtus IV 14
ademtus I 307
redemtrix IV 298
sumsi *passim*
sumtus I 2
temto I 208 III 396

11) Fuerunt, qui librarii coniectura inepta nomen Iohannis in periochas irrepsisse crederent eo maxime argumento fisi, quod Iustiniani post mortem Eutychius patriarchatum Constantinopoli gesserit. Sed Iohannem Scholasticum, non Eutychium tunc temporis patriarcham fuisse satis constat. cf. Zonaras XIV 9, 10 (III p. 284 Dind.). Theophanes ed. I. Classen I p. 373 Ἰουστῖνος . . στεφθεὶς ὑπὸ Ἰωάννου πατριάρχου.

12) Vno loco I 202 altera manu signum ⊢ spiritui aspero simile post c insertum est in verbo 'bracia'.

b in ***u*** mutatur in vocibus:

aceruus II 379
aluus III 99
baruarus praef. 40
ciuus II 378
deuita II 389. 401 III 307
erua (herba) I 323
eruosus IV 199
gleua II 241
glouus II 320
laudauilis IV 159
liuer IV 70
liuertas IV 4
pleues II 279. 306. 338
preueo *passim*
prouo II 184 IV 234
prouitas III 225. 313
rouor IV 15. 366
superuia III 317
superuus *passim*
tiui Anast. 45
ualatus IV 204
uellum praef. 42 III 95
ueruum praef. 45
uibo Anast. 13
maneuit III 133
superauimus (*pro* superabimus) I 256

u in ***b*** mutatur in vocibus:

abis III 53
abitus II 175. 179
estibus I 321
caberna IV 25
cabo IV 56
cibis II 339
circumballo III 195
fabeo, fabor *passim*
fabus IV 29
flubius III 285
fobeo II 218
fugitibus III 322
fulbus III 100 IV 370
lebus III 177. 201 IV 239
mobeo I 178. 311 II 328
nibes III 282
nobus III 70. 134
pabeo II 33
parbus III 106
sebus III 242
vibo II 333
vibus IV 191
-berat I 281 III 122. 200 IV 60
-bit *pro* -vit Anast. 32 Iust. I 48. 117. 147 II 276 III 93. 211. 212. 294. 295 IV 189. 271. 289. 318

p in ***b*** mutatur in vocibus:

abto I 6. 294 IV 36. 229
abtus II 224
obtimus Anast. 17
obto *passim*

c et ***q*** confunduntur in vocibus:

lincunt IV 25
secuntur IV 203. 235
quum (coniunctio) *passim*
vaquus I 177

n et ***m*** confunduntur in vocibus:

amfractus I 331
volumtas I 54 II 286
inber IV 73
inperito IV 237
inperium III 80
inpero II 214. 426 III 38 IV 325

Praepositionum in verbis compositis orthographia non nimis fluctuat. Raro extremae praepositionum litterae primis verborum accommodantur.

ad servatur ubique in vocibus:

adcumulo
adloquor
adpono
adque
adsiduus
adsigno
adsto
adsurgo
adtollo
adtonitus
adtuli

ad praepositionis littera posterior semper omittitur in vocibus:

ascendo
aspicio
aspectus

ad praepositionis littera posterior semper litterae insequenti adsimilatur in vocibus:

accedo
accitus
accelero
annuo
accipio

ad ante *f* modo servatur, modo in *f* mutatur:

adfigo III 259 IV 57	afficio I 61
adflo II 292	affligo II 377. 410
adfui III 163. 214 IV 374	afflo III 153 IV 121

cum praepositionis littera postrema
ante *l* modo in *n* modo in *l* mutatur,
ante *p* et *n* semper, ante *m* plerumque in *n* mutatur

conlacrimo Per. I 5	colligo
conmendo	commemoro
conmercium I 111	commertium II 372
conmitto	commotus
conmunis I 215	communis II 146. 255
	comunis Anast. 20

in praepositio omnibus in compositis servatur.

sub praepositionis littera postrema ante *m* modo servatur, modo in *m* mutatur:

submitto II 32 IV 229	summitto Per. II 2
	summoveo praef. 45

Ac de codice Matritensi haec hactenus. Iam ad reliqua editionis huius subsidia transeamus, quae non ad totum panegyricum, sed ad libri tertii partem posteriorem pertinent. Versus enim III 271—407, quibus Avarum legatio ad Iustinum missa enarratur, separatim aliquotiens medio aevo descripti esse videntur. Editionis primae a Ruizio comparatae in margine variae versuum eorum lectiones inscriptae sunt. Quas unde sumpserit, Ruizius ipse p. 89 hac adnotatione profitetur: 'Ceterum pleraeque variae lectiones[13]) ad marginem ipsius Corippi poëmatis a nobis appositae ad finem usque huius tertii libri conspiciuntur, ex antiquissimo quodam volumine *Ovetensis* Ecclesiae collectae sunt, ubi duae hae orationes legati regis Avarum et Iustini imperatoris cum aliis variis operibus continentur'. Iam vero cum Ruizii ipsius testimonio lectiones illas marginales non omnes, sed plerasque e fragmento Ovetensi depromptas esse comperiamus, unde ceterae desumptae sint, quaeramus. Inspiciendus primum versus III 280

cincta foret dominos humeris nunc ferre parata (*Matrit. 2 m.*),

cui Ruizius in editionis margine duas lectiones inter se magnopere discrepantes adscripsit. Quarum altera

dominosque Avares nunc patria ferret

13) post verbum 'lectiones' pronomen relativum 'quae' intercidisse videtur.

emendationis certae egregium fundamentum[14]), a genuina lectione

dominosque Avares nunc Parthia ferret

litteris tantum duabus transpositis differt, altera

didicit dominos patientia ferre

interpolatio est audacius quam ingeniosius excogitata. Atque hanc quidem lectionem perversam non eodem in libro a Ruizio inventam esse, e quo meliorem illam emendatione dignam hauserit, veri simillimum, ne dicam certum, est. Nec frustra quaeremus, utra Ovetensi debeatur, utra alio e codice manaverit. Annis enim fere triginta antequam Ruizius primus Corippi panegyricum totum edidit, una cum Sidonio Apollinari anno MDLII° ab Elia Vineto e codice Santonensi 'Epistola regis Avarum ad imperatorem Romanum' publici iuris facta erat, quae duodeviginti versibus Corippeis interpolatione audaciore inquinatis III 271—288 constabat. Sidonii editionem primam ac tunc temporis unicam quin Ruizius noverit, dubitari nequit. Epistolam regis Avarum eum inspexisse, lectionesque a codice suo discrepantes editionis in margine adnotasse, quis neget, qui ipsam illam perversam versus III 280 formam

didicit dominos patientia ferre

in Epistola regis Avarum extare viderit? Quodsi meliorem tantum illam versus III 280 lectionem Ovetensi deberi, interpolatam Santonensis codicis esse pernovimus, ceteras etiam versuum III 271—288 lectiones futiles, quae et editionis Ruizianae in margine et in Epistola regis Avarum inveniuntur, soli Santonensi, non Ovetensi, vindicabimus. Adscribo has lectiones perperam huc usque Ovetensi addictas:

	Matritensis	*margo Ruiz* (*ex Santonensi*)
III 279	ni fieret, frustra celsis Babylonia muris cincta foret,	ne forte excelsis frustra Babylonia muris cincta foret
282	hibernasque nives cursus qua frenat aquarum	hibernos cursus quando refrenat aquarum
284	vidimus extensos vitrea testudine pontes	vidimus et tectos vitrea testudine pontes
287	cognatos latices laticum concreta tegebant	cognatos latices laticum cum crusta tegebat

Omnibus his lectionibus segregatis quindecim notae margini primae editionis adscriptae supersunt. Ac tribus quidem locis III 323. 346. 393 fragmenti Ovetensis lectione in textum recepta Ruizius ea, quae in suo codice (Matritensi) invenerat in marginem relegavit, duodecim locis III 276. 280. 284. 294. 344. 350. 365. 368. 371. 372. 376. 390 lectio marginalis fragmento Ovetensi debetur. Iam de 'antiquissimo illo volumine Ovetensis Ecclesiae, ubi orationes legati Avarum et Iustini imperatoris continebantur', iudicium laturi, si Matritensem etiam codicem Ovetensem olim fuisse meminerimus, duos hos libros artissima inter se affinitate coniunctos fuisse nequaquam mirabimur. Locis quattuor Matritensis lectio prima manu exarata cum Ovetensi fragmento conspirat[15]):

14) cf. p. LIII.

15) Ne quis forte Ruizium III 284. 344. 350 Matritensis manus primae lectionem margini adscripsisse, Ovetensem cum secunda Matritensis manu consensisse credat, meminisse iuvabit Ruizium, ubicunque Matritensis textum altera manu immutatum invenisset, alteri manui soli confidere, priorem prorsus neglegere solitum esse.

	Matritensis 1 m.	*Matritensis 2 m.*	*Ovetensis*
III 280	dominosq . . b	dominos humeris nunc ferre parata	dominosque Avares nunc patria ferret
284	pontes	postes	pontes
344	vidit sub nostris humiles fractosque triumphos	vidit per nostros humiles factosque triumphos	vidit sub nostris humiles fractosque triumphis
350	grate	gratis	grate

Ceteris omnibus locis, si unum exceperis, tam exigua inter eos differentia intercedit, ut aut Ovetensem e Matritensi nondum correcto aut eodem utrumque descriptum credere possis ex archetypo, cuius a lectione scriba modo hic modo ille oculi calamive lapsu paululum aberraverit. Sed uno in verbo Matritensis et Ovetensis prorsus inter se discrepant:

	Matritensis	*Ovetensis*
III 276	plene	potu

E lectione genuina, quam Matritensis servasse videtur, scribae unius errore altera illa, quam Ovetensis exhibuit, nasci vix potuit. Qua re perpensa librum Ovetensem, ut hominum cognationis nominibus utar, Matritensis nec filium nec fratrem, sed fratris forsitan filium fuisse suspicor. Certius multo de affinitate, quae inter codices singulos intercedat, iudicaremus, si fragmentum Ovetense ipsum inspicere accuratiusque examinare possemus. Nunc Ruizii in adnotationibus solis innixi, quid veri sit simillimum, reperisse satis habebimus.

Transeamus ad codices interpolatos *Santonensem* et *Laurentianum* saec. XII plut. 45, 26 fol. 115, qui Sidonii carminibus adiectos versus Corippeos duodeviginti III 271—288 continent, quibus titulus praefixus est in Santonensi 'Epistola regis Avarum ad imperatorem Romanum', in Laurentiano 'Epistola regis Avarorum directa ad imperatorem Romanorum'. Hoc Corippi fragmentum e Santonensi iam Elias Vinetus, e Laurentiano primus Bartholomaeus Kopitar [16]) typis expressit. Laurentianum deinde iterum Aemilius Baehrens [17]), denique huius editionis in usum amico meo Arthuro Ludwichio intercedente Hieronymus Vitellius, professor illustrissimus Florentinus, diligenter excussit. Santonensis et Laurentianus ut inter se egregie consentiunt, ita interpolationibus inquinati a veteribus illis duobus codicibus, Matritensi et Ovetensi magnopere differunt. Nec vero accuratius lectiones varias perlustrantem affinitatis cuiusdam, quae codices interpolatos cum Ovetensi iungit, vestigia parva latebunt. Mendis paucis, quae in Matritensem irrepserunt, et Ovetensis et interpolati codices carent et versu III 276, in quo Ovetensis a Matritensis lectione aberrat, propius ad Ovetensis lectionem interpolati libri accedunt.


Matritensis	*Ovetensis*	*Santonensis*	*Laurentianus*
plene	potu	potuit	potuit.

Si fundamento tam angusto ad cognationem codicum indagandam uti licet, interpolatos

16) Bartholomaeus Kopitar. Hesychii glossographi discipulus et ἐπιγλωσσιστής Russus in ipsa Constantinopoli saec. XII—XIII. Vindobonae 1839 p. 65. Cum librum hunc ipsum inspicere mihi nunquam contigerit, pauca, quae de eo dicenda mihi erant, ex Hauptii Opusculis III p. 370 deprompsi.

17) E. Baehrens Handschriftliches zu Corippus. Rhein. Mus. N. F. XXXI p. 630.

libros aut ex Ovetensi ipso, aut e codice eiusdem familiae originem ducere statuerim. Stemma librorum hoc fere fuisse arbitror.



Quoniam de codicibus Corippi satis dictum, iam paucis exponam, quo modo his subsidiis editores usi sint. Panegyricum Corippeum primus Ruizius (1581) e codice suo (nunc Matritensi) tam diligenter et scite descriptum, tam sobrio sanoque iudicio emendatum publici iuris fecit, ut in eo editores post eum peccasse videantur, quod Ruizio parum confisi suo ingenio indulgere quam editionis primae vestigia premere maluerunt. Quamquam enim virorum doctorum, Casparis Barthii maxime sagacitate iam saec. XVII° loci corrupti haud pauci sanati sunt, tamen editiones omnes, quae tunc prodierunt, Dempsteri (1610), Rivini (1653), Rittershusii (1664) magis magisque a textus forma genuina recesserunt. Ne de Fogginii quidem editione (1777), qui locos nonnullos ingenio felicissimo restituit, plures coniecturis erudite et diligenter excogitatis frustra temptavit, aliter iudices. Cautius paullo ceteris Iaegerus (1779) egit, qui editionem Ruizianam magis secutus ipse pauca sane, aliquid tamen ad panegyricum emendandum contulit. Vt Iaegerus Fogginii editionem paullo ante publici iuris factam non noverat, ita ipsius editionem Immanuel Bekkerus (1836) ignoravit, qui in Corpore scriptorum historiae Byzantinae Corippum recensendum susceperat. Bekkerus in panegyrico edendo Fogginii plerumque vestigiis inhaesit. Ipse hoc carmine senili non ita delectatus esse videtur, ut in eius emendationem operam magnam impenderet.

Carmini in laudem Iustini minoris explicando iam Dempsterus, Barthius, Rittershusius operam navarunt locis scriptorum antiquorum multis congestis, quibus modo poëtae genus dicendi, modo res ab eo memoratas illustrarent. Sed omnium optime de interpretatione historica panegyrici Corippei Fogginius meritus est, qui de antiquitatibus aulae Byzantiae, de rebus gestis Iustini imperatoris, de viris ceteris temporis illius clarissimis multa adnotavit, de vita et scriptis poëtae praefatione verae eruditionis plena omnia exploravit, quae intellegi tunc poterant.

Necdum enim alterum eiusdem Corippi carmen epicum de bellis Libycis in lucem promptum erat, quod primus Petrus Mazzucchellius (1820), bibliothecae Ambrosianae praefectus, e codice Trivultiano edidit. Mazzucchellio difficilius multo opus quam Ruizio obvenerat. Non codicem antiquum bene pictum, sed neglegentius scriptum mendisque ita scatentem invenit, ut, si quid in legendo vel in emendando parum feliciter enucleavit, haudquaquam eum vituperare, sed tota editione in iudicium vocata mirari deceat, quam accurate et diligenter munere suscepto functus sit. Adnotationibus quoque uberrimis editionem auxit, quibus et rerum Iohannide narratarum interpretationem hi-

storicam magnopere adiuvit, et poëtarum, quos Corippus legisse, expilasse, imitatus esse videtur, locos ita collegit, ut non modo litterarum historiae studiosis iudicium de poëtae ingenio promptum et apertum esset, sed etiam emendationi Iohannidos subsidia aliunde accita pararentur. Quibus studiis ut se ipsum ad Corippi Iohannidem recensendam egregie accinxerat, ita aliis viam criticam munivit. A. 1836 altera Iohannidos editio comparuit, Bekkeriana Corpori scriptorum historiae Byzantinae inserta. Debemus huic recensioni enuntiatorum distinctionem multo meliorem, textum deinde diligenter purgatum et perpolitum Lachmanni et Bekkeri curis, qui coniecturis ingeniosis saepe Corippi verba genuina librariorum neglegentia offuscata restituerunt, aliquotiens ipsius codicis Trivultiani lectionem a primo editore parum perspectam divinarunt. Bekkero, quem natura acumine summo, sua industria eruditione plenissima ornaverat, unum in libris Corippi recensendis defuit: codicum a nullo unquam nisi a primis editoribus inspectorum nova collatio. Nemo unquam Corippi libros legit, quin e libris manuscriptis iterum excussis fructum haud levem perceptum iri sibi persuaderet. Nec puto plus iusto mihi sumere eam spem contendens non vanam fuisse, quique deinde carmina haec infimae sane aetatis, sed pretii non infimi tractabunt, certo et stabili fundamento usuros esse, quo adhuc studia Corippea caruerunt.

Iam opere absoluto finem scribendi qui faciam, nisi omnibus, qui in Corippo recensendo, explicando, emendando me adiuverunt, gratias publice dixerim? Praeter ceteros viros nobilissimos et doctissimos, quos suo quemque prooemii loco ita memoravi, ut, quid ad hanc editionem augendam contulerit, appareret, unum ex amicis Vratislaviensibus quin grato animo hic nominem facere non possum, Hugonem Michael, gymnasii Fridericiani praeceptorem. Quocum in rebus difficilioribus tantum non omnibus tam saepe consilium contuli, ut neque editionis librum, nec prooemii partem ullam denotare possim, in qua eius auxilium mihi defuerit.

Tot tantorum virorum curis benevolis ne indigna editoris studia videantur, opto et oro.

Vratislaviae Idibus Octobribus a. 1879.

Iosephus Partsch.

INDEX NOTARVM.

T = Codex Trivultianus saec. XIV.
V = Excerpta Veronensia saec. XIV.
Mazz. = Corippi Iohannis ed. Mazzucchellius Mediolani 1820.
Lachm. = Coniecturae Lachmanni apud Bekkerum.
Bekk. = Corippus ed. Imm. Bekkerus Bonnae 1836.

M = Codex Matritensis Caion 14 Num. 22. saec. IX.
O = Fragmentum Ovetense.
S = Codex Santonensis.
L = Codex Laurentianus plut. 45, 26 fol. 15 saec. XII.
Ruiz = Corippi in laudem Iustini ed. Michael Ruizius Assagrius Celtiberus Antverpiae 1581.
Dempst. = Corippi in laudem Iustini ed. Thomas Dempsterus. Lutetiae 1610.
Barth = Casp. Barthii adversariorum commentariorum libri LX. Francofurti 1624.
Riv. = Corippi in laudem Iustini ed. Andreas Rivinus Lipsiae 1653.
Ritt. = Corippi in laudem Iustini ed. Nicolaus Rittershusius Altorfii Noricorum 1664.
Goetz = Rittershusii editio denuo typis expressa et notis amplioribus aucta, indice locuplete instructa curante Andrea Goetzio Altorfii Noricorum 1743.
Vonck. Spec. = Corn. Val. Vonckius Specimen criticum. Traiecti ad Rhenum 1744.
Vonck. Lect. = Corn. Val. Vonckius Lectiones Latinae. Traiecti ad Rhenum 1745.
Fogg. = Corporis historiae Byzantinae nova Appendix. Corippi in laudem Iustini ed. Petr. Fr. Fogginius Romae 1777.
Jaeg. = Panegyrici veteres ed. Iaegerus Norimbergae 1779.
Bekk. = Corippus ed. Imm. Bekkerus Bonnae 1836.

CORIPPI
IOHANNIDOS
SEV
DE BELLIS LIBYCIS
LIBRI VIII.

PRAEFATIO.

Victoris, proceres, praesumpsi dicere lauros.
tempore pacifico carmina festa canam.
scribere me libuit magnum per bella Iohannem,
venturo generi facta legenda viri.
omnia nota facit longaevo littera mundo,
dum memorat veterum proelia cuncta ducum.
quis magnum Aeneam, saevum quis nosset Achillem,
Hectora quis fortem, quis Diomedis equos,
quis Palamedeas acies, quis nosset Vlixem,
littera ni priscum commemoraret opus?
Smyrnaeus vates fortem descripsit Achillem,
Aeneam doctus carmine Vergilius.
meque Iohannis opus docuit describere pugnas,
cunctaque venturis acta referre viris.
Aeneam superat melior virtute Iohannes,
sed non Vergilio carmina digna cano.
maxima ductoris, quod sum temerarius, acta
virtutesque viri victaque bella docent.
nutat in angustum discors fortuna poëtae;
laureus inde furor, pallidus inde timor.
concitat ad cantus series fidissima rerum.
incalui gestis frigidus ingenio.

Praefatio *add. Mazz.* 1 uictores *T*, uictoris *cod. Casinensis* 5 littara *T* 7 noscet *T* 9 palamedas *T* 12 uirgilius *T* 13 pugna *T* 16 uirgilio *T* 17 sim *Mazz.* 18 docent *Bekk.*, donant *T*, canam *Mazz.* 21 cantum *Lachm.*

doctorum ingenium docto non carmine canto,
    et retinet linguam torpor in ore meam.
quid * ignarus quondam per rura locutus,
    urbis per populos carmina mitto palam.
forsitan et fracto ponetur syllaba versu,
    confiteor; Musa est rustica namque mea.
nempe admittenda est dicendae gloria laudi.
    fraudabor solus munere nulla canens?
concitat ora magis, pulsus de pectore, terror.
    laudibus emissis sit favor ore meo.
quos doctrina negat, confert victoria versus.
    carminibus fessum gaudia tanta levant.
gaudeat in multis sic si Carthago triumphis,
    sit mihi rite favor, sit, rogo, vester amor.
rustica Romanis dum certat Musa Camenis,
    ductorem nostrum fama per astra vehit.
si placet, ut primi recitem mea dicta libelli,
    tunc meritus iussis carmina prima cano.

24 hore *T* 25 quid * *T*, quidni si *Mazz.*, quid quod ego *Teuffel*, quidquid ego *malim* lucutus *T* 26 micto *T* 27 et *scripsi*, ex *T* 31 oro *T* 32 emissis *Mommsen*, immissis *T* 34 leuans *T* 35 si *scripsi*, se *T* 37 certa *T* 38 doctorem *T* 40 nunc meritis *Mazz.*

LIBER PRIMVS.

Signa, duces gentesque feras Martisque ruinas,
insidias stragesque virum durosque labores,
et Libycas clades et fractos viribus hostes,
indictamque famem populis laticesque negatos,
utraque letifero turbantes castra tumultu,
turbatos stratosque cano populosque subactos,
ductorem et magno signantem facta triumpho.
Aeneadas rursus cupiunt resonare Camenae.
reddita Pax Libyae bellis cessantibus astat,
certior et geminis fulget Victoria pinnis.
iam Pietas caelo terras prospexit ab alto.
Iustitia comitante simul Concordia mundum
laeta fovens reficit, geminis amplexa lacertis.
has inter medius solio sublimis ab alto,
Iustiniane, tuis princeps assurge triumphis,
laetus et infractis victor da iura tyrannis.
inclita nam cunctos calcant vestigia reges,
laetaque Romano servit iam purpura regno,
sub pedibusque tuis victus prosternitur hostis,
et gentes fera vincla ligant, nodoque tenaci
post tergum implicitas stringunt retinacula palmas.
saeva superpositis plectuntur colla catenis.

* * *

oraque per centum producant pectora cantus.
non mihi sufficerent sensus, non omne canenti
ingenium, lati volitans per devia mundi.
summatim illa canam. summis haec laudibus apta.
Africa sub magno nutabat fessa periclo.
nam fera barbaricis rabies exarserat armis,
insidiis, ferro, flammis populisque superba,
omnia succendens direptae moenia terrae,
captivosque trahens cunctis e partibus Afros.

---

2 stragesque *cod. Budensis*, strages *T* 3 libyae *cod. Bud.* et *cod. Bud.*, ac *T* 7 fatta *T* 8 eneades *T* 11 piceas *T* 13 refecit *T* 14 as *T* 16 et nfractis *T* 17 uestia *T* 22—23 *folium secundum codicis T intercidit. perierunt versus plus minus 62* 26 haec *T*, et *Mazz.* 28 barbariis *T* 30 diretta *T*

iam nullum discrimen erat. non vatibus ullis
parcere. nec senibus potuit concedere fessis
quisquis onus busti. iacuit tunc omne cadaver
confossum gladiis. natis fas non fuit ullis
corpora caesa patrum congestae subdere terrae,
vulnera nec lacrimis permissum infundere iustis.
dum pater opprimitur, nati coniuxque trahuntur,
diripiuntur opes. virtus premit improba Martis,
et pia desertae linquuntur funera terrae.
nobilis et pauper casu rapiuntur in uno.
luctus ubique sonat, terror tristisque per omnes
it metus, et duris turbantur cuncta periclis.
quis lacrimas, clades, praedas, incendia, mortes,
insidias, gemitus, tormentum, vincula, raptus
explicet, aut miseros possit numerare dolores?
tertia pars mundi fumans perit Africa flammis.
iamque pius princeps volvebat pectore curas
pensans, et nostras meditans quem vellet in oras
ductorem mandare ducum summumque magistrum
militiae, tantam cupiens fulcire ruinam.
cuncta revolventi solus virtute Iohannes
consilioque placens fortis sapiensque videtur.
gentibus ipse feris concurrere posse putatur
solus et infestas acer prosternere turmas.
quippe viri decus et praeclari signa laboris
victaque bella placent regni graviora superbi,
expulit ut Persas, stravit quo vulnere Parthos
confisos turbis densisque obstare sagittis,
tempore quo lati manarunt Nitzibis agri
sanguine Persarum, Parthoque a rege secundus
congressus Nabedes, fretus virtute feroci,
amisit socias ipso superante catervas,
effugiensque suas actus formidine portas
claudere vix potuit, mediamque in Nitzibis arcem
Romanos erupit eques, victorque Iohannes
Persarum excelsas concussit cuspide portas.
principis ante oculos discurrunt cuncta fidelis
fortia facta viri. pensat versatque labores,
Theudosiupolin ut densus vallaverat hostis
obsidione gravi; noctis celer ille per umbras
ut veniens dubiae succurrit moenibus urbis,
hostes per medios portas ingressus amicas;
territus utque pedem muris subtraxit ab illis
ingens Mermeroës, densisque ut saevior armis

34 onus *scripsi*, honos *T* 36 surgere *T* 37 infundere *Lachm.*, fundere *T* 43 et metus *T* periculis *T* 49 meditans *Lachm.*, moderans *T* 55 infestas *Bekk.*, infessas *T*, infensas *Mass.* 60 mandarunt nuzibis acri *T* 61 secundos *Mass.* 62 Nabedes *Bekk.*, nec habet *T* 63 admisit *T* 65 mediamque *Lachm.*, medieque *T*, mediaque *Mass.* arcem *Lachm.*, are *T*, arce *Mass.* 66 Romanos erupit *Lachm.*, romanus dirupit *in* irupit *1 m. mutatum T*, irrupit Romanus *Mass.* 70 teodosio ypolin *T* uallauerit *Mass.*

ardua sidereo cingentem moenia muro
inde Daras ausus, ductor qua signa regebat.
appetere et bello Latias temptare phalangas.
sed postquam primam vigilans ex hostibus urbem
eripuit ductor, fugientes inde secutus
occupat ante vias atque omnes vindicat agros,
ne popularet atrox aut quemquam laederet hostis.
primus et obtinuit celsi munimina muri,
nec passus differre diu. nam protinus hosti
fortior in medios ausus concurrere campos,
perculit innumeras felici Marte, catervas
egregiosque duces et iunctas foedere gentes.
Parthorum dominum victum versumque fugavit
Mermeroën. campis Romanum Persa sequentem
tunc metuens manibus gladios phalerasque nitentes
quisque suas medios fugiens proiecit in agros.
indecoris cunctis ensis fulgebat harenis
vaginaeque leves, hastae clipeique comaeque,
corporaque et mistus sonipes telisque superbi
armigeri iacuere ducis. iacuisset et ille
prostratus campis, ni vivum prendere vellet
ductor magnanimus. victus tamen ardua vidit
moenia Mermeroës, paucis comitantibus intrans.
tunc astans mediis dominum benedixit in arvis
Vrbicius sapiens, quem primum maximus orbis
imperialis apex famulum rebusque fidelem
tunc habuit lectum, quemque illas miserat oras
noscere, quae saevi fuerant discrimina belli.
hic ubi victores Romanos fervere vidit
atque hostes vastos pavitantes ire per agros,
extendens geminas pariter cum lumine palmas
ad caelum sic laetus ait. 'tibi gloria semper,
summe deus, victos tandem post tempora Persas
cernere quod merui nostri virtute Iohannis'.
    hos versans princeps animo tunc saepe labores,
hunc solum Libyam oppressam defendere posse
matura pietate probat. nec plura moratus
iussit ab extremis acciri partibus orbis
ductorem. placidus finis dimittit et hostis,
occiduas aditurus aquas, celerique iubentis
implevit praecepta die, victorque recurrens
aurea Romanae tetigit mox limina portae.

---

76 cingebat *Mazz.* 77 claras *T* qua *scripsi*, quasi *T*, qui *Mazz.* 82 ne *Bekk.*, neu *T* ledere *T* 83 occtinuit *T* 84 hostis *1 m. corr. T* 85 ausus *Bekk.*, uisus est *T*, uisus *Mazz.* concurre *T* 89 memor enim *T* campis *T*, acies *Mazz.* Persa *scripsi*, perfusa *T*, effusa *Mazz.* 90 glodios *T* 91 prohiecit in agras *T* 92 indecoris *scripsi*, indecus in *T* 93 aste *T*, *ut solet* 96 uinum *T* 98 mermeroos *T* 99 armis *Mazz.* 100 Vrbicius *scripsi*, urbi cuius *T*, urbicapus *Mazz.* 102 quemque illas *scripsi*, quem nullas *T*, quem ad multas *Mazz.*, -que in nullas (*an* eoas?) *Bekk.* 103 seni fuerat *T* 110 nos *T* 111 nunc *T* 113 iuxit et *T* extremis *Lachm.*, externis *T* 115 adturus *T* 116 precetta *T*

principis ante pedes gaudens stetit ore sereno.
respexit famulum. pedibus celer ille benignis
oscula laeta dedit. paucis hunc orbis Eoi
acta referre iubet. iussus, quae bella peregit,
auribus insinuat placidis. gavisus alumno
imperialis apex optat sic vincere semper.
ilicet auxilio Libyam defendere mittit.
    principis imperiis onerantur milite puppes,
impensis armisque simul, pugnasque docendus
mittitur auspiciis domiturus bella magistri
tiro rudis magni. placidus iam tempore certo
carbasa ventus agens maturas fecerat undas,
navigiumque Thetis suadebat prospera nautis.
maximus at princeps plena pietate magistrum
edocuit, sic verba movens. 'res publica nostra
praemia compensat merito condigna labori
principe me, cunctosque iuvat gradibusque potentes
esse facit, quoscunque viros bene currere sentit
pro terris populisque suis. nunc accipe dicta,
et causas cognosce libens, ac mente teneto.
Africa sub quantis iaceat miseranda periclis,
auribus in nostris sonuit. succurrere fessae
compellit pietas. placuit, fortissime, nostris
et visum est animis Libyam te posse tueri.
signa move, et celsas velox conscende carinas,
ac miseros solitis releva virtutibus Afros.
Laguantanque acies armis prosterne rebelles,
sub nostris pedibus subiectum flectere collum,
compressum virtute tua. tu prisca parentum
iura tene, fessos releva, confringe rebelles.
hic pietatis amor subiectis parcere nostrae est,
hic virtutis honos gentes domitare superbas.
haec mea iussa tenens, ductor fidissime, serva.
cetera Christus agat, noster dominusque deusque,
in melius referens, et te per cuncta gubernet
prosperitate sua. titulis melioribus auctos
pro meritis nos rite tuos videamus honores'.
procidit ante pedes, divinisque oscula plantis
pressa dedit, lacrimisque rigans vestigia tinxit.
ductorem ipse pater cernens discedere princeps
condoluit, pietasque animos concussit heriles.
    inde petens classem nautas hortatur ovantes
magnanimus ductor. deducunt litore puppes.
prima repercussis verruntur marmora tonsis.
solvunt vela citi, magnis clamoribus urguent,

122 alumpno *T* 125 honorantur *T* 128 lytorudis *T* 129 maturas *Lachm.*, moturas *T* 132 sic *Mazz.*, haec *T* 136 que *add. Mazz.* 138 periculis *T* 144 languentanque *T* 147 iura *V*, laurea *T* 149 domitare *V*, domare *T* 152 melius *Bekk.*, medius *T*, manibus *Mazz.* 153 tutulis *T*, ut titulis *dubitans Bekk.* 154 rite tuos *Mazz.*, retecius *T* 158 piceasque *T* cuncussit *T* 159 ortatur *T*

horrisonoque graves laxant stridore rudentes,
expanduntque sinus. placidis iam carbasa flabris
aurae impulsa movent. abscondunt alta carinae,
et latet angustum centum sub puppibus aequor.
prospera maturis crebrescunt flamina Coris,
impelluntque rates. aeratis aequora proris
proscindunt celeres, sulcantur marmora rostris,
spumea sub longis immurmurat unda carinis.
  classis Threïcias angusto litore fauces,
Seston Abydenis dirimit qua pontus ab arvis,
Sigeasque volat ventis secura per undas,
et legit antiquae litus lacrimabile Troiae.
inclita tunc referunt Smyrnaei carmina vatis,
significantque locos alta de puppe priorum.
haec Priami sedes, domus haec Aeneia, longe
arboribus quae saepta iacet. hic saevus Achilles
traxerat Hectoreum curru rapiente cadaver.
Demoleum hoc victor prostravit litore magnum
Aeneas proavus, celsae quo moenia Romae
nomen et imperii praeclarum auctore refulget,
atque tenet latum dominantis foedere mundum.
cunctaque gesta canunt Argivi proelia belli,
concidit Hectorea Patroclus fusus ut hasta,
utque niger Memnon Pelidae vulnere victus,
flevit ut Aurora ingentis pia funera nati,
corruit ut mediis bellatrix virgo catervis
Penthesilea suis, Rhesus qua nocte peremptus,
Troilus utque puer forti congressus Achilli,
victor Apollinea cecidit qua lege sagitta,
quo Paris occubuit confossus vulnere raptor.
ultima post referunt exhaustae incendia Troiae
Aeneaeque fugam, tunc clarum nomine Iuli
ut puerum patremque amissa coniuge secum
navibus evexit, tot per vada caerula currens.
  audiit egregius narrantes proelia Petrus.
audiit ut pueri praeclarum nomen Iuli,
arsit amore novo pectus puerile legendi,
noscere bella volens. magna pietate movetur.
se putat Ascanium, matrem putat esse Creusam.
filia regis erat. mater quoque filia regis.
tunc pater Aeneas, et nunc pater ipse Iohannes.
haec meditatur ovans. pertemptant gaudia mentem.
haec patri, haec famulis, haec omnibus ipse ferebat

---

163 orisonoque *T*   165 ascondunt *T*   166 tentum *T*   171 Threïcias *scripsi*, traicias *T*, traiciens *Mazz.*, *cf. Lucan. Phars. IX 954*   172 sexton *T*   Abydenis *Bekk.*, abideus *T*, Abydenus *Mazz.*   176 priorem *T*   178 setta *T*   181 proauo *Lachm.*   183 acque *T*   184 Argiui et proelia belli *Lachm.*, Arguo proelia bello *dubitans Bekk.*   185 hettorea patroculus *T*   189 pentasilea suis res usqua nocte perhentus *T*   190 troiolusque husque *T*   193 exhaustae *Bekk.*, exauste *T*, exustae *Mazz.*   194 clarum *Lachm.*, clari *T*   197 narrantis *T*   198 audit *T*   ut *T*, et *maluit Bekk.*   199 legendo 2 *m.* *T*

per mare velivolum, genitoris gaudia magni,
unica Romanis rebus spes altera, Petrus.
    labitur Aegaeum classis secura per aequor.
haud secus Hadriacis undis ventisque secundis
ocius alta secat. Siculas mox attigit oras.
deserit aura rates, ventisque silentibus omne
immoto fluctu iacuit mare. lenior unda
litora nulla quatit. siluit tunc Scylla biformis,
latratus siluere canum. non ora luporum
compulit unda ciens ululantia reddere saxa,
quamquam hic alternae coëant confinia terrae,
angustoque freto litus turbetur utrumque.
immotos fluctus nunquam placata Charybdis
continuit, liquidas revomens nec sorbuit undas.
lintea laxa cadunt, nulloque tumentia flatu
arboribus iunxere suis. tunc solvere funes
praecipiens sociis 'portus intrate quietos'
ductor ait. iussi celeres super omnia nautae
armamenta volant. currens hic vela resolvit,
colligit ille sinus, socios hortatur ovantes
dulcibus ille sonis, et cantu mulcet acuto.
dant animos clamore viri. vox ipsa labores
adiuvat, et vires nautis et gaudia praestat.
Caucana Sicani iuxta iacet arva Pachyni
litora curva tenens, cuius tunc ancora portus
Romanae classis morsu perstrinxit obunco.
et iam stelliferas maris asperat Hesperus undas,
inducens terris taetram caligine noctem.
hic dux magnanimus securus puppe Iohannes
carpebat somnos, cautus cum forte magister
ipse ratis placidos persensit surgere ventos.
discurrit puppes pubes festina per omnes
armamenta parans, solvuntque a litore funes
non expectato iussu ducis. omnia nautae
vela levant, totis pandentes lintea flabris.
    iam medium pelagus ventis impulsa tenebat
classis, et extremo surgebat roscida caelo
producens Aurora diem, cum tristis imago
ductoris stetit ante pedes, cognata tenebris.
Maura videbatur facies nigroque colore
horrida et obductis contorquens lumina flammis.
tunc sic orsa loqui. 'quas classi tendis in oras?
in Libyam transire putas'? cui verba remittens
ductor ait. 'cernis nostras transire carinas,
meque rogas'? vultu minitans tunc tristis imago,
horrida sulfureis contorquens lumina monstris,

208 secuta *T* 209 adriacis *T* 210 contigit *2 m.* *T* 211 omne *1 m.*, orae *2 m.* *T* 216 coheant *T* 219 remonens *T* 221 alboribus *T* 222 intrare *T* 225 ortatur *T* 232 stelliferus *Mass.* umbras *1 m.*, undas *2 m.* *T* 233 terris terram *T* 235 sompnos *T* 242 surgebant *T* 246 fulamis *T* 247 classes *T* 250 tuc *T* 251 orrida sulfuriis *T* mostris *T*

'non transibis' ait. sensit, quod mente malignus
angelus ille fuit, claro deiectus Olympo.
nec timuit tamen ipse feras imitantia formas
ora viri. sequitur fugientem, et prendere certat.
ille manu densas aspergens ante tenebras,
pulvere commisto, taetrae caliginis umbra
ductoris turbabat iter. sed rursus ab alto
aspectu placidus senior descendit Olympo,
candida sidereis gestans velamina peplis,
ac stetit ante oculos quaerentis tela Iohannis,
continuitque manum, sanctoque haec addidit ore.
'non furor in tantas animos sic concitet iras.
sperne malum bonitate tua. fuge: dira maligni
iurgia ne timeas'. cui dux 'pater optime' dixit
'virque dei, cernis certantem aditusque viarum
claudere nitentem'. senior tunc mente benigna
haec ait. 'o felix, vestigia nostra secutus
me duce carpe viam'. sic fatus lumine magno
erexit placidus fulgentes lampadis ignis

* * *

tunc vero omnis iners dubia stat mente magister,
et ventis dat terga fugax, victamque fatetur
artis opem, nescitque miser quo flectere puppem.
nec breviata sinu sustentant lintea flatus.
non opus est ullis. deponunt omnia nautae
vela simul, ventisque rates undisque relinquunt.
sparguntur vario diversa per aequora cursu,
quo casus, quo ventus agens, nocturnus et error
forte trahit. saevum miseris fortuna minatur
naufragium. nullam credunt superesse salutem,
desperantque suam per aperta pericula vitam.
ingemuit ductor, mentemque ad sidera tristis
erigit, auxiliumque dei pietate magistra,
ut metus ipse dabat, lacrimis inquirit obortis,
pronus et exorans supplex his vocibus infit.
'omnipotens verbi genitor rerumque creator,
principium sine fine, deus, te cuncta fatentur
auctorem et dominum, et factorem elementa tremiscunt.
te venti nubesque pavent, tibi militat aër,
imperioque tuo nunc arduus intonat aether,
magnaque concussi turbatur machina mundi.
tu scis, summe pater, tu praescius omnia nosti.
non auri cupidus, non ullo munere lucri
in Libyam compulsus eo: sed scindere bellum

---

253 claro *Mazz.*, oculo *T*, alto *malim* deiettus olimpho *T* 254 minitantia *T* 257 terre *T* 259 aspettu *T* olimpho *T* 260 sideriis *T* 262 haec *add. Mazz.* 263 concitat *T* 265 octime *T* 267 claude renitentem *T* benignus *in* benigna *1 m. mutatum T* 270 exexit *T* lampadas *Mazz.* 270—271 *folium septimum codicis T intercidit. perierunt versus plus minus 62* 272 uictamque *Bekk.*, uitamque *T* 274 substant *T* 275 uelis *Mazz.* 278 netturnus *T* 279 forte *Bekk.*, sorte *T* 281 suum *T* 283 eregit *T* 284 uc *T* abortis *T* 287 cunta *T* 291 maghina *T*

et miseras salvare animas haec sola cupido.
hic animis amor omnis inest. huc iussio tantum
principis alma trahit. noster te principe princeps
imperat. ipse tibi meritum debere fatetur
ordine servitium. tu illi nos subicis omnes
et servire iubes. tua sum praecepta secutus.
aspice, sancte, favens, et nostros cerne labores
iam placidus, tantaeque pius succurre ruinae.
sin sua peccantem damnant delicta Iohannem
iudice te, quocunque alio me comprime leto,
pro! Petro nunc parce meo'. quo nomine dicto
haesit in ore sonus, tremuerunt pectora patris,
frigidiora gelu ceciderunt crura manusque,
membraque cuncta labant. lacrimas tunc fluminis instar
fundit, et ingentes gemitus ad sidera tollit.
talibus orantis fletus et verba recepit
suscipiens dominus. validis mitescere ventis
imperat, et clauso frangi sub monte procellae.
effugiunt celeres tenuato vellere nubes.
sol redit, et claro rutilanti lampade caelo
emicat alta dies. explanat marmoris undas
iussio certa dei. venti venere secundi.
consurgunt laeti turbantes omnia nautae,
vocibus et placidis intendunt lintea malis,
implenturque sinus. socias tunc undique naves
accipiunt, totoque refulgent carbasa ponto.
iam propius propiusque volant, et prospera cursu
caerula sulcantes impellunt flamina puppes.
    prospexit tandem succensae litora terrae
ductor, et indomitas Martis cognovit habenas
nec dubium (nam vera ferunt incendia) monstrum.
volvebant venti crispantes vertice flammas,
et fumo commista volans super astra favilla
scintillas tenues summam spargebat in aethram.
surgit et in medio fervet iam flamma profundum,
omnia convolvens succensae robora terrae.
uritur alma seges cultos matura per agros,
omnis et augescit crescentem frondibus ignem
arbor, et in cineres sese consumpta resolvit.
vertuntur miserae caesis cum civibus urbes,
cunctaque diruptis conflagrant moenia tectis.
haud aliter Phaëthon cunctis e partibus orbis
non bene concesso succenderat omnia curru
flammivomis raptatus equis, ni fulmine summo

---

300 tu sum precetta *T* 302 sccurre *T* 303 dampnant delitta *T* 305 proterio nunc parge *vel* perge *T* 306 exit *T* 307 clura *T* 308 flimus istar *T* 311 subspiciens *T*, suscipiens *dubitans Mazz.* 312 clauso monteque procella *T* 313 tenuuto *T* 321 proprius propriusque *T* 324 harenas *Mazz.* 325 mostrum *T* 326 grispantes *T* 327 fauille *T* 328 ethera *T* 329 et in *Mazz.*, etiam *T* 330 comburens *dubitans Bekk.* 333 cinerem *legit Mazz.* 334 miserie *T* 335 direptis *malim* tettis *T* 336 feton *T* 338 in fulmine *T*

omnipotens genitor, terras miseratus, anhelos
disiunxisset equos, restinguens ignibus ignem.
exarsit ductor miserae succurrere terrae,
plus solita pietate fremens, largoque rigavit
imbre genas. virtus solitis flagravit in armis,
iraque praecipites dictabat tendere gressus
in medios fluctus. prohibet natura volentem
et mista virtute modus, quo cuncta regendo,
inclita cum parvis pensans, commissa gubernat.
ocius adductas ad litora vertere proras
imperat, et notae laetus successit harenae.
    litora Byzacii paribus non alluit undis
opposita tellure salum. pars lenior aestu
plana iacet. curvis statio est concessa carinis,
efficiunt portus nimium vada salsa quietos.
hic vis nulla Noti placidos extollere fluctus
mota potest, ventus liquidum nec territat aequor.
pars pelagi quassatur aquis, ripaeque relabens
confractum scopulis latrat mare. pervia saxis
unda sonat, nigramque super diffunditur algam.
illic et Boreas tumidus graviorque procellis
Eurus ab extremo convolvunt aequora fundo.
tunc pereunt miserae dirupto fune carinae.
et pelagi duros tabulae iacuere per agros
saepe ratis putresque simul per gramina prorae.
hinc est, quod metuunt fugiuntque pericula nautae
dira loci, portusque petunt vada tuta quieti.
    illo Romanae steterant in litore classes,
tempore quo Libycas tetigit Belisarius oras,
Vandalicas capturus opes. quos nomine portus
alterna pro parte Caput dixere Vadorum
antiqui nautae. veniens hic vela resolvit
dux quoque magnanimus simili virtute Iohannes.
felix ille locus, statio quo tuta Latinis
classibus atque secunda fuit. tunc ancora morsu
fixa suo tenuit securas litore puppes.
agnovit portus ductor fortissimus illos,
gavisusque locis digito monstravit ab undis,
et sociis sic laetus ait. 'cum prima tenerent
ultrices haec arva rates, hoc litore primus
ipse solum tetigi, fretus iuvenilibus armis.
ex ducibus namque unus eram, cum sceptra tyrannus
Geilamir in Libycis tenuisset perfidus oris.
has Romana manus primo pede pressit harenas.

340 disiunsisset *T* restringens *T* 341 succurre *T* 346 modus *Lachm.*, modnm *T* 348 uertice ploras *T* 350 bizarii *T* 351 opposita tellure salum *Lachm.*, o. t. saltim *T*, t. o. saltim *Mazz.* 352 est concessa *scripsi*, est cessa *T*, concessa *Mazz.* 353 nimius salsa unda *T* 355 nec *T*, non *Mazz.* equo *T* 357 conflactum *T* 361 tunc *T*, hinc *Mommsen* miserie *T* 364 que *add. Mazz.* 365 portusque *scripsi*, portisque *T*, portuque *Mazz.* quieti *scripsi*, quiete *T*, quieto *Mazz.* 373 arcora *T* 376 abundis *T* 377 cum *Bekk.*, dum *T* 379 iuuenibus *T* 382 arenas *T*, *sic fere semper*

hic Libycas potavit aquas. hoc margine fossas
tunc posuit primis veniens exercitus armis.
ille procul tumulus, vicinis proximus undis,
cernitis ut molli congestus crescat harena
mobilitate Noti? ductor Belisarius illic
altius imposuit cunctis tentoria signis,
quem circum posuere duces mistique tribuni.
hoc ego, germano pariter comitante beato,
castra loco tenui. sors, heu, durissima fati,
humanis inimica bonis! o gaudia fratrum
quanta rapit subito veniens mors saeva piorum!
qua virtute fremens germanus perculit hostes
ille meus, sociosque bonus qua mente regendo
continuit, quantumque virum res publica flevit!
non belli rapuit fratrem fortuna potentem,
cum totiens victor saevo remeasset ab hoste.
heu, superas mors dura pios! genitoris imago
Pappus eras natique. mihi solacia tanti
digna mali, victor Stygias quod despicis undas.
haec loca me fratris memorem fecere beati,
et lacrimas movere meas. quae bella peracta
prisca viri! deus ipse mihi meliora secundet.
sit locus hic felix, illo felicior anno
prosperitate dei. tamen haec quo tempore castra
imperfecta manent tanto in discrimine belli,
quot populis subtracta salus! Victoria signis
si faveat per bella meis, ego coepta replebo
munimenta loci firmo solidata metallo'.
sic fatus doluit desertas civibus urbes
et vacuas tacuisse domos, Libycasque ruinas
ingemuit miserans, solvique a litore funes
iussit. et optatis concessit lintea ventis.
tertia lux Tyrios oculis post tempora muros
obtulit. et fessae ductorem reddidit urbi.
    litora vix primis figens vestigia plantis
contigerat: campis acies exire iubebat,
praecipit atque duces densas componere turmas,
signaque ferre iubet. summus dolor incitat iram.
terrae quippe dolens, quam viderat ipse, ruinam
castra movet. iussis parens excita iuventus
deposito torpore micat, omnisque resumptis
bella petit miles gladiis. tunc aere recurvo
aspera raucisoni succendunt proelia cantus.
iamque novem latis erumpunt agmina portis,
cunctaque ferratas effundunt moenia turmas.
hinc equites veniunt. peditum pars lenta movetur

---

383 magine *T* 385 tumidus *T* 395 sociusque *Mazz.* 399 separas *T* 400 Pappus *scripsi*, lampus *T*, Pampus *Mazz.* 401 Stygias *Mazz.*, scias *T* 407 imperfetta *T* 409 cetta *T* 414 iuxit *T* 417 primis *Bekk.*, primus *T* fingens *T* planctis *T* 425 cantu *T*

mille viis, cursuque pedum gemit arida tellus.
qualiter ille favis pulchri regnator agelli
castra movens apium densas exire catervas
imperat et flavis agmen producere terris,
sive parat pugnas adversi concitus ira
forte ducis, fucosve volens arcere malignos
accelerat; iussisque favens festina iuventus
per cunctos aditus crebris alvearia linquunt
exitibus, raucisque acuunt stridoribus hostes:
haud secus in campos tota Carthagine miles
exit, et erectis gaudet procedere signis.
hinc seges aeratis horrescit spissa maniplis.
hi pharetras arcusque ferunt, his lucida latis
arma sonant umeris. hastae clipeique refulgent
loricaeque graves et stantes vertice cristae.
volvitur inde novus densa caligine pulvis,
ventilat assiduas conculcans ungula terras,
aëra sublatae convolvit fumus harenae.
ipse inter primos, exhortans agmina, ductor
fertur equo, solitisque duces succendit in armis,
dum veteres memorat gestas in Perside pugnas.
non aliter posset sensus flammare virorum,
ni Martis laudaret opus. sic Iuppiter ille,
ut veteres aiunt gentili carmine vates,
saeva Giganteo cum staret Phlegra tumultu,
caelicolum turmas, quid vellent fata, monebat,
sternere terrigenas posset quo fulminis ictu,
cuspide qua Mavors transfixos funderet artus,
verteret in montes visa quos Gorgone Pallas,
arcitenens crebris quis ferret fata sagittis,
quosque levis torto fixisset Delia telo.
    iamque per extensos properans exercitus agros
Byzacii carpebat iter, qua Antonia castra
nomine dictus avis locus est. hic castra Iohannes
mox posuit. legati et iam venere tyranni.
hos dux egregius iubet intra tecta vocari
atque referre viros saevi mandata tyranni.
tunc, cui Romanae fuerat facundia linguae,
iussus Maccus ait. 'Laguantan gentis acerbae
ductor magnanimus tibi nos, Guenfeius heros
Antalas, haec ferre iubet. tu nempe, Iohannes,
quem novit Massyla manus Solomonis iniqui
tempore, dux nostris fueras qui proximus oris

---

429 pulsuque *Mazz.* 430 fauis *T*, faui *Mommsen* 437 raucisque canunt *T*, *cf. Verg. Aen. XII 590* hostes *T*, iras *Haupt Opusc. III p. 625* 438 aud *T* cartagine *T* 439 erettis *T* prodere *T* 440 aratis *T* 441 farettas *T* 442 humeris *T*, *ut solet* 443 litoreeque *T* 445 assidue *Mazz.* 447 exorta *T* 449 imperfide *T* 453 cum *Bekk.*, dum *T* 454 quo *Mazz.* monebat *Bekk.*, mouebat *T* 456 arcus *T* 458 crebis *T* 459 fixisset *Mazz.*, fississet *T*, fixum iret *Unger Emendationes Horat. Hal. Sax. 1872 p. 147* 461 bizarii *T* qua *Bekk.*, que *T*, quo *Mazz.* 463 uix *Bekk.* etiam *Mazz.* 464 egregios *T* tetta *T* 465 seni *T* 467 Maurus *dubitans Mazz.* 469 amitalas *T*

vicinaeque maris quondam servator harenae,
non Solomoniacas audisti Marte catervas
tot pariter cecidisse gravi, qua flumina clade
impleret Romana manus, campisque perempti
quot vestri iacuere viri, ductoris et ingens
exitium per bella tui? tu gentibus audes
invictis inferre manum? non quantus Ilaguas
notus Marte tibi, quem tantum fama perennis
prisca canit? cuius iam Maximianus in armis
antiquos persensit avos, Romana per orbem
sceptra tenens, Latii princeps? tu milite parvo,
iam periture, meas audes vel cernere turmas?
aut poteris sufferre manus faciemque virorum
aspicies campis, ductor Romane, meorum?
quin potius converte pedem, vel sumpta retrorsum
signa refer, mortemque cave. sin proelia mecum
mittere posse putas, si te iuvat ire sub umbras,
atque dies suprema vocat, cur signa fatigas?
verba remitte mihi, quae sit tua certa voluntas;
et venio quocunque voles, nec fata morabor.
haec mandata dedit ductor fortissimus ille.
tu, quaecunque placent animo, responsa remitte'.
    tunc placidus gravitate sua nec motus in hostes
ductor ait. 'mihi nunc saevo responsa referre
non opus est hosti. certis sunt ista diebus
maturanda mihi saevi mandata tyranni.
post vobis mandata dabo'. sic ore locutus
ipsos privato iussit custode teneri,
fortia facta parans. illis superesse salutem
quis potuit sperare viris? patientia magni
quanta ducis! quanta est pietas virtusque regendi!
barbara corda tument insano accensa furore.
hic clementer agit moderans gravitate Latina.
noluit ulcisci praesenti morte superbos,
sed voluit salvare humiles fractosque levare.
sic virtus Romana manet semperque manebit.
corripit et salvat, veniam promittit ab ira.
    extulit ut radiis rutilantes Lucifer ignes
Oceani prolatus aquis, tunc castra moveri
cuncta iubet ductor densasque exire phalangas.
signa canens gemit horrendos fera bucina cantus
aere cavo, dulcesque expellit pectore somnos.
dant animos socii (clamor tentoria miscet)
hortanturque parem. famuli tunc fixa revellunt
vela solo, alipedes ducunt praesepibus altis
ornatos phaleris, atque omnia tela resumunt.

---

478 quantum *T* 479 notum est *Mazz.* perhennis *T* 483 nam *T* 484 facemque *T* 487 refers *T* caues in *T* 490. 493 remicte *T* 501 qui *T* 505 presente *T* 506 salutare *T* 508 promictit *T* 510 occiani *T* prolutus *Mazz.* 513 sompnos *T* 514 socii *Lachm.*, sotiis *T*

ast ubi compositis coepit procedere turmis
victricesque aquilas acies ostendere campis.
sic bene sollicito dispensans pectore ductor
admonet ipse duces, causas referensque docensque.
'o Romana manus, spes o fidissima rerum,
o virtus orbisque decus summumque levamen,
imperiique fides et nostri palma laboris,
certa licet vobis, quae sit fiducia genti, est,
ipse tamen memorem insidias fraudesque dolosque,
et metuenda canens et, quae peragenda, revolvens.
proelia dura dolis nunquam caruere malignis.
bella per insidias acies Maurusia gessit
semper, et obscuris fidens subsedit in armis.
solaque Massylas servat fallacia vires,
et timidos bellare facit, dum saxa latebras
montibus in summis aut altis flumina ripis
praestant, aut ubi glauca nemus distendit oliva,
arboris aut altae frondoso vertice robur
efficit occultis acies subsidere campis.
fraudibus his certat committere proelia Maurus,
ut celer incautum subitans exterreat hostem
ambiguumque premat, fretus numeroque locoque
et domitis confisus equis. tunc belliger astu
mittitur, in planos rarus qui proelia campos
provocet et visos fugiens exaggeret hostes.
ille levi cursu praefixo hastilia ferro
vibrat, et incurvo nec cessat flectere gyro
cornipedem domitum. sed cum properaverit hostis,
arte fugit, comptas ut spargat callidus alas,
dum sequitur numerosa manus victrixque putatur
esse sibi, et totos agmen diffundit in agros.
his agit in bellis fingens certamina Mazax
insidiis, donec medios perducat in hostes
hostile obsessis conclausum vallibus agmen.
tunc dolus ille patens saevas effundit habenas,
absconsasque ciet tota de parte catervas.
quem metus acer agit, primo fugit ille tumultu.
hunc premit elatus saevo sub vulnere Maurus,
quem impavidum timor ipse facit. sin robore firmo
constiterint tunc forte viri, non ulla sequetur
audentes pugnare manus, sed colla reflectunt
mollia quadrupedum versi. sic bella relinquunt,
sic acies fugitiva cadit, sic firma resistet.
nam timidos fortuna premet, cautosque iuvabit

519 aciesque *Mazz.* hostendere capis *T* 520 duce *1 m.*, ducem *2 m.* *T* 521 docetque *2 m.* *T in litura* 525 certa licet *T*, certe liquet *Mommsen* est *delet Mommsen* 527 canens *scripsi*, cauens *T* 535 alde *T* 537 his certat *Bekk.*, id certat *T*, inceptat *Mazz.* 538 subitans *T*, subiens *Lachm.*, subeuntem *dubitans Bekk.*, subito *Mazz.* perterreat *Mazz.* 542 exageret *T* 545 proparauerit *T* 546 calidus *T* 549 maxax *T* 551 obsexis cum clausum *T* 553 asconsasque ciat *T* 556 impauidum *Bekk.*, pauidum *T* 560 resistet *scripsi*, restet *T*, resistit *Mazz.*

audacesque simul. multos nam saepe revisit.
et quanti ex ipsis palmam sumpsere periclis!
ut decet esse duces, cauti fortesque trucesque
pandite quisque suas belli in discrimine vires.
sit labor ille animis. acies componite turmis,
cunctaque dispositis incedant signa maniplis.
haec sit praecipue summi cautela laboris.
has vigiles servate vices. his vincitis hostes.
ordine quisque suo praecedant castra tribuni,
interdumque duces, suspectas quaerere valles
et faciles praestare vias. exercitus omnis
his securus erit, cautum nec praevenit hostis
vallatumque. suis at si Maurusia bellum
fraudibus occultis acies assueta parabit,
nuntius ante levis nostras deportet ad aures
vectus equo, cautasque facit properare cohortes.
hoc servate, duces. veram sperate salutem'.
dixerat haec ductor, latum cum vocibus agmen
consequitur festis. laudant plauduntque faventque
exultantque animis et laeti iussa facessunt.

LIBER SECVNDVS.

Pellitur interea cunctis vastator ab oris
Maurus. et adverso trepidus calcatur ab hoste.
deserit obsessas fugiens conterritus urbes,
turbatusque metu montes concurrit ad altos,
diraque munivit posuitque mapalia silvis.
implentur vallesque cavae collesque supini
gentibus innumeris, camposque et flumina late
curva tegunt. latuit densis contermina tellus
agminibus, montesque et celsis frondea silvis
tecta latent pendente casa. fugit inde ferarum
omne genus, saevi reverens venabula Mauri,
nec potuit miserum tantas evadere pestes,
sed iacet affixis resupino in pectore telis.
non mitis volucer ramis permissus in altis
frondibus aut mediis dulces suspendere nidos.
arboribus religant congesto culmine cannas
omnibus, et nullo est vacuum iam in monte cacumen,
qualiter infusae tellus contecta pruinae
nube latet, campique et montes arbor et omnis
albet, et ipse suis artatur motibus aër,

---

564 cautos *Mazz.* trucesque *T* 566 lamor *T* 573 nec *T*, non *V* 576 nuptius *T* 578 sperare *T* 581 facescunt *T*

5 diraque *T*, castraque *Mazz.* mapalia *scripsi*, in prelia *T*, imperuia *Mazz.* 6 implenturque *T* 8 tegunt *T*, tenent *Mazz.* 11 reuerens *scripsi*, referens *T* 13 afflixis *T* 15 subspendere *T* 18 contexta *T*

eripitur crebris facies certissima rerum
imbribus, et nullis noscuntur sidera signis.
quis mihi tot populos gentesque et proelia vates
ordinet arte nova? tu, Iustiniane, favendo
cuncta doce. admisce blanda dulcedine Musam.
temperet insuetis nutant quae carmina verbis.
nam fera barbaricae latrant sua nomina linguae.
primus init bellum, fraterna morte coactus,
Maurorum princeps, Romanis subditus olim
principibus, gratus ducibus fidusque magistris,
Antalas. duramque movens in proelia dextram
erexit furiale fremens, qua turbidus omnis
impulit armatas bellorum ad praemia gentes.
finibus in Libycis suscepta pace fidelis
ille fuit, plenosque decem perfecerat annos.
heu, ducis ignavi quale indiscretio bellum
movit, et extinctas fecit recalescere flammas!
tunc furor incepti posuit plantaria Martis.
perfidiae crimen vel tantae semina mortis
ira dedit. gentes Libyae commovit amaras
acrior et totum turbavit caedibus orbem.
hunc consanguineis sequitur densissima turmis
Frexes, et tumida laudat cervice regentem,
fortis gens et dura viris bellique tumultu
effera, seu pedes it campis praesumpta per hostes,
sive frementis equi pulsat calcaribus armos.
inde leves equitum turmae comitante Siclifan
arma ferunt. saevus medium volat ille per agmen
fisus equo, armatasque movet pulsatque phalangas.
Aor et indomitus latos discurrit in agros.
hinc Sinusdisae bellant per bella cohortes,
Silvacaeque truces et saevis Naffur in armis
Silcadenitque ferus, celsis qui vivida silvis
bella dolis metuenda parat, conterritat hostes
fraude loci, caecisque furens praefertur in ausis.
qui Gurubi montana colunt vallesque malignas,
Mercurios colles et densis Ifera silvis.
quis gravis Autiliten, patris non mollior ausis,
praefectus bellique comes nullique fidelis
ibat, et in gentes scelerum laxabat habenas,
succendens praedansque ferox mactansque trahensque.
Silvaizan Macaresque vagi, qui montibus altis
horrida praeruptis densisque mapalia silvis
obiectae condunt securi rupis ad umbram.

22 inbribus *T* 25 amisce *T* 26 nutant quae *Mommsen*, nutantque *T*, nutantia *Mazz.* 31 anitalas *T* 33 aratas *T* premia *T*, proelia *Mazz.* gens *T* 38 incepti *Lachm.*, incetti *T*, incerti *Mazz.* 39 perfide *T* 41 caedibus *Mazz.*, gentibus *T* 43 laudat *Bekk*, laudant *T* 45 presumta *T*, *sic fere semper* 48 ualat *T* 49 mouet pulsatque *scripsi*, mouent pulsantque *T* 50 indomitos *T* 51 hunc *T* Sinusdisae *scripsi*, sinusdisa *T*, indiuise *Mazz.* 52 saeuus Naufur *Mazz.* 53 uiuida *Mazz.*, inuida *T* 57 infera *Mazz.* 58 patriis *Mazz.* Ausis *Mazz.* 60 abenas *T* 61 ferox *scripsi*, feros *T*, ferus *Mazz.* 64 abiecte *Mazz.*

et quos flumineis fortes intersecat undis,
Silzactae Caunesque leves, qua montis ab alto
dirigit incurvis amnem per gramina ripis,
Vadara, quem planos currentem fundit in agros.
quas Agalumnus alit, venere ad proelia gentes,
nubibus in mediis celsum qui ferre cacumen
cernitur, et lati sustentans sidera caeli
Macubius. gravidis quasque ipsa miserrima culmis
dumosae nutrit perstringens hordea terrae
Sascar. et accitus longis convenit ab oris
Astrices, Anacutasur, Celianus, Imaclas,
Zersilis artatis habuit quos horrida campis.
immittit polluta viros mox Gallica tristes.
nec cessant populos infausti mittere campi,
quos Talalateis nutrix suscepit ab arvis,
Tillibaris; iunctasque mari distendit harenas
Marta mali genetrix. tristes quos cernere campos
vitasset Romana manus, ni fata dedissent
invida saepe, bonis licet, ultima rumpere fila.
sic tibi, summe pater, placuit. sic iussa ferebant.
    nuntius extremas Libyae transvectus in oras
convocat indomitas extrema ad proelia gentes.
convenit innumeris nunquam superatus Ilaguas
milibus, et totum volitans conterritat orbem.
cornipedum saevus laxatis Austur habenis
viribus hunc sequitur fidens, et fortis in armis
et numero superante modum. nam belliger Austur,
sollicitus dubias campis committere pugnas,
collocat astrictis muros fossasque camelis,
atque pecus varium densa vallante corona
ponit, ut obicibus pugnantes implicet hostes
ambiguosque premat. currens tunc saevus Ilaguas
mactat in angustis prosternens agmina muris,
et campos securus adit, sequiturque premitque
caede nova, miserumque furit vastator in agmen.
est aries illis infandi machina belli,
comptaque dispositis ponunt tentoria signis,
horrida gens et dura viris audaxque triumphis
innumeris, nullo bellis quae tempore cessat
impia, crudelis. nullas timet ille ruinas.
sed licuit timuisse tamen, seu iure licebit.
paeniteat saevisse diu. nam fortis Ilaguas
quondam per latos prostratus vulnere campos

---

65 quos *Mazz.*, qui *T* intersecat *scripsi*, interserit *T* 71 substentans *T* 72 ipsa *add. Mazz.* 73 ordea *T*, *ut solet* 74 cum uenit *T* 76 Zerquilis *Mazz.* 77 imictit *T* mox *scripsi*, mosis *in* mons *1 m. mutatum T*, mons *Mazz.* Gallida *legit Mazz.* 78 essat *T* 79 Talalateis *scripsi*, talanteis *T* 80 iunctasque *scripsi*, iuctasque *T*, iucusque *legit*, iunctisque *scripsit Mazz.* maris *legit Mazz.* arenis *Mazz.* 81 Martamali *legit Mazz.* capos *T* 82 infata *T* 83 inuidia *T* alima *T* 85 numptius *T* 87 hilaguas *T* 89. 91 astur *T* 96 ambiguasque *T* hilaguas *T* 101 teptoria *T* 105 tamen *Mazz.*, tantum *T* seu *scripsi*, se *T*, sed *Bekk.* litebit *T* 106 hilaguas *T*

iuncta saeva dedit, praedis bellisque pepercit.
Ierna ferox his ductor erat Gurzilque sacerdos.
huic referunt gentes pater est quod corniger Ammon,
bucula torva parens. tanta est insania caecis
mentibus! ha! miseras fallunt sic numina gentes!
Ifurac infestis venit consultus in armis.
hic pedes insignis clipeo telisque resultat
et mucrone potens, saevum dum tendit in hostem.
Muctuniana manus calidis descendit ab oris,
quae Tripolis deserta colit. Gadabisque maligna
mittit ab arce viros, et saevis moenibus horrens
Digdiga vicinis acies dedit improba ripis.
tunc, Velanideis verrunt qui stagna phaselis,
conveniunt populi, qui currunt arte per aequor,
infixos tremulis iactantes piscibus hamos.
Barcaei solito currunt saevire furore.
deseruere suas et nostras quaerere terras
incipiunt. his arma furor bellumque ministrat,
et genus acre viris. clipeos gladiosque minaces
non solito vinctos lateri, sed circulus ambit
perstringens modicum, complexus brachia gyro,
vaginasque aptant nudis pendere lacertis.
nec tunicae manicis ornant sua brachia Mauri.
insita non ullis stringuntur cingula bullis,
discinctique feras agitant in proelia turmas,
binaque praevalido portant hastilia ferro.
horrida substrictis dependens tragula membris
ex umeris demissa iacet. tunc lintea taetrum
palla caput stringit, nodo suffulta tenaci,
crudaque sub nigra calcatur Maurica planta.
    Marmaridas gentes tot pertulit Africa bellis.
quis miseram superesse putet? non sufficit istud,
o superi! iam audax alternis surgit ab oris
adversa de parte fremens dux ille ruinas,
quas illi Romana manus per vulnera Martis
ante dedit. tantam inde ferus nunc colligit iram.
innumerae gentes illum comitantur euntem,
quae Gemini Petram, quae Zerquilis horrida rura,
quaeque nefanda colunt tristis montana Navusi
desertosque locos; nutrit quos horrida tellus
Arzugis infandae (veteres sic nomine dicunt).
Aurasitana manus celsis descendit ab oris.
non pedes illa potest acies in bella venire,
praevalide sed pugnat eques. tunc lancea duplex

108 iuncta *T*, inguina *Mazz.*, lancea *Haupt Opusc. III 625*, poenas *requiritur* 109 lerna *T* 111 buccula *T* 112 mensibus *V* 113 ifarac *T* consultus *T*, coniunctus *malim* 115 muctone *T* 116 mucamiana *legit*, macumiana *scripsit Mazz.* 117 trepulis *T* 119 dicliga *T* 123 currunt *dubitans Bekk.*, curant *T* 126 est *Mazz.* uirum *Mazz.* 129 attant *T* 132 discinctique *Lachm.*, distinctique *T* 134 fargula *T* membris *T*, loris *Lachm.* 137 calcantur *Mazz.* plancta *T* 141 fremens *T*, *sed* remens *in litura* dux *Mazz.*, dulce *T* 145 geminam *Mazz.* orrida *T* 149 aurisitana *T*

iuniperum ferro validam suffigit acuto.
caetraque saepe levis duro iacet horrida dorso
aut lateri suspensa cadit. substrictus at ipse
mucro fulmineus laevo dependet ab armo.
quique Vadis tepido messes bis tondet in anno
Maurus arans, bino perstringit et hordea culmo,
heu, furit in sicca Phoebi candentis harena.
quantus amor praedae! toleratur fervidus ardor,
sufferturque fames terrarum aestusque sitisque
Martis amore feri turpisque cupidine lucri.
    iam fortis properans densos exercitus hostes
montibus in summis et collibus esse videbat,
fumantesque locos flammis silvasque latentes
agmine condenso nullum monstrare cacumen.
omnia tecta latent. vox undique saeva per auras
indiscreta sonat. lucos silvasque sonoras
tempestate putes nimia veniente moveri,
litore collisas frangentes aequoris undas.
hinc iuvenum clamor, fremitusque ardescit equorum
inde furens. tremulis ululatibus aethera matres
concutiunt. fervet trepido tunc terra tumultu.
pastorum ecce venit fugiens e vallibus agmen
hostis ab adventu. pecudum per prata balatus
consonat, et densa pulvis succrescit harena.
iam sonipes campis laxis currebat habenis,
primus et armentis praedam rapiebat ab altis.
obvius ecce venit saevis de faucibus hostis
rarus, et in nulla comptus procedere turma
cernitur, adversos nec poscere fervidus hostes,
sed tantum clamore furit. tum tragula crebris
nutibus e silvis acies agitata requirit,
auxilioque vocat Maurorum more catervas.
convolat ergo celer prima ad certamina Frexes
Marte levi, tantumque fugax armenta tuetur.
constans nam nullis acies componitur armis.
    non tamen inceptum fuso est cum sanguine bellum.
Geisirith ille potens nam dux praecesserat agmen
ductoris iussu, sapiens et Amantius una,
hostiles temptare locos, perquirere valles
et solito planare vias. nunc aggere celso
Romanae sistunt acies, gentesque nefandas
expectant oculis, magno quae ferre magistro
mente gerunt dubia. nequeunt tolerare tumultus
nec densos lustrare locos. quis cernere posset

153 cetura sepe *T* 156 tepido *Bekk.*, tepide *T* 160 aestusque *Mazz.*, extusque *T* 165 mostrare *T* 167 indiserta *T* 169 littere *T* frangi uento *Hugo Michael* 170 hunc *T* 174 euentu *T* balantum *T* 181 fargula *T* 182 et *T* 184 conuocat *T* 186 constat *T* 187 incettum *T* 188 Geisirith *Haupt Opusc. III 616*, gersirit *T*, Geisirich *Mazz.* 191 nunc *Mommsen*, hunc *T*, huc *Mazz.* 193 exspettant *T* magno quae ferre *Mazz.*, magnoque ferre *T*, magnoque referre *malim* 195 scernere *T*

milia tanta virum? sic si lucusta sub astris
Austro flante cadit Libycos diffusa per agros
vere sub extremo, vel cum Notus aethere ab alto
in mare praecipitem magnoque a turbine raptam
ire iubet: dubiis horrescunt corda pavore
agricolis, segetes ne conterat horrida pestis,
neu vastet fructus teneros hortosque virentes,
mollibus aut ramis florentem laedat olivam.
iamque pedem retrahens ibat Romana iuventus,
ductori responsa ferens. hanc proximus hostis
circumdat levitate sua. iam dura subibant
agmina. conveniunt densi de montibus hostes,
faucibus e cunctis campos funduntur in omnes,
Austur et, indomitis ardens quae fertur in armis,
Mutuniana manus. succedit fortis Ilaguas.
iamque sub hostiles acies transmissa catervas
innumero currebat equo. turbatque premitque,
et magis atque magis densum stipatur in agmen,
exuperatque viros. ipsis artatur ab hastis
campus, et ingenti quassatur terra tumultu.
sic, ubi compellunt currentia nubila venti
murmure cum valido, tot crebris ignibus ardens
nimbus et adversa veniens in fronte procella
influit exactis vasto cum pondere guttis
grandinis infandae: pluviis ventisque subactus
tristia submittens iam frigidus ora viator
dentibus infremuit, victus sic terga reflexit,
et loca tuta petens silvis tectisque cucurrit.
non aliter Romanus eques iam victus abibat,
hoste premente gravi. surgens licet inclita virtus
fortia facta petat, nimius tamen imprimit hostis
conveniens. nec tela viri nec spicula possunt
spargere lenta manu. solus vix sufficit ensis
pellere Marte viros, clipei vix sistere contra
vulnera sufficiunt. tristis tunc aethera clamor
pulsat. susceptis regemunt obstantia telis
scuta virum. infandis agitatur vita periclis.
tunc Romana acies paulatim excedere pugna
nititur, adversosque reluctat prendere colles.
    interea velox placidas concusserat aures
nuntius, ingenti conturbans castra tumultu,
descendisse feros silvis et montibus hostes
innumeros, campos acies implesse nefandas,

---

196 sic si *scripsi*, sub sic *T*, uel sic *Mass.* 198 ether *T* 199 rattam *T* 201 neu *T* 202 uastat *T* 203 uliuam *T* 205 proximis *T* 207 conueniunt *Lachm.*, cur ueniunt *T*, cum ueniunt *Mass.* denti *T* 208 e *Mommsen*, et *T* 209 ardensque fertur inermis *T* 210 Macumiana *Mass.* hilaguas *T* 214 exipperatque *T* 217 con *T* crebribus *T* 219 guctis *T* 224 habibat *T* 226 impremit hosti *T* 228 manus *T* 229 perellere *T* clipeis *T* 231 hostantia *T* 237 discendisse *vel* distendisse *T* 238 implexe *T*

obsessosque locos populis armisque coruscis,
iam potuisse duces tantae succumbere pugnae.
ilicet omnis eques campo decurrit aperto.
nam cunctos civilis amor pulsabat et ardor
ductorisque metus. compellit terga suorum
voce verendus agens, interdum pulsat et hasta.
quos cessare videt. populos excedere castris
imperat, auxilioque suis succurrere dictat.
utque leves aquilas campis produxit apertis
praecessitque duces, illos per castra morantes
increpat et rauci sonitu conterritat aeris.
bucina saepe ciens tremulo gemit horrida cantu.
subsequitur crebris acies collecta maniplis.
ungula sidereos contristat pulvere campos.
et solis pallescit honos radiosque micantes
colligit, oppositaque polus turbatur harena.
praecelsis veluti surgunt de montibus Euri
Aeoliis ferventque graves, verruntque procellae
litus harenosum, tunc tristibus aëra turbant
flatibus, adversis scindentes nubila flabris:
sic campos acies densis Romana catervis
turbat, et absentes pulvis iam comprimit hostes.
cautus ab adversa venientes rupe Melangus
vidit, et ingenti turbans clamore cohortes
barbara signa dedit. paulatim linquere campos
incipiunt, et tuta acies per castra recondunt.
  at veniens fortis vallatus et agmine ductor
montibus in summis astantes conspicit hostes,
incolumesque suos gaudens suscepit ovantes.
hinc, fera quae saevis non tristia bella periclis
gesserat illa manus, referunt faucesque malignas.
praecipit ipse viris fossas et castra locare
haud procul adverso, nimium sed proximus hosti.
perficiunt praecepta citi, planumque per aequor
candida mox niveis figunt tentoria velis.
hic Romana manus positis fortissima castris
per varium discurrit opus. pars arma reponit
alta locis, pensat pharetras arcusque retendit.
arduaque excelsis sustentant vela columnis.
ordine configunt pratis in mollibus hastas,
atque hastis solite per campos scuta reclinant.

239 obsessoque loco *dubitans Bekk.* populi *T* 244 interdum pulsat *scripsi*, inter pulsat *T*, retro compulsat *Mazz.* 249 heris *T* 250 horrido *T* 252 constristat pullere *T* 254 turbatur *Mazz.*, tardatur *T* 255 praecelsis *Bekk.*, precettis *T*, praeruptis *Mazz.* 256 Aeoliis *Mazz.*, heulis *T*, *cf. Ovid. Amor. III 12, 29. Verg. Aen. VIII 454* procella *Bekk.* 257 turbat *T* 258 scindentibus *T* 261 uenientes *T*, uetuentes *legit*, metuentes *scripsit Mazz.* 264 recedunt *Mazz.* 268 fera quae *Mazz.*, feraque *T* non *T*, et *legit Mazz.* 270 precepit *T* 271 aut *T* proximus *T*, protinus *Mazz.* hosti *Mommsen*, hoste *T* 276 farettas *T* 277 arduaque excelsis sustentant *scripsi*. arduaque celis sustentant *T*, ardua quae celsis sustentent *Mazz.* columpnis *T* 278 configiunt *T*

loricasque graves et conos pellibus aptant
suppositis, glandes et cetera tela reponunt.
alipedes meritos pars altera colligit ardens,
pabula certa ferens. epulis volat ille parandis
doctus, aëna locans flammis alimenta ministrat.
hic gelidos fontes puteo rapit, atque per herbas
incurvos parat ille toros, et fercula ponit
cuncta locis aptans dapibus mundansque fluentis.
maximus interea curas sub pectore ductor
volvebat, diversa movens gentesque locosque
captivosque simul, bellum quos gentibus Afros
miscuit et miseros praeda raptante subegit.
aestuat et curis, iterumque iterumque volutat
quid faciat dubius. iam nunc committere pugnas
virtus summa parat. pietas modo parcere dictat,
quippe ne captivos ullo discrimine quasset,
pro quibus arma movet. sensus vigilanter oberrat.
inter utrumque volans animus decernit et obstat.
pectore pugna furit. pietas occurrit et ira.
ac velut agricola immistis cum sentibus arva
ferre videns fruges, maerenti pectore curat
impiger infaustos agris convellere sentes,
sed movet ipsa Ceres; pavitat damnumque repensat,
ne male dimissi perdant aut hordea vepres,
aut bene non pereant tristes cum frugibus herbae:
sic pater alternas pensabat pectore curas
omnia lance probans, animus quo pondere vergat
quidve gerat. nec stare libet nec dulce sedenti
colloquium. tacita geminat suspiria lingua.
dum curis agitur, pendens dum pectus anhelat,
surgit et in mediis mavult confligere castris.
itque reditque vias, animum corpusque fatigans.
hunc paribus curis flagrans comitatur euntem
magnanimum, ductoris honos nimiumque benignus
consiliique decus, lateri Recinarius haerens.
hunc habet in saevis fidum sociumque periclis,
et virtute virum et discreta mente levamen.
illum etiam summis victo Mavorte triumphis
tot nimios gaudet secum tolerasse labores
Martis et ad summam pariter venisse coronam.
et tunc ergo comes curis non impar anhelis
ibat, et alterno placidus sermone levabat.
'nutat in angustis omni de parte periclis
sensus', ductor ait, 'curis et pectus anhelat,

280 attant *T* 281 clandes *T* 285 puteo *T*, portat *Mass.* rapit atque *Mommsen*, raptatque *T*, raptimque *Lachm.* 287 cuncta *Lachm.*, conta *T*, compta *Mass.* locis *T*, focis *Mass.* fluctetis *T* 290 Afris *Mass.* 291 praeda raptante *T*, praedam raptantibus *requiritur* 292 extuat *T* uoluctat *T* 295 ne captiuos ullo *T*, ut captiuos nullo *Mass.* 297 bstat *T* 299 uelud *T* 301 infaustos *Bekk.*, infaisstos, *litterae* o *superscripta est littera* i *T*, infestos *Mass.* 302 sed mouet *T*, ut monet *Mass.* dampnumque *T* 303 demissi *T* 314 ricinarius *T* 318 tolleraxe *T*

dum movet in dubiis, quae sit fortuna salutis.
maxima damna ferens rerum victoria non est.
aut, ea si pereant, pro quis ad proelia veni,
quid lucrum victoris erit? me namque fatigant
omnia mista malis. hinc damnum triste minantur,
hinc laudem differre volunt: partosque triumphos
de nostris manibus missa pietate retollunt.
captivi pereunt misti cum gentibus Afri,
si pugnare placet. quae nostri gloria facti,
si miseros damus? nullus iam vincitur hostis.
consule, quid moveat duri in discrimine belli,
atque gerenda refer'. placide haec Recinarius heros
edidit et modice plana cum voce locutus.
'omnia dispensans misto moderamine virtus
haec summa est, haec sola placet, haec vincere gentes
ac placare potest. praestat quod, maxime ductor,
virtutem indomitam sancta pietate revincis.
quidquid deinde geras, nostrae est victoria partis.
sic ordo, sic cuncta docent. modo mittere duro
legatos opus est promissa pace tyranno.
captivos revocent. nostris discedat ab oris
ille furens Austur saevae seu gentis Ilaguas.
principis ipse iugum solite sufferre coactus
subiecta cervice vehat. si cesserit ille,
omnia salva fient. ignosces gentibus insons,
et placide dabitur nostris victoria rebus.
at si fors tumidus steterit cervice rebellis,
tunc armis superandus erit. nec paenitet unquam
pro miseris, si morte cadant. peccata Iohannes
nulla feret. pietas animis illaesa manebit
coepta tuis'. placuere duci consulta fidelis
iusta viri. curisque pater resolutus ab illis
non vacat. alterna franguntur pectora cura.
consilium maturum alit, et mandata superbo
tunc iubet armigerum celerem perferre tyranno,
talibus atque docet. 'perfer mea dicta rebelli.
his monitis nostris aures contunde superbas.
dum gentes peccant, pietas Romana remittit,
cunctaque deletis donat delicta libellis.
perdere non properat quamcunque in proelia gentem,
paeniteant si bella tamen, si foedera rerum
subiecti veniamque sibi pacemque requirant.
sed princeps clementer agens sic omnia mavult

---

328 hic *T* 329 deferre *Mass.* 333 demus *Mass.* 335 placido aricinarius *T* 336 et modice *Mommsen*, in modice *T*, in medio *Mass.* lucutus *T* 337 dispensat *V* 339 ac *Bekk.*, acque *T*, atque *V* placore *V* 341 nostra *T* 344 reuocent *scripsi*, reuocet *T*, reddat *Bekk.* 345 saeuae seu gentis *Mass.*, seue scu gentis *T*, saeuo sociatus *malim* hilaguas *T* 346 princeps *Mass.* solitae *Mass.* 350 tumida *Mass.* 351 peniteat *T* 354 cetta *T* 357 et *add. Mass.* 360 hic monitus *T* 361 dum *T*, cum *dubitans Bekk.* 363 quacunque *T* 364 poeniteat *Mass.* 366 sic *T*, haec *legit Mass.*

esse sua, ut cunctos salvetque habeatque regatque,
subiectos relevans, frangens virtute superbos.
non tua sollicitus teneat modo pectora terror
peccatis obstricta tuis. namque omnia prosunt,
si redeas, veniamque tibi pacemque volentes
ultro damus. discent, quae sit Romana potestas,
tot populi, et quae sit pietas virtusque regendi.
quae miserum fortuna tenet? nosterne fidelis
semper eras, nostris solitus gaudere triumphis,
tunc bene subiectus? quae te mala fata superbum
ad fera bella trahunt? tandem iam desere facta
turbidus in miseris quae exerces tristia terris.
quid iuvat, infelix, Romana lacessere signa?
quidve paras miseros tanta iactare ruina?
vincere nempe putas quascunque in saecula gentes
Romanas tu posse manus. nos Parthica regna,
nos Lazos, Vnnos, Francosque Getasque domamus.
quaeque sub aethereo latum sparguntur in orbem
axe ferae gentes, nostris famulantur in aulis,
principe subque pio laeti iam Marte relicto
iussa ferunt, suavique iugo sua colla reflectunt.
suscipe dicta citus, salvans gentesque tuosque.
non velut imbelles nostrae mandata salutis
mittimus, aut fugimus pugnas pacemque rogamus.
captivis vobisque timet vestraeque saluti
prospiciens miseris pietas, quae continet orbem.
haec mihi magna iubet perituris parcere castris.
propter captivos veniam donare licebit.
quodsi, dure, meis audes contraria dictis,
crastina bella para, cingens munimine fossas.
funde pecus solitum. rapiendos construe muros.
balantum compone greges fetasque capellas
et torvis medios clamantes vultibus hircos.
non ariete cavas adducto spargere turres
est opus. abducto potius nudabimus hostes,
inter ovesque tuas aries praedabitur omnis,
et bene direptos ponemus prandia muros.
sculptilis ille, tuis cuius munimine castris
prospera danda canunt, disperso robore Gurzil
scinditur, ardentesque palam mittetur ad ignes.
gentibus effusis campo quaeretur in illo
montibus et cunctis, quodquod Maurusia gessit
impietas. scelus hoc cum iusto Marte piabit
nostra manus calidos prosternens aequore truncos

---

370 obstricte *T* 377 ad fera *Mazz.*, affera *T* 382 partica *T* 383 Lazos *Haupt Opusc. III 615*, laros *T*, Alanos *Mazz.* Vnnos *scripsi*, urmos *T*, Hunnos *Mazz.* 386 sub quo *T* 393 parituris *V* 395 dure *T*, ferre *Mazz.* 396 munime *T* 397 costrue *T* 400 non ariete cauas *T*, ariete non altas *Mazz.* aducto *T* 401 abducto *Bekk.*, aductos *T*, adductos *vel* adducto *Mazz.* 402 aries *T*, acies *Bekk.* 403 bene *Bekk.*, bone *T*, prope *Mazz.* 404 scultilis *T* monimine *T* 408 quodquod *Mommsen*, quotquot *T*, quidquid *dubitans Bekk.*

verticibus raptis: disces quod proelia possunt
nostra magis, miseros ensis dum vindicat Afros.
et peritura cadunt dispersis agmina fossis'.
vix ea fatus erat: missus montana tenebat.
castra adversa tenens media in tentoria transit
indubius, sedemque feri petit inde tyranni.
humida nox caelo fulgentia sidera reddit
palantesque polo stellas. nam Cynthia cornu
iam vacuo, obscurae nec praebens lumina terrae.
aequore mersa fuit. mensis tenuaverat ignis.
sed non castra ducum noctis sensere tenebras.
lumina densa focis per campos clara relucent,
perque altos montes splendet contermina tellus
ignibus, et densae radiant in nubila silvae.
quis caelum a terris illa discernere posset
nocte ferens, quae stella nitens, quae flamma fuisset?
omnia lumen erat. flammis hinc terra coruscat,
inde polus stellis. quotiens scintilla cucurrit
igne volans, sidus labens in nocte putata est.
quisquis ab aversis vidit tentoria campis
inscius, intremuit crescentia sidera credens
insolite esse polis. erravit navita campis
aequoreis, nullisque modis cognoscere signa
tunc valuit, cursusque reflexa puppe negavit.
pervigil insomnem miles Maurusque trahebat
armatus noctem. discurrens undique fossas
circuit, attonita sonitus explorat et aure
cuncta cavens, ne quis fraudes temptaret in usu
noctis et indubiis inferret proelia castris.
discurrunt, vicibusque suis tentoria servant,
et vicibus placidum ferrati pectore somnum
carpunt, inque sinus flectentes colla reponunt.
hi clipeos, pharetrasque alii cervicibus aptant
suppositas, hastasque tenent arcusque. sedentes
ensibus innixi vultus in pectora curvant.
somnus et adverso vix tangit lumina cornu
effugiens: iterumque caput iam iamque remittunt
nec relevare valent, oculos clauduntque moventque.
sollicitoque cadens quassatur pectore vertex.
dum vigilant variantque vices cursuque laborant,
cetera iam somnos castris secura iuventus
pectore carpebat placido. tantum improba Martis
facta gerunt mentes. animos insomnia turbant
sollicitos, variasque ostendunt nocte figuras.

411 disces *Bekk.*, discet *T* 418 palantesque *Mazz.*, pallentesque *T*, *cf. Verg. Aen. IX 21* 419 obscuret *T* 420 equora *T* ignis *T*, ignes *legit Mazz.* 429 labens *Bekk.*, halens *1 m.*, balens *2 m. T*, uadens *Mazz.* 430 teptoria *T* 431 inscius *scripsi*, istius *T* 432 insoliti *T* 435 milex *T* 437 expolorat *T* 438 canens neu *T* 439 in dubiis *legit Mazz.* 440 discurrit *T* 442 sinus *Mazz.*, suis *T* 443 que *om. Mazz.* 445 innixis *T* peotora *Bekk.*, pectore *T* 446 curnu *T* 447 effugiens *T*, effundens *malim, cf. 457. VII 16* 448 uolunt *T* 449 sollictoque *T* pettore *T* 452 tm̄ *T*, *malim* tamen (tn̄) 454 obstendunt *T*

miles ut in tenero laxavit membra sopore.
rore novo primus madidis mox irruit alis
somnus, et effuso flaverunt pectora cornu.
castra aliena rapit celsis de montibus absens.
corpore dormit iners, animo tamen ille laborat
bella gerens, vincitque trahens aut vulnerat hostem,
aut vitat clipeo venientia vulnera cautus
opposito. nunc dividitur sensuque manuque,
nunc utrumque movet. silvis bellare videtur
ipse sibi. nam membra vacant languentia somno.
lumina saepe vident saevum concurrere Martem,
lumina clausa vident certamen. it horridus ira,
vultque movere manus. languescunt fessa sopore
membra viri. quotiens excusso dextera ferro,
dum putat adversum, socium ferit improba pectus,
et risere viri referentes proelia somnum!
nec non in mediis acies Maurusia silvis
praescia iam saevis agitatur in invia fatis.
castra rapi videt, et somnos iam proflat amaros.
languet, direptosque potest nec flere camelos
nec vindex surgit, totis sed currere campis
agmina fusa videt frustraque attollere dextram,
ast alios sterni variis per devia fatis.
currere quisque volet, languescunt membra timore
et somni gravitate ruunt. perterritat hostis
cuncta ferus, saevum geminans in viscera ferrum.
dum manu utraque parat violenti vulneris ictus,
coniugis excusso concussit vertice pectus.
eripitur tunc illa magis. nam praedo superbus
crinibus abstractam silvis rapiebat ab ipsis.
sic sibi quisque videns quassantes pectora somnos
horrebant, diram referentes nocte quietem.
terrentur visis, gaudent sed falsa fuisse.
donavit miseris modicum sua gaudia tempus.

LIBER TERTIVS.

At ducis invicti iactabant pectora curae,
sollicitusque suis nullum per membra soporem
accipit, et dulci non claudens lumina somno
pervigil in mediis disponit lumina castris.
circumquaque duces vallantes agmine denso
consilium pariter summis de rebus habebant,

455 milex *T* 456 mox *T*, uix *Bekk.* 461 clipeos *T* 463 silius *T* 465 saepe *T*, saepta *Mommsen* 466 it *Lachm.*, et *T* 468 uiri *Lachm.*, uirum *T* 471 maurisia silius *T* 472 iam saeuis *Bekk.*, iam suis *T*, iamque suis *Mazz.* 474 langet direttosque *T* 476 dextra *T* 481 manu *add. Mazz.* 486 inferentes *T* 487 horrentur uissis *vel* iussis *T* 488 domauit *T*

1 iattabant pectore *T* 4 lumina *T*, proelia *dubitans Bekk.* 5 circumquaque *Mazz.*, circumperque *T*

tractatu vario noctem sermone trahentes.
gaudia militiae referunt tristesque labores,
quasque Latinus agit vincens exercitus orbem,
nunc bene commissas referentes ordine pugnas,
nunc male gesta novo memorantes bella dolore.
dum diversa canunt, ductor sic forte locutus.
'qualis in adventu fuerat tunc Africa nostro,
o socii, saevis esset cum maxima regnis
ultio missa dei, tristem quae rite tyrannum
Vandalicumque genus centeno perderet anno,
Geilamir infandus quamvis vexaverat Afros
perdideratque nocens, magnus quo tempore ductor
sub iuga Sidonias misit Belisarius arces,
principibus captum praesentans urbe tyrannum!
quam celeri cursu summis tot bella peracta
viribus, aut quae digna virum fortuna secuta est!
ibat in adductas densis exercitus umbras
arboribus, rapidi nec solis torridus ardor
militiae nocuit fervens aestate perusta,
quamquam autumnus erat, Phoebi candentis et axe
tristia bella magis calida inferrentur harena.
nec minus et capto, facta iam pace, tyranno
laeta fuit. plenam Libyam cultamque reliqui,
inque statu proprio me discedente remansit
et melior. sum namque memor. fecunda, redundans
frugibus, et fructus lumen fundentis olivae
et latices laeti turgens referebat Iacchi.
pax erat alta locis. quae tanta insania belli,
quis furor exarsit miseris insanus in arvis?
quae movet immerito quatiens Bellona flagello
innumeras gentes? vel quae succedit Erinys
et Phaëthonteos commiscens gentibus ignes
omnia sic mergit, valida labente ruina?
dic age, quisquis ades quaesiti temporis index'.
    Gentius egregius respondens voce magistro,
isque magister, ait. 'digno venerande favore
rector summe ducum, nutantis destina terrae,
spes Libyae nostrique favor virtusque triumphi,
impia quae fuerit belli nascentis origo,
nos latet abstrusis penitus contenta latebris.
vester Caecilides illa de parte tribunus,
si iussus coepti referat discrimina belli,
cuncta docere potest. cuius quippe omnia novit
in patria commissa sua, gentesque locosque
auctoremque mali prisci seu temporis iram'.

---

7 tractato uarie *Bekk.* 12 forte *T*, ore *Mazz.* lucutus *T* 14 cum *Bekk.*, dum *T* 17 uessauerat afros *T* 20 cattum *T* 23 aductas *T* 26 quamquam *T*, cumque *Lachm.* cantentis *T* 30 descedente *T* 32 uliue *T* 35 insonus *T* 36 quotiens *T* 37 herinis *T* 38 phetonteos *T* 40 ades *Bekk.*, es *T* 42 isque *T*, ipse *Lachm.* 43 rettor *T* 46 abstrusis *dubitans Mazz.*, abstructis *T*, obstructis *Bekk.* 51 ira *T*

praecipitur placidis Liberatus dicere verbis.
paruit ille celer, plena sic voce locutus.
'nitor, summe ducum, causas narrare malorum
et iussis parere tuis. dum dicere tempto,
flamma nocens surgit, gelidus praecordia sanguis
turbat, et attentae vix prodit fabula linguae.
praecipis ipse meos iterum me ferre labores,
dum refero saevum quod pertulit Africa bellum.
sed quia celsa premunt dominantis iussa magistri,
hinc procul esto, dolor. magno iam vinceris ausu.
parendum est iussis humilique pavore sequendum.
principio geminas iam senserat Africa pestes.
nunc iterum geminas sentit miseranda ruinas.
finibus in nostris orta est, quae crevit in orbem.
impietas. Guenfan miseris est tristis origo
Antala nascente fero. nam tempore prisco
pax erat in cunctis Libyae tutissima terris.
gaudebat miseranda novis ornata coronis
Africa. nectebant flavis gestamen aristis
agricolae, solitoque rubens in palmite Bacchus,
Paxque sua laetam fulgens ornabat oliva.
usque ad ter denos Antalae floruit annos
nascentis, nostrique potens pars maxima mundi
claruit, ut toto praefulgens Lucifer axe
stellarum flammas flamma meliore revincit.
quae dedit in nostris proles Guenfeia terris,
summe pater, capiti ipsorum generique reserva.
parvulus ille feris vix contigit ubera labris:
terribili monitu iam iam flammante Megaera,
fama volat metuenda canens. namque Ammonis ipse
templa petit simulata pater. tunc prolis iniquae
fata tenenda rogans, mactat de more profano
horrida sacra Iovi. tristes et Apollinis aras
inde petens, Phoebi tripodas laurusque requirit.
funditur horrendis sanguis maestissimus aris,
omnigenumque pecus mactat vittata sacerdos,
fata movens. raptis primum quaesivit in extis
inspiciens (series latuit longissima) fibras,
duraque perpetuis imponit viscera flammis.
inde ferox rapitur, subito correpta furore,
terribilis mersosque simul per viscera cultros
imprimit ipsa sibi. multus de corpore sanguis
influit, et crebro geminat cum vulnere ferrum.
erigit alta comas. tunc flammea lumina torquet
subsiliens, saltusque rotat flexusque malignos

52 placide *Mazz.* Liberatus *Bekk.*, libratis *T* 53 lucutus *T* 57 attentae *Mazz.*, actente *T*, attonitae *dubitans Bekk.* 62 que *add. Bekk.* 65 orbem *Bekk.*, orbe *T* 70 nectebat *T* 71 solitosque *T* 72 sua *Lachm.*, suam *T* oliua *Lachm.*, uliua *T*, oliuam *Mazz.* 73 amtale *T* 74 nascentes *T* 79 uix *Bekk.*, mox *T* 84 apolinis iras *T* 85 laurosque *Mazz.* 88 quaesiuit *Mazz.*, que seuit *T* 89 latuit *T*, patuit *Bekk.* 90 diraque *malim* 91 corrupta *T* 93 nullus *T*

corporis acta sui. rubor igneus inficit ora
numinis icta Noto. ludunt cervixque comaeque,
inque humeros utrosque cadunt. praecordia raucis
flatibus alta sonant. miscentur murmura, voces
tunc dubiae, plenumque agitant suspiria pectus.
non aliter primos surgens Vulcanus ad ignes
follibus obductis tumidos concurrere ventos
arte movet, flammasque ciens Eurosque sonantes
spirat, inexhaustas renovans fornace procellas.
tunc male facta canens dictis respondet iniquis.
'Vandalicas, Guenfan, pariter Libycasque ruinas
fata trahunt, Maurisque iugum frenosque resolvunt.
Antala crescente tuo furor omnis et ira
horribili miserum turbabunt lampade mundum.
flammea Tisiphone tortis saevire chelydris
incipit, erexitque rigentes vertice crines
aëra per vacuum. nigris infusa venenis
ora madent, foedant oculis linguisque trisulcis
temperiem, diroque horrescunt tempora tabo.
sanguine Vandalico video decurrere rivos
montibus. en Libycas exurunt ignibus urbes!
en praedam exhaustis rapiunt raptamque reclaudunt!
cur tantum, o superi, tantum turbare paratis?
omnia mista simul. quid multum crescere Mauris?
en iterum pereunt. quid iuvit tempore parvo
virtute indomita partam meruisse ruinam?
hic levat, hic perdet multas cum nomine gentes
infans, et vario rapiuntur tempora fato.
Africa namque suum factorem fessa rogabit,
quem colit ipsa deum, quem fas cognoscere dignos.
tunc Orientis opes Romani maximus auctor
nominis, heu, nostros mandat praesumptus in axes.
classibus ecce suis totum conterritat orbem.
iam puer indomitus subito pallore tremescit
classis in adventu, iuga iam supportat anhelus.
pondera magna domant. ardet dirumpere vincla
indigna cervice ferens, ruptisque catenis
en iterum bellum reparat. concursus ad illum
ecce venit, mundumque puer subvertere currit.
quid iuvat hic nimium perituras surgere gentes
orbis ab occasu? quid tantum surgit in altum,
unde cadat rursus nostris praesumptus ab arvis?

---

97 acta *Lachm.*, atta *T*, apta *Mazz.* 98 comete *T* 100 uocis *Mazz.* 104 arte *Bekk.*, arta *T* cient *T* 105 aspirat in exaustas transremouens *T* 106 male facta *T*, mala fata *dubitans Bekk.* 107 uandalicasque *legit Mazz.* guanfan *T* 108 iurgum *T* 109 antela *T* 115 direque orescunt *T* 118 exaustis *T* rapiunt raptamque *dubitans Bekk.*, rapiuntque *T*, Afris rapiuntque *Mazz.* reclausam *dubitans Mazz.* 119 tantum turbare *Bekk.*, rantum turbare *T*, regnum turbare *Mazz.* 120 multim *T* 121 iuuit *Mazz.*, uiuit *T* 122 indomitam parta *T* ruina *T* 123 lauat *1 m.*, leuat *2 m. T*, luet *Mazz.* 125 rogabat *T* 129 coterritat *T* 134 bella *T* 135 subuertere *Mazz.*, sed uertere *T* curat *Mazz.*

en spoliis oneratus abit, tandemque reversus
proluit, heu, nostro concretos sanguine campos'!
talia dicentis vultus in terga retorsit
concussa cervice furor. subitoque tremiscens
conticuit, vastoque ad terram pondere fluxit,
et dubium murmur defessa per ossa cucurrit.
sic, ubi lymphigeros deducit fistula tractus
aere cavo, liquidus dum currens funditur amnis
rauca sonans, placitum si fluctus sistere ductus;
obice contorto patulum celer arte magister
obstruit amnis iter, vertex truncatur aquarum
obicibus clausis, ad fontem refluit amnis,
et reliquus fessa transcurrit rivulus unda.
responsis sublata novis gaudetque siletque.
namque humilis gens illa fuit. tamen omnis in illum
spesque metusque coit. sacrum servantque foventque,
promissoque sibi fatorum munere gaudent.
septimus et decimus nascentem sumpserat annus,
cum puer infaustis admovit brachia furtis.
Cacus ut Herculeis cariturus luce lacertis,
noctis itus metuendus init, raptumque retraxit
ductorem patremque gregis, colloque levavit
obnixus portansque furens, et pergit in antrum.
strangulat inde premens, constricto gutture pugno.
corruit ante pedes aries prostratus anheli,
laniferi spes una gregis. tunc ense reclauso
diripit astrictam magno cum pondere pellem.
viscera nuda patent. frustis conciditur altis
omne pecus, verubusque trementes conserit artus.
uritur horrendum flamma torrente cadaver.
ignibus in mediis semiustum sorbet anhelans
et trepidus, totumque fero consumpsit hiatu.
tempore iam ex illo saevis adulescere furtis
incipit, obscurisque faventes pascere praedis.
contrahit inde viros, secumque ad furta nefandus
in mediis tacitos exhortans ire tenebris
arte docet, totumque trahit iam raptor ovile
iamque armenta boum. celsisque abscondere praedam
montibus abstrusisque latebras quaerere saxis
et loca tuta parat. capta subsidere valle
Vandalicasque latens audet temptare phalangas.
quantos ille duces, quantos truncaverat hostes
obsidione premens mediis in faucibus ense!

---

139 onoratus *T* 144 cocurrit *T* 147 fluctus *Mazz.*, fluxos *T* ductus *T*, ductos *dubitans Bekk.* 151 trascurrit *T* 154 fauentque *T* 156 sumpserat *scripsi*, senserat *T* 158 Cacus *Mazz.*, cautus *T* 159 itus *T*, iter *Lachm.* 160 patrisque *T* 161 portatque *dubitans Bekk.* 172 incepit *T* 173 secumque *T* 176 bouum *T* ascendere preda *T* 177 abstruxisque *T* 178 loca *T*, lari *legit*, lare *scripsit Mazz.* capta *T teste Mazzucchellio. litteras detersas* pt *ego legere nequivi* et lare capta parat tuta *Mazz.*

barbaricasque trahens perverso numine turmas
impius in latis prostravit cuspide campis.
  iam tempus miseros fatis urguebat acerbis,
regnaque centeno properans iam fregerat anno.
tunc primum in nostris urbes succendere terris
et populare casas et campis currere Frexes
coeperat, infensasque ausus committere pugnas.
inde movens vires tunc Naffur anhelus
atque omni de plebe viros
vicina de parte fremit. nos linquere terras
et dulces terrore lares sors impia pulsat.
fervet praedo ferox. nullis iam vita salutis
certa locis. acti fatis urguemur iniquis.
tempore Vandalici perierunt gaudia regni
nostra. simul versos miseris tunc flere penates
contigit et tutas indignis quaerere terras.
  Hildimer infaustis gessit tunc proelia signis
insuetus conferre manum. non viribus illum
vincere, nec tantis poterat concurrere signis.
illius adverso rumpuntur stamina fato
montibus in mediis. casus quid terret iniquus?
saepe irata piis servat fortuna nocentes.
constiterant nam signa iugis silvisque superba.
desuper ab scopulis acies vallaverat hostem.
nec spes ulla fugae pressis, nec fidere turbae
nec vitam sperare fuit, nec sistere contra
iam poterant. tantum scopulis tardatur iniquis
illa manus. ruptis tegitur gens impia saxis,
vallibus et scissis muratus cingitur hostis.
silvarum in medio locus est nemorumque malignus,
undique praecisis munitus rupibus ingens.
arduus ipse licet summoque cacumine ductus
emineat, densisque tegantur saxa salictis,
per iuga siderei plano cum vertice campi
funduntur. via nulla patet. vix semita, tortis
undique fracta viis, celsi fastigia campi
sola capit. densae clauduntur devia silvae.
  Hildimer ut saeptas vidit munimine fossas
atque in praecipiti, nullo iam tramite, pugnae
stare locos, saevum timuit temptare periclum.
tunc acies propriis densas consistere signis
ipse iubet, saeptos dubius qua tendat in hostes.
omnia perversis veniunt contraria fatis.
axe premens medium Phoebus iam lampade caelum

182 numine *T*, tramite *Lachm.* 188 infessasque *T* 189 ualidas *ante* uires *add. Mazz.* 190 tunc naffuga anhelus *post* uiros *exhibet T*, *quae verba e priore versu male repetita delevit Bekk.* 191 premit *in* fremit *1 m. mutatum T*, premit *Mazz.* nos *scripsi*, hos *T* 193 atti *T* 196 simul *scripsi*, semul *T*, semel *Mazz.* 200 uincere nec *Mazz.*, uincere aut *T*, uinceret aut *malim* 214 tegantur *scripsi*. teguntur *T* salictis *Lachm.*, relictis *T* 215 plano *dubitans Bekk.*, pleno *T* 219 nil dimer ut settas *T* 223 qua *Bekk.*, quo *T*

fervidus omnis erat. siccis exarserat ardor
faucibus, et nimius miseros commoverat aestus.
forte sitis quosdam gelidas deduxit ad undas.
post tergum rediere viri. nam longius amnis
tunc aberat. plenos portabant fontibus utres
haut procul inde cava spectantes valle ministri.
primus ut infaustas contingens Vandalus undas
laudavit cessasse sitim, tunc cetera cursu
ad latices iam turba coit. sic fata trahebant,
sic fortuna nocens damnaverat agmina leto.
signifer ecce super mutandum credere signum
ausus de summis reduces contorsit habenas
montibus. hunc sequitur densis exercitus armis.
invia rupta patent. quaerunt dum prendere cautes,
post tergum redeunt. fugientes credidit hostis,
et summo de monte ruit. perterruit omnes
casus et ille duces. raptantur signa retrorsum
versa fuga. non campus erat, quo currere posset
liber equus, laxisque levis transiret habenis.
per rupes scopulosque metu perque ardua montis
saxa cadunt, seseque suo iam pondere mergunt.
fata premunt miseros, currens et territat hostis,
ardet et insequitur. cunctis de partibus ingens
turba cadit, seseque suis per pectora telis
transfodiunt. alii veniunt in tela cadentum
praecipites, alios pondus civile repellit.
sic pariter turbata ruunt de montibus altis
agmina densa virum. mistis vectator et armis
fortis equus, rapidi iactatus turbine cursus,
confluit, et dominum vasto sub pondere frangit.
ceu glaucam veniens grando destringit olivam,
arboris excutiens concusso vertice fructus,
tunc pariter praeceps ad terram pondere nimbi
et tener excutitur, quassatus grandine, ramus.
non virtus inimica viros, sed fata premebant
invida, quae tantam properabant perdere gentem.
hinc acies confracta redit, regemque trementem,
annorum fessum numero casumque paventem
deicit, et sceptrum saevo dedit inde tyranno.
tunc doluit princeps dirupto foedere regni,
tunc Libyam solitis quaesivit Roma triumphis.
sed tamen in modico perierunt tempore cladis
multa satis. dirum senserunt omnia bellum.
namque inter geminas pressa est tunc Africa pestes.
hinc fervens bellum, spolians premit inde tyrannus.
subtrahit a miseris almae fortuna salutis

227 nimios *T* estas *T* 231 aut *T* spettantes *T*, spectant ex *Lachm.* 232 uandulus *T* 236 credere *T*, acedere *legit*, accedere *scripsit Mazz.* 241 monte *Mazz.*, more *T* ruit *Haupt Opusc. III 626*, fugit *T* 253 uettator *T* 255 confluit *T*, concidit *dubitans Mazz.* 256 glauca *T* uliuam *T* 258 preceps pariter *T* 261 inuidia *T* 263 armorum *T* 264 deiecit *T* 265 dirupti *T*

praesidium, mortemque alterno Marte minatur.
quem fugiant? qua parte cadant? praedantur ubique.
terror ubique viris. saevas sic tota per illas
maxima terrarum est Libye nudata rapinas,
ut perit in dubiis puppes, heu, naufraga ventis.
Poenorum has pestes solito miseratus ademit
more pius princeps, Afris solacia fessis
summa ferens, victorque malum deiecit utrumque
Sidonios patres titulis melioribus augens.
vestra manus miseros mortis de faucibus Afros
eripuit, fessisque iugum crudele retraxit.
Africa surrexit vestris erecta triumphis.
gaudia post luctus terrae donastis amicae.
dum premitis gentes, totum dum vincitis orbem.
intremuere feri vestra virtute subacti.
Maurorum tunc bella duces, tunc proelia quisque
vestra pavens, alacer frenos et iura cucurrit
principis ultro pati. florens haec gaudia sensit
nostra decem tellus plenos laxata per annos,
et, quamvis fuerint fato pellente rebelles,
ante magis cecidit, quam praedam tolleret hostis.
non mentis consensit tunc Africa bellum.
te vigilante, pater, spectavit Leucada pugnas
virtutemque tuam. pinguescunt sanguine campi,
ossibus albescunt, feriuntur vomere rapta
ex humeris capita et sparsi per gramina trunci.
ense tuo cunctis notum est quid gesseris illo
Marte, favente deo. tantis signare tropaeis
quis potuit campos? ornasti, magne, decorans
et Solomoniacos auxisti saepe triumphos.
asper et ille semel bellum temptavit Iaudas
et tulit, ante tamen campos quam vidit apertos.
et mediis tremuit Romanos currere silvis.
at Stutias orsus nostra de parte duellum.
haec nobis, haec ira fuit. haec addita rebus
cura nefanda piis. bellum civile revixit.
tunc Carthago feras dirupto foedere praedas
sensit et infandum non aequo Marte periclum.
sed tamen hic celeri devictus tempore cessit.
hunc Membressa suis vidit concurrere campis,
hunc eadem petiisse fugam, cum maximus hostes
fudisset modicis victor Belisarius armis.
    te quoque per medias vidit Victoria pugnas,
fortis et irruptis truncabas agmina castris

275 Libyae *Mazz.* 276 puppis *T* 278 morte *T* 280 sidomos *T* 283 nostris eretta *T* 290 ducem *T* 292 preda *T* 293 inops *ante* tunc *add. Mazz.*, non iam mortificum sensit *requiritur cf. 268. 309* 294 spettabit *T* 296 ratta *T* 297 sparsa *T* 299 morte *T* 300 ornasti magne decorans *T*, ornasti magno decorans *legit*, et magno ornare decore *scripsit Mazz.* 302 aspice ille semul *T* iudas *T* 305 stutias orsus *T*, sentias orsus *legit*, sensit prorsus *scripsit Mazz.* 307 nefandi *T* 308 feras *T*, foras *legit Mazz.* 309 eque *T* 310 sed tamen hic *T*, Stutias hinc *Mazz.* 312 nunc *T* 313 modicis *Mommsen*, mediis *T* libelisarius *T* 315 agmine *T*

ense gravi, similique viros virtute necabas
Germano spargente ferum victumque tyrannum.
te Cellas Vatari miro spectabat amore,
te Autenti saevos mactantem viderat hostes.
tunc facta est nostrae requies pinguissima terrae.
non bellum, non praedo rapax, non miles avarus
rustica tecta subit. temptatur nulla supellex.
omnia plena bonis Libyae. pax tuta per orbem.
tunc fecunda Ceres, tunc laetus pampinus uvis
pictaque gemmiferis arbor splendebat olivis.
miles et in propriis laetatus sedibus insons.
cultor in omni parte suas plantare novellas
coeperat, et ductos iungens ad aratra iuvencos
arva serebat ovans, placidusque a monte canebat.
ausus et ad lunam laetus cantare viator.
dives opum pax pinguis erat. mercator ubique
quisque canit. resonant securis carmina terris
dulcia voxque levis. gaudens hinc cantat arator,
inde viator ovans. mulcebant ergo Camenae
et variis hominum relevabant pectora Musis.
libertas iam plena fuit, sed tempore parvo.
invida sunt misero fatorum stamina mundo.
cur, Lachesis, hominum tenui pendentia filo
fata tenes? leviter pellis. iam rumpitur orbis.
fortibus aut aeris referes ferrique catenis.
cuncta movens terror premeret, non rumperet ira.
iamque novas melior reparaverat Africa vires

* * *

atque hominum vastare genus mundumque labantem
coeperat. his nostris veniens fervebat in oris.
nunquam audita fuit mortis tam tristis imago,
non orbis novitate rudis, non tempore Pyrrhae.
nam miseros monstris conturbans letifer annus
miscuerat superis manes, seseque videbant
vulnera divinis homines hausisse sagittis,
tum varias pestes una consurgere terra
aspectusque feros. iam nullus terror acerbis
mortibus. haud leto metuens sua lumina clausit,
aetas si qua ruit. lacrimis privatur amaris
humanum genus, et plangentia lumina non sunt,
dum sibi quisque timet. nullus tunc reddidit ullum
funeris obsequium. sonuit non luctus in urbe.
non sponsus sponsam flevit, non nupta maritum.

318 cellas *T*, cultor *Mazz.*, tellus *Haupt Opusc. III 626, sed cf. Proc. b. Vand. II 17* 319 mactantes *T* 321 milex *T* 323 Libyac *Mazz.*, pluuie *T* 325 albor *T* 326 laetatur *legit Mazz.* 333 uoxque *T*, moxque *Mazz.* 334 mlcebunt *T* 335 musis *T*, curis *Mazz.* 339 tenens *Mazz.* 340 refereus *Mazz.*, *sed ne sic quidem sanus versus* 342—343 *versus unus intercidisse videtur* 343 labentem *T* 347 nam *Mazz.*, non *T* mostris *T* 349 hausisse *Mazz.*, auxisse *T* 351 aspetusque ferox *T* 352 martibus aut *T* 355 nullus tunc reddidit *scripsi*, nullus tunc reddit *T*, nullis tum redditur *Mazz.*

nulla parens natos doluit native parentem.
o male corda novam nusquam plangentia mortem!
iustitium meruit, sed nullis lumina tectis
effundunt lacrimas. vilis mors omnibus illa.
iam Libycis vacuae cessabant civibus urbes.
rarus et in multis domibus vix unus oberrans
divitias longa quaerebat lite parentis.
immeritus iam plenus opum, qui mille parentum
heres erat. non notus avis patrimonia, fructus,
argentum vestesque simul flavumque metallum
abstulit, et tantis implevit praedia rebus
insaturus. magnis cumulata est arca sacellis,
et tamen ardor inops nunquam satiatur avaris.
coniugiis caluere novis, viduasque potentes
accipiunt. nullis virgo quaesita maritis.
coniugis ob nummos defuncti quaeritur uxor,
(virginibus dos parva datur), si tempore diro
nulla maritales curavit reddere luctus.
    hinc fora cuncta patent, et tristes surgere lites
incipiunt. saevit toto discordia mundo
iurgia saeva movens. pietas omnino recessit.
iustitiam nullus compuncta mente secutus.
inde est quod miseris ira dictante flagella
omnipotens genitor, dilato tempore nullo,
addidit, et lites cunctis iratus ademit.
erigit a nostris nascentem finibus hostem.
hic fratris mortem concussa mente dolebat.
sed virtus non ulla fuit, qua surgere posset.
dum tamen occultum conservant pectora bellum,
militis innumeras fatum miserabile sensit
diminuisse manus. gentes non laesit amaras
Martis amica lues. metuens tamen ille cavebat,
ne mala praedatae caperet contagia terrae.
ast ubi pulsa lues, Martis succedere fervor
coepit, et infandas acies ad bella coëgit.
misit ad extremas Libyae sitientis harenas,
sole ubi tellurem nimio siccaverat olim
fulmine deiectus Phaëthon; populosque malignos
edocuit nostrisque implevit cladibus ora.
iamque ferae gentes Libycum funduntur in axem.
raptor ubique furens per nostras currere terras
et vastare casas, ignemque immittere tectis
incipit, et flammis succendere fervidus urbes.

---

358 natum *in* natos *1 m. mutatum T*, natum *Mazz.* 368 prelia *T* 369 comulata *T* sacellis *T*, facellis *legit Mazz., cf. Haupt Opusc. III 402* 370 inops *T*, opum *Mazz.* auarus *T* 372 maritos *T* 373 defuncta *T* 375 curauit *T*, curabit *Mommsen* 376 fora *Mommsen*, fera *T* 380 fragello *T* 382 ademit *T*, adauxit *Mazz.* 383 eriget *T* 388 diminuisse *T*, non minuisse *Mazz.* 390 male *Bekk.* praedatae *scripsi*, prelate *T* 394 sol *T* 396 nostrisque *Bekk.*, nostrasque *T* ora *Bekk.*, oras *T* 399 causas *T*

ut Solomon vidit tantum consurgere bellum,
Romanas acies cunctis de partibus actas
contrahit, adversis properans concurrere fatis.
ilicet infausto mandatur pagina cursu,
et ruit ecce volans, aequo non Marte coactus,
Maurorum ductor, miseri Solomonis amicus
Romanis rebus nimium semperque fidelis,
Cusina Mastracianis secum viribus ingens.
qui Tripolis tunc ductor erat, convenit et audax
Pelagius. sed gentiles durosque Mecales
secum ad bella trahens fessis non viribus ibat.
Ifuraces fictos suscepit nescius artis.
mens obscura manet, quotiens, Fortuna, minaris.
heu, Solomon miserande, tuis hos iungere castris
debueras. tractus versis contraria fatis
semper agit. nullus poterit vitare quod instat.
ultima iamque dies nostras pervenerat oras.
iam Libyam minitans properabat perdere fatum.
congreditur mediis commiscens proelia silvis,
impavidus fidensque suis. iam vicerat hostes.
iamque acies adversa fugax advertere terga
coeperat atque metu, fervens iamque ipse per hostes
currit et eversas sequitur per devia turmas,
cum subito dirupta fides. Fortuna retorsit
vultus retro suos, Lachesis tunc stamina rupit,
laesaque perversas retulit Victoria pinnas.
invenere suum tunc tristia fata ministrum.
Guntarith infelix nostrum conterruit agmen.
funditus hic potuit Romanas vertere vires.
non victum fortuna, minax non presserat hostis,
non metus acer agens. sed vertens mente maligna
signa refert fugitque. fuga quem vidit ut omnis
versa cohors trepidum, sequitur, campisque magistrum
deserit in mediis miscentem proelia fossis.
haec fors dura novas tunc hostibus addidit iras
virtutemque simul, nostris letumque metumque
obscenamque fugam, turpi quae perdere gentes
Marte solet. sequitur densis iam fortior armis
hostis acerba furens. ipse impendente tumultu
occidit, heu, duris transfixo pectore telis
immeritus Solomon. tunc omnis vertitur ordo.
Martis more furens nullus iam rebus amicus
mansit, sed praedam rapiens per bella cucurrit

402 actas *Mazz.*, actus *T* 405 coctus *T* 408 Cusina Mastracianis secum *Mazz.*, cosina mastracianos secum *T*, Cusina Massylis ad nos cum *malim*, *cf. IV 510. VI 517* 410 pellagius *T* 411 festis *T* 412 Ifuraces *scripsi*, infurices *in* infuraces *1 m. mutatum T*, infauces *legit*, in fratres *scripsit Mazz.* 425 latesis *T* 426 pinnas *T*, palmas *Mazz.* 428 Guntarith *Haupt Opusc. III 616*, cunctarit *T*, Guntarich *Mazz.* 430 minas non presset *T* 432 fugitque *T*, clamore *Mazz.*, fingitque *Bekk.* fuga *Mommsen*, fugam T 434 miscentem *Bekk.*, miscentes *T* 435 nec forsan *T* 437 turpi quae *Bekk.*, turque *T*, turbat quae *Mazz.* 439 ipse *Bekk.*, ipso *T* 440 accidit *T*

omnis amica manus. flevit tunc tristis arator
disiunctos fugiens hostes rapuisse iuvencos.
tunc omnes periere domus, tunc cuncta supellex.
nec solus pauper casu concussus in illo
succubuit. dives pariter cum paupere mersus.
post Solomonis opes libertas facta rapinis,
nec pars ulla fuit belli secura maligni.
raptor ubique furens urbes succendit et agros.
nec seges aut arbor, flagrans quae solvitur igne,
sola perit. quae peste carent, armenta peredit.
omnis et a dominis calcata est Africa Mauris.
pro dolor! in campis acies iam sistere nulla,
nec potuit clausos miles defendere muros.
irascente deo traduntur cuncta rapinis.
perfidus et Stutias iterum per bella cucurrit
Antala dominante suo, meruitque tyrannus
omnia sub domino praedans discurrere Mauro.

LIBER QVARTVS ET QVINTVS (QVARTVS).

Dum placet infandi nomen memorare tyranni,
surgit ab internis, conturbans ossa, medullis
durior ecce dolor. confusa mente retardor
tot clades memorare ducum casusque meorum
atque meos. miles trepidos non fidus adegit
tradere signa malis. longum est narrare ruinam.
sed memorem certis bellorum crimina verbis.
dux erat obsessae servator Himerius urbis,
moenia clausa tuens et celsas milite turres.
e mediis miseros traxit fallacia muris
et Mauris servire dedit. namque urbe sedenti
blandior infausto mandatur epistula versu,
nomine scripta ducis, milesque Sinonius intrans
esse Iohannis ait. legimus mandata tyranni
credentes mandata ducis. nos saepe per illam
hortatur mediis, ceu dux, occurrere campis
et pariter sparsas Maurorum evertere fossas.
attollunt animos confusa mente tribuni.
signa movenda damus. tacita velocius aura
egreditur dux ipse simul, noctisque per umbram
currit eques sociis festinus iungere signa,
seque putant tardasse viri. tunc ante cucurrit
impius ille Sinon, gentesque dolosque paravit.

---

446 perere *T* 448 pariter *Mass.*, pauper *T* 449 liberta *T* 450 secuta *T* 453 caret armenta per eden *T*

1 dum placet *Mass.*, ductor iacet *T* 5 milex trepidus *T* 8 obsessae *Bekk.*, obsexus *T*, obsessus *Mass.* 9 imerius *T* 11 urbe *scripsi*, urbi *T* 15 saepe *T*, nempe *dubitans Bekk.* 16 seu *T* 18 at tollunt *T* 19 auri *T* 23 parauit *Mass.*, putauit *T*

extulit ignivagos gelidis ut maestus ab undis
Phoebus equos, patuere doli. tunc signa tyranni
vidimus, heu, miseri nostris occurrere signis
et totis rabidos campis fervescere Mauros.
nos pavidum revocare pedem. nam sistere contra
quis poterat? sequitur pavidas per prata catervas
Antalas Stutiasque furens. via nulla salutis,
et densus trepidos urguens circumvolat hostis.
mors erat ante oculos, et opem fors dura negabat.
o utinam medio iacuissent funera campo!
dedecus indignum nostris procul esset ab armis.
erectus medius felici Marte Iohannes
occubuit. fastus domini non pertulit hostis
sorte pari, enses nec timuit captivus heriles.
ergo per extensos fugiens compellitur agros
currere fortis equus. crebro sonat ungula cornu,
atque feris pavidos urguet de montibus hostis.
ardua castra gerit campis Cebar addita apertis.
huc miseranda manus frenos deflexit equorum.
cum miseris tenuit miles castella tribunis.
dux erat et medius. nec nobis claudere portas
cura fuit. tutamus equos pugnaque pedestri
cingimur et tectis venientes pellimus hostes.
irruerant gemini turba coëunte tyranni
Laguantanque cohors et densis Naffur in armis.
tunc Stutias, saevum fingens compescere bellum,
in medias acies stricto volat igneus ense.
admonet arte feros campis desistere Mauros,
et cohibet sumptas infandis vocibus iras.
discessere locis. stetit improbus aggere celso
ceu placidus, blandis nutantia pectora verbis
impellens ad bella. simul promittit et urguet
hortaturque viros variis ad bella figuris.
nunc minitans, nunc blandus adest. terrore subacti
proiciunt sua tela viri, genibusque tyranni
accurrunt celeres, et amica voce salutant.
in ducibus iam nulla salus. quid cuncta referre?
oramus veniam. datur ilicet. egimus hostes
per vitam iurare suam. fecere coacti.
finximus infandis veluti servire tyrannis.
Iustiniana polis saevis tunc tradita Mauris
sorte sub ancipiti. sociorum flectere mentes
post licuit per verba mihi. Marturius una
consilio maturus erat. compellimus ambo

25 patueri *T* 31 circomuolat *T* 34 deletus *T* 35 erectus *T*, euectus *dubitans Bekk.* 36 occurrit *Mass.* 37 eriles *T* 40 montibus *Mass.*, moribus *T* hostis *scripsi*, hostes *T* 41 addita *scripsi*, addit *T* 43 miseri *Mass.* tenuit miles *scripsi*, tenuere miles *T*, tenuere equites *Mommsen*, tenuere Mileu *Mass.* tribuni *Mass.* 44 dux erat *Mass.*, dixerat *T* 46 tectis *Bekk.*, tettis *T*, telis *Mass.* 48 laguantaque *T* 57 terrore *Mass.*, et errore *T* 60 in ducibus *scripsi*, iudicibus *T* 66 maturius *T*

nutantes animos propriis se reddere signis.
assensere viri. castris censuere malignis
paulatim temptare fugam. me noctis amicae
eripiunt trepidum, turba comitante, tenebrae.
perveniensque meas vidi cum coniuge sedes.
deserit infandos fugiens Marturius hostes.
post sequitur miles. voluit quicunque. remansit.
Iustiniana polis nocturnis panditur armis.
proditione pia civis patefecit amicus.
hic iuga non potuit saevi sufferre tyranni.
signa tamen clausis servabant publica muris.
nec potuit quisquam, campo congressus aperto,
hostilem temptare manum. nec credere ductor
iam voluit sociis Stutia vivente maligno.
Africa dum tantis urguetur fessa periclis,
Ariobindeis fulserunt aequora proris.
adventu stupuere ducis. gens territa cessit
Laguantan terris. utinam non ille penates
Poenorum vidisset iners! tunc Africa clades
persensit graviore malo saevasque rapinas
inter utrumque ducem. nescit commissa potestas
aequales sufferre duos. consortis amicum
saecula nulla ferunt. sic nos exempla priorum
ipsa docent. primi sequitur pes mota secundus,
crura pedis ritum, capitis sua membra sequuntur,
et proprii generis fructum dant arbore rami.
mundus adhuc rudis et parvis vix laetus aristis
non potuit portare duos, non maxima rerum
Roma, novos proprio quae sanxit sanguine muros.
aemula dividitur confusa mente voluntas,
despiciensque parem discors permansit uterque.
dividitur geminas inter res publica partes.
quisque suos tenuere duces. dumque ille superbus
se primum esse putat, non se tamen ille secundum,
Africa barbaricis planxit nudata rapinis.
ductorum iussu, merito fortisque Iohannis,
temptavere feros aequis non partibus hostes.
sed victi petiere fugam. discordia mentis
vicit amare viros. rursus dux ipse Iohannes
signa movens densos vadit moriturus in hostes
confisus virtute sua, fortesque tribunos
secum ad bella trahens, tantis concurrere monstris
non timuit. durae contempsit vulnera mortis
pro patria contentus amor. persensit ut hostis
adventum properare feri, non segnior ille

---

69 censuere *scripsi*, sensere *T* 72 peruenìesque *T* 76 piam *T* ciuis *T*, cuius *legit Mazz.* profecit *Mazz.* 80 cedere *Mazz.* 81 sociis *scripsi*, socios *T* 83 Ariobindeis *Lachm.*, ariob indis *T*, Ariobindi *Mazz.* 85 languantan *T* 92 clura *T* 94 ad hunc *T* uix *Bekk.*, mox *T* 96 sunxit *T* 101 ille *T*, iste *Mazz.* 104 faros *T* 106 amore *Mazz.* 107 uadit *scripsi*, uidit *T*, iuit *Mazz.* 109 secum *Mazz.*, sotii *T* 110 contenxit *T* 111 hostes *T*

sponte petit mortem. campis sua signa locavit,
et sociis sic fretus ait. 'contemnere vitam
pro patria haec est vita magis. mors lege tonantis
humano lata est generi, nec praeterit ullum.
nam veniet quocunque modo. sed mortis honestae
summus honos summusque favor dulcisque cupido est.
hostis adest, socii. quotiens fugiemus amicum
Martis opus? quotiens fugitivos rideat hostis
imbellesque putet? nunc est temptare quid, instat
nunc virtutis opus. semper mihi cognita virtus
vestra, viri, semperque fides. consurgite, cives
Romani, pro laude pii, gentesque superbas
frangite. iam tantum ducibus removete pudorem.
fac nos velle fugam. fugitivos conterit hostis
feminea nunc morte viros. convertite mentes,
et procul a nostris discedat dedecus umbris.
o utinam ferus ille meis occurreret armis
nunc Stutias, ipsumque mihi fortuna dedisset!
aut simul alterno patuissent pectora ferro,
et raperet fors saeva duos, aut corpus arundo
vulnere letali fixisset saeva tyranni.
vel mecum pariter, si sic mea fata minantur,
crimine civilis careat res publica belli'.
    dum monet ille viros, inimicis improba signis
ecce acies Massyla ruit, ripisque propinqui
fluminis arte doli longo stetit ordine compta.
tunc primum volucres pugnam movere sagittae.
impia pennato figuntur corpora ferro.
trans fluvium cedens acies inimica retrorsum
flexit equos. sequitur, densis et flumina telis
perrumpit levitate sua. non ille periclum
non mortem metuens iter irremeabile transit,
invaditque viros, veluti vastator acerbus
diripiens armenta leo taurosque feroces
hunc fugat, hunc mactat. currit dispersus ubique
grex pavitans pastorque fugax. furit ille cruentis
dentibus et latos frangit manditque per agros.
Massylas acies sic dux virtute Iohannes
turbabat mediis prosternens funera campis.
hunc imitata cohors gladiis fugitiva perurguet
agmina transfodiens. volat igneus aequore toto
cum sociis dux ipse furens Maurosque fugaces
persequitur ceu victor ovans. iam sanguine multo
arma calent. rubrum gestat iam dextera ferrum
pugnax militis atque ducis. pro sortis iniquae
triste nefas! o grande malum! iam cesserat hostis
victus, et adversas passim per prata catervas

114 sotios *T* 120 mortis *T* 121 instar *T* 128 dedicus *T* 131 simul *Bekk.*, semul *T*, semel *Mazz.* 136 mouet *vel* monet *T*, monet *legit Mazz.* 137 massilla *T* 143 perrumpit *Bekk.*, prorumpit *T* 152 imita *T* gladiis *Bekk.*, gelidus *T*, ingens *Mazz.*

sternebat Romanus eques victorque necabat,
cum subito Stutias mediis e vallibus atrox
signa movens inimica ruit, crimenque Latini
nominis Hermogenes pariter Taurusque feruntur.
hos sequitur Romana manus, non nostra, rebelles.
tunc iterum miseris pariter concurrere telis
et bellum civile datum est. cognata petuntur
pectora, cognatis funduntur viscera dextris.
magnanimus Stutiae cognovit signa Iohannes
primus, et inflexo contra stetit acrior arcu.
at socii petiere fugam, faciemque furentis
nec potuere pati. nervo tamen ille sagittam
imposuit ductamque sua gravitate remisit.
perque femur duri transivit arundo tyranni
confringens os pulsa feri. mollesque medullas
contigit, et mersae rubuerunt sanguine pinnae.
emicat inde cruor, vestesque aspergit heriles.
saucius at Stutias, letali vulnere victus,
flexit equum post terga fugax. hunc morte cadentem
suscipiunt socii densaque sub arbore ponunt.
    respiciens victor socios per prata fugaces
vidit, et immensus duris dolor ossibus arsit.
tunc tristis casumque dolens sic voce secutus.
'quem fugitis, socii? vestra est victoria, cives.
iam Stutias nostra confixus arundine bellum
deseruit, prostratus humi. convertite signa.
quo ruitis? quo vos fatum miserabile ducit?
heu, virtus Romana, peris!' sic vocibus ille
culpabat pavidas fatorum sorte catervas.
sed nullus post terga redit. Maurusia virtus
persequitur, trepidosque super tot milia currunt.
    alveus amnis erat mediis praeruptus in arvis.
utraque cognatae dirimens confinia terrae.
incidit hic fugitiva manus mortisque pavore
per ripas fossasque cadit. miserabile letum
nascitur. heu, miseros pondus civile perurguet
hostilisque metus. multos in tela cadentum
impetus ipse dedit, propriis modo pectora contis
transfodiunt, dominumque super crepitante ruina
fortis equus veniens immani pondere frangit.
sic periit miseranda manus victique tribuni.
dux simul

* * *

Marturius illis
vix potuit temptare fugam. moriturus in hostes
cum parva ruit ille manu. fortuna salutem
praestitit audenti, duraque e morte levavit.

161 e *Mass.*, et *T* 166 latum *T* 170 at *Bekk.*, ac *T* 172 sua *add. Mass.* 173 duri *T*, durum *Mommsen* 182 sic *scripsi*, se *T*, est *Mass.* 191 medius *T* 201 *interciderunt versus, quibus mors Iohannis narrabatur* 202 murituras *T*

interea Stutias anima fugiente dolebat.
paenituit bellasse ferum. suspiria ducit
cum gemitu, seseque dolens sic increpat ipse.
'quae mihi bellandi fuerat tam dira voluptas?
cur rerum ingratus domino nunquamque fidelis
infelix virtute mea? modo paenitet ista,
dum miserum, mors saeva, trahis. reddam, improba, poenas,
quas merui. furiis socius Catilina cruentis
exagitatus adest. video iam Tartara fundo
flammarumque globos et dira incendia volvi.
perfidiae meritum cum durae crimine mortis
hoc mihi bella ferunt. doleant caveantque Latini
has poenas, rebusque fidem dominisque reservent'.
dixit, et infelicem animam mors impia clausit.
occidit ut Stutias, quamquam ducis esset acerbus
morte dolor populo, Romanis crescere virtus
coeperat, et campos acies iam nostra petebat.
Guntarith en iterum perversa mente malignus,
perfidus, infelix, atrox, insulsus, adulter,
praedo, homicida, rapax, bellorum pessimus auctor,
ductorem incautum crudelibus occupat armis,
oppressumque dolo rapuit, iuransque fefellit.
principis haud illum tanti reverentia movit,
sumere nec timuit bellum nomenque tyranni.
quas Tyrii clades, quae saeva pericula passi!
sub gladio iacuere gravi, sed tempore parvo.
abbreviata dies infanda et pessima regni est.
nam pater ille bonus summis Athanasius Afros
consiliis media rapuit de caede maligni.
hic potuit Libyam Romanis reddere fastis
solus et infestum leto damnare tyrannum.
Armenius tanti fuerat tunc ille minister
consilii. hunc placidus cana gravitate coëgit
immitem mactare virum. temptare periclis
non timuit genitor pro libertate senili.
Guntarith infelix, cupiens fera regna tenere,
Armenios enses saeva inter pocula sensit,
et madido festas maculavit sanguine mensas.
Africa per tantas periens non ulta rapinas
sic mersa est. te exspectat inops. succurre gementi.
namque potes. virtusque tibi iam nota per orbem est.
et vigilant sensus, et claris dextera factis'.
talia commemorans referebat bella tribunus,
lumina conturbans lacrimis, Libycasque ruinas
fataque cuncta ducum luctu deflebat amaro.
ingemuit ductor concussa mente benignus.

206 bellaxe *T* 207 gemitum *T* 208 fueras *T* 212 catelina furentis *T* 214 dura *T* 222 gyuntarich *T* 227 aut *T* 231 abbreuiata *scripsi*, alii breuiata *T*, nam breuiata *Mazz.* 235 damnare *Mazz.*, clamare *T* 242 madido festas *scripsi*, male con fessas *T*, male consessas *Mazz.*, *sed cf. IV 427. 969* 244 sccurre *T* 246 claris *T*, claret *dubitans Bekk.*

congemuere duces. animis in proelia surgunt
indomitis. dolor atque pudor fera corda fatigat.
tunc maculis tinxere genas, pallentque rubentque,
nec latet ore furor. cunctantem surgere lucem
iam cupiunt, tardumque iubar Martemque requirunt.
caerula sulcabat dirumpens luce corusca
Phoebus et errantes radios per nubila vibrans
lumina subtremulis spargebat lampadis undis,
surgebatque dies miseris gratissimus Afris.
iamque duces, variis turbantes vocibus agmen,
urguebant fortesque viros clarosque tribunos.
quisque suos hortatur agens. his castra movere,
arma parare iubent, iussa spectare magistri.
signa ferunt ornantque viri, gaudentque tuentes
prospera discussis ludentia flamina velis.
at pater exsurgens compuncta mente Iohannes,
corde pio, genibus nixis et poplite flexo,
suppliciter geminas tendens cum lumine palmas,
ore canens haec verba refert. 'tibi gloria, Christe,
summe parens hominum, linguis et pectore puro
rite datur, laudesque libens gratesque resolvo.
non alium laudare volo. tu, conditor orbis,
tu gentes et bella domas, tu conteris arma
impia, tu nostris solitus succurrere rebus.
aspice succensas duris a gentibus urbes,
omnipotens, agrosque vide. iam nullus arator
arva colit. lacrimas nullus per templa sacerdos
pro populo iam ferre potest. namque hostibus omnes
vincula dura ferunt palmis post terga revinctis.
aspice, sancte pater, nec iam tua fulmina cessent.
sub nostris pedibus Maurorum sterne catervas,
eripe captivos saevis a gentibus Afros,
Romanosque tuos solite miseratus alumnos
cerne pius, nostrisque favens fac gaudia luctus'.
haec memorans lacrimis siccas infundit harenas.
quippe dolor pietasque movent, mentesque benignas
conturbant, densisque agitant singultibus artus.
ut bene compositis consummans omnia verbis
conticuit, tunc surgit ovans, rivosque fluentes
luminibus tergens placidis iam vultibus heros
respicit, armatasque iubet properare cohortes.
ipse capit tumulum, quo summus et altior astans
consilio cunctos relevaret more ministros.
conveniunt lectique duces fortesque tribuni

254 lates *T* 255 martemque requirunt *scripsi*, nottemque requirunt *T*, noctemque requirunt *Mazz.*, noctemque queruntur *Haupt Opusc. III 626* 258 subtremulis *Mommsen*, sub tremulis *T* lampedes *T* 262 ortatur *T* 263 iussum *Mazz.* 278 pro populo *Bekk.*, populo *T*, cum populo *Mazz.* namque hostibus *scripsi*, nam noctibus *T*, nam nexibus *dubitans Mazz.*, nam luctibus *Mommsen* 279 palmas *Mazz.* reuinctis *scripsi*, reuicti *T*, reuincti *Mazz.* 280 saucte *Mazz.*, tanta *T* fulmina *T*, flamina *legit Mazz.* 281 sterne *Mazz.*, externa *T* 288 compositis *Mommsen*, complacitis *T* consummans, *sed dubitans an* confirmans *praeferat Mazz.*, consumans *T* 290 eros *T* 294 lectique *Mazz.*, letimque *T*

atque suo veniens condensus in agmine miles.
undique ductorem vallant stipante caterva,
non aliter quam examen apes per mutua nexis
efficiunt pedibus, regem dum saepe sequuntur:
arboris aut apicem ductor summumque cacumen
aut mediam tenuit condensis frondibus ornum,
ipse sedet, primusque locum stridore verendus
eligit; at circum densis exercitus alis
colligitur, regisque sui praecepta capessunt.
armiger interea veniens de montibus altis
ecce volat, densasque videns astare catervas
et celso medium fulgentem colle magistrum,
alipedis celeris dextra contorsit habenas,
ductoremque petens volucres per gramina cursus
corripuit, densum et dirumpens concitus agmen
fluxit equo, pedibusque boni tunc more magistri
oscula pressa dedit. fervens iamque omnis in illum
turba coit, causas cupiens cognoscere rerum
responsumque feri referentem audire tyranni.
et metuunt ne pacem oret, cum dicere iussus
paruit et placido sic coepit Amantius ore.
'omnia quae dominus famulo praecepit adimplens,
gentibus in mediis portans mandata cucurri,
perveniensque ferum vidi sub rupe tyrannum
montibus in summis. tunc evocat ille rebelles
vôce ciens. cursu rapido Maurusia turba
confluit, et nigrae facies tentoria complent.
ut quondam Ditem moturum proelia divis
concilium fecisse ferunt et mille per amplas
monstra vias venisse, Hydram tristemque Megaeram,
atque Charona senem deserta currere cymba,
Tisiphonem validam flammis et pondere pinum
quassantem, Alecto tortis saevisse chelydris,
quaeque sub ingenti facies monstrantur Averno.
utque ducem veniens densum circumstetit agmen,
obtulit ipse sedens consessum ex agmine dignis.
ille tamen medius sedit praefectus, et omnis
aspiciens rapido tumidus sic intonat ore.
'legatos, proceres, dura et mandata Iohannis
suscipiens vos nosse volo, cunctisque loquentem
mandatum monstrare virum. vos auribus illum
intentis audite palam, et decernite, si quid
est animo fixum, pacem bellumne petamus'.

---

295 condenso in agmine *Bekk.*, condenso agmine *T*, condenso ex agmine *Mass.* 298 effigiunt *T* 300 condensis *Mommsen*, contentis *T* 301 que *add. Mass.* 302 at *Bekk.*, ac *T* 307 alipedes celeres *T* 310 fluxit *Mass.*, flexit *T* 314 orent *T* 315 sic coepit *add. Mass.* 317 medii *T* 320 uoce *dubitans Mass.*, *qui* aere *maluit*, nocte *T*, *cf. VI 264. Verg. Aen. III 68* 324 uias uenisse *Lachm.*, uenisse uias *T* 325 atque Charona *Bekk.*, ac carona *T*, ac Charonta *Mass.* cymba *Mass.*, termba *T* 326 tesiphone *T* 327 aletto *T* 329 circomstitit *T* 330 octulit *T* 331 presectus *T* 334 suscipiens *Bekk.*, subspiciens *T*, suspiciens *Mass.* 337 bellumne *Bekk.*, bello ne *T*

permisere loqui, digitisque silentia linguis
imposuere suis. docui praecepta iubentis
principis et morem. pietas ut magna regentis
omnia contineat, crebro sermone cucurri.
virtutem indomitam mista bonitate refovi.
saepe minas addens, Romanos parcere dixi,
sed tamen et gentes semper fregisse superbas
funditus et validos bello pressisse tyrannos,
enumerans, quos Roma potens postque ipse subegit
noster ab extremo temptantes proelia mundo
princeps. asserui bellum, pacemque recurrens
edocui, tandemque silens responsa petivi.
illi inter sese fracto sermone furentes
latratus varios, stridentibus horrida linguis
verba ferunt seseque novo terrore revincunt,
monte lupi medio veluti, cum nubila latis
incumbunt terris, ululatibus aëra crebris
pulsant perque cavas resonant latratibus umbras.
ut requies facta est animis, tunc ille superbus
talia verba mihi dictis respondit acerbis.
'ista mihi satis est Romani cognita regni
nuper rupta fides. ultra nec fallere quisquam
Antalan se posse putet. iam sufficit istud
Armenio licuisse semel. vos fingis amicos
arte mihi. non vester eram? non saepe cucurri?
non iussus merui? cautus non proelia gessi
pro ducibus, Romane, tuis? res publica certe
fida satis sanguisque tuus, germane, fatetur,
Guarizila, ducis iussu qui fusus iniqui est.
Armeniique tui docuit mihi reddita merces,
frangere quod, nisus nostra virtute, tyrannum
Guntarith hic potuit. paci sic fidus amicae,
sic meritus, vestris quod favi saepe triumphis,
haec ego digna tuli; vobis quia bella peregi.
haeccine vestra fides? tales referuntur amici?
Artabanum modo grata mihi, fortuna, dedisses,
sorte nova fortis pariter cum noster Ilaguas
castra regit gentesque ferae de finibus Austri!
quas tamen ecce parat ductor temptare Iohannes
milite cum parvo. pacem qui quaerere nostram
non humili cum iure putat, sed callidus arte,
poscere quos decuit, vanis terroribus artat.
tot mihi post meritos subiecto Marte triumphos,
dextera quos tribuit, ducibus virtute peremptis,

338 promisere *T* dignisque *T* 341 cucurri *T*, recurri *Mommsen* 345 pressisse *Bekk.*, deperisse *T*, periisse *Mazz.* 348 pacemque *T*, pacemue *legit Mazz.* 353 montem *T* 361 aremeio *T* licuisse *T*, necuisse *Mazz.* semul *T* uos *scripsi*, quos *T* fingis *T*, fingit *legit Mazz.* 362 mihi *T*. noua *Mazz.* 363 iussus merui? cautus *Mazz.*, iussis merui cautus *T*, iussis merui parens? *Mommsen* 369 zuntarich *T* 370 meritus *Bekk.*, meritis *T* 373 dedisset *Mazz.* 375 ferae *dubitans Bekk.*, fere *T* 381 pereptis *T*

post Solomona ferum, primi post fata Iohannis,
Antalan cuiquam bello temptare licebit?
terreat ergo lupum pascens in vallibus agnus?
et leo iam metuat surgentem in cornua cervum?
vividus ore canis leporem damamque pavescat?
et ferus accipiter mitem sub nube columbam?
armiger ipse Iovis liquidam tremefactus in aethram
effugiat raucamve gruem cygnumve canentem?
omnis et inversis pereat natura figuris?
Romanis totiens iterum concurrere victis
ecce placet. rursus redeant et proelia temptent'.
  vix ea legatus: media inter verba cucurrit
perque duces varium perque agmina fervida murmur,
turbine ceu valido, prima surgente procella,
aequora pulsa gemunt ruptis crepitantia ripis,
congeminat tunc unda sonos, et litora lapsu
cuncta fremunt, crebroque resultant aspera fluctu.
imperat erecta motaque silentia dextra
ductor. conticuere citi, intentique magistrum
suspexere viri. facies tunc omnis in illum
mensque coit. cupidique volunt audire iubentis
consilium. apponunt sensus auresque loquelis.
hortatur placida rector tunc voce cohortes
attonitas, avidasque movens in proelia mentes
talibus incendit dictis et firmat in hostes.
'Romanis, socii, crevit sic gloria rebus,
resque super totum regnavit publica mundum,
dum gentes, dum bella domat. non arma ferentes
Romanus timuit populos, aut agmina miles,
quanta forent, metuens convertit terga retrorsum,
fidus quippe suis et multo pervigil astu
et virtute potens Martis sufferre labores.
sed quotiens dirupta fides, nec principis ullus
vicit honos mentes iam sese ad bella parantes,
dum raptus, dum praeda placet, dum praemia miles
Martia mente cupit nostris contraria signis,
tunc Romana manus propriis conterrita dextris
terga dedit gentesque feras vicisse putavit.
non tamen his longos tenuit fortuna labores
perfidiis, sed laeta ferens meliorque revisit.
diligit illa suam fatorum munere Romam.
hanc propter multos perdens omnino nocentes
contrivit, rebusque dedit sua gaudia nostris.
profuit insano nomen quid ferre tyranni

384 agnum *T* 387 mictem *T* 388 liquida *Mass.* aethra *Mass.* 397 sonum *in sonis 1 m. mutatum T* lapsu *Mass.*, laxu *T* 398 femunt *T* resulta *T* 399 erepta *T* motaque *Mommsen*, mutaque *T* 405 mouet *T* 408 super *scripsi*, semper *T*, simul *Mass.*, ita per *Haupt Opusc. III 615, an* super *dici non possit dubitans, sed cf. in laud. Iust. II 178* 409 domant *T* 418 roma *T* 419 que *add. Mass.* 420 labores *T*, fauores *malim* 421 perfidiis sed *Bekk.*, perfidus sed *T*, perfida sed se *Mass.* reuissit *T* 422 munere *Bekk.*, numere *T*, numine *Mass.*

Guntarith, Armenia iacuit qui ex caede volutus?
nonne epulas inter vel festae pocula mensae
exsolvit meritas pro fracto foedere poenas?
quid Stutiam referam profugum, tot partibus orbis
errantem, dum multa cupit, dum vana requirit,
nomen habere volens iniusto Marte tyranni?
quas Libyae clades, quos gentibus ille furores
addidit! aut quanto maculavit sanguine ferrum!
tardius ille licet, digna sed morte peremptus
occubuit, crimenque simul poenasque resumpsit.
cernitis ergo, viri, quantum fortuna laboret.
principibus servare fidem, quantumque secundo
Marte gerat totum Romanis subdere mundum.
ergo agite, et belli socii civesque fideles,
pandite quisque suas in aperta pericula vires,
Romano de more pii, gentesque malignas
rumpite. cognoscant populi regesque subacti,
quae rebus virtus et quae sit gloria in armis.
cernite, sub quantis iaceant nunc signa periclis,
et vigilate, viri. mediis tentoria Mauris
vallantur. virtute salus gladioque petenda est.
coniunctos lateri nostro quos credis amicos
pacatosque putas, casu speculantur in isto.
si victor Romanus erit, famulantur, adorant,
et sola hos faciet victrix fortuna fideles
conceptusque timor. nunc nunc insurgite, cives.
haec est, quae geminas franget victoria partes.
hi gladio pereant, hos virtus terreat hostes.
ite, duces, numerosque locis componite vestris
quisque suos. propriis incedant signa maniplis,
et bene compositas acies in proelia ferte'.
dixerat, et saltu sese super ardua terga
composuit sublatus equi. sonuere verendi
arma viri, cassisque novo splendore coruscans
sole repercusso radios in lumina misit,
loricaeque iubar rutilum per castra cucurrit.
non aliter nubes convexo margine caeli
murmure mota novo, medium dum tangit Olympum,
intonat et subito flammas per nubila vibrat.
tunc omnes saluere duces omnesque tribuni.
post imitata cohors validis incumbit in hastis
quadrupedesque premit. saliens super ardua celsi
colla retentat equi. sonipes celer aequore toto
oppugnat frenis, dextra laevaque per herbas
subsiliens. colloque manus dum sentit heriles,
gaudet et in latos luctatur currere campos.

---

427 faste *T* 434 marte perhentus *T* 435 incubuit *T* 440 uiros *T* 443 in armis *1 m.*, martis *2 m.* *T* 444 cenite *T* iaceant *Bekk.*, iactant *T* 447 coniuncti *Mazz.* 452 uirtoria partas *T* 454 loci *T* 461 cocurrit *T* 465 saluere *Bekk.*, siluere *T* 466 ualidas *Bekk.* hastas *Bekk.* 467 super *Mommsen*, pars *T* 471 luctatur *Bekk.*, luctatu *T*, laetatur *Mazz.*

direxere acies. dextro regit agmina cornu
Gentius, electis circumdans signa maniplis.
ipse magister ovans, rutilato vertice fulgens,
fertur equo, cristisque decens auroque coruscus
per medias volitans succendit proelia turmas,
componitque acies digna fortissimus arte.
magnanimus iuxta iuvenum Putzintulus ingens
arma movet, densasque trahit post signa cohortes.
belliger ipse supercristata casside celsus
loricaque micans et longa pulchrior hasta
arduus ibat equo, sociosque ex more monebat
voce suos, superans quoniam sapientia forti
pectore semper erat. felix, si fata dedissent
longaevos in luce dies, maturus ut ille
cana aetate foret. quantum maturior esset!
tertius ille furens rapta Gregorius hasta
atque levi clipeo et telo fulgebat Iberis.
Geisirith hunc iuxta numeros et signa movebat,
ante tubam cupiens adversas rumpere fossas,
conscius ipse sui. cunctis fulgentibus armis
ardua tela gerit. ferrato corpore toto
ipse nitet. squamas maculis distinguit in auro.
aurea cassis inest commisto flammea ferro.
inde apicem cristasque iuba componit equina.
cingula gemmiferis stringit fulgentia bullis.
vagina gladius latus exornarat eburna.
tunc suris ocreas, multo quas vinxerat auro
Parthica pellis, habet rubroque includit in ostro
depingens gemmis et multa callidus arte.
omnia signa placent meliorque et maxima virtus.
inde per extensos componens agmina campos,
consiliis melior fortis Marturius ibat,
atque tribunicia socios virtute regebat.
Marcianusque potens densos perfertur in hostes,
misturus proprio Barcaei sanguinis amnem.
nec non egregius clara de stirpe Senator
fertur equo, comptisque nitet felicior armis.
hos sequitur fidus, densa stipante caterva,
Cusina Massylis deducens agmina signis.
ille animo Romanus erat, nec sanguine longe,
moribus ornatus placidis, gravitate Latina.
non illum aequiperans iaculis aut viribus esset
vel Veneri dilectus Adon vel fortis Achilles.
at parte ex alia, cornu fulgente sinistro,
nomine ductoris ductor fuit ille Iohannes
iam senior grandisque annis. cui cruda senectus
et virtus iuvenilis erat, qua maximus hostes

473 gemius *T* 475 tristisque *T* 478 iusta *T* putrunculus *T* 488 et telo *scripsi*, telo *T* Ibero *Mazz.* 489 geisirith (*in margine* gersirith) *T* iusta *T* 505 martiannsque *T* 510 cusina (*in margine* cosma) *T* 518 hostes *T*, hostis *legit Mazz.*

frangere non minimo potuit sudore laborans.
discolor hunc portat maculis variatus in albis
parte niger sonipes, gemmis auroque superbus,
ore fremens, camposque levis discurrit in omnes.
ferreus ipse suas componens ordine turmas
itque reditque volans, socios et firmat euntes.
Fronimuth erectis iuxta movet agmina signis
impiger, et campis socians coniungit apertis.
ipse licet medius cristis et casside fulgens
emineat, ferrique novo splendore coruscans
altior adversi radios et lumina Phoebi
suscipiens frangat, densae tamen undique saeptum
circueunt acies clipeis galeisque micantes.
proximus inde ciens numeros Marcentius urguet,
iussaque per latos discurrunt agmina campos.
illius et fulvos cassis premit aurea crines
aere rigens cristisque gravis, thoraxque tremendos
suspendens humeros squamis fulgentibus ambit,
dum sonipes gradibus componit crura superbis.
lumbis tela gerit pharetramque arcumque sonantem
cinctus, et aeratas referens in bella sagittas
signaque terrificis munit vallata tribunis.
hinc Liberatus erat longa praestantior hasta,
hinc Vlitan pulcher, variis depictus in armis,
hic melior pilo, curvo nec segnior arcu.
flectere cornipedem placidis bene doctus habenis
ibat Ifisdaias, gentis praefectus et auctor,
quem fera gens sequitur, nato comitante Bitipten.
gens numerosa viris, et gentis vivida virtus,
ingenioque valens fuerat dux ipse fidelis,
militiae ducibusque placens magnoque magistro.
natus et eximius sumptis praesumptior armis,
nec genitore minor, iaculis qui vincere posset
Persarum teneras nervo pellente sagittas.
commissas acies dux Tarasis ante pedestres,
ardua signa movens, variis componit in armis.
ipse per obliquas distinguit proelia turmas
vectus equo, clipeosque suis coniungere dictat.
tenditur in longum, nexis umbonibus horrens,
Martia per latos acies densissima campos.
murorum in morem celantur corpora densis
tegminibus. solae apparent post scuta bipennes
et summae galeae cristis conisque micantes.
at super erectis horrescit ferreus hastis
campus, resplendetque novis terroribus aër.

524 itque reditque *Mazz.*, idque redit *T* 525 frominieth (*in margine* frominich) erettis iusta muuet *T* 530 densae *Lachm.*, de se *T* 531 circoeunt *T* 535 aere rigens *Bekk.*, erigens *T*, aere ingens *Mazz.* 536 subspendens *T* 538 pharetraque *T* 539 aeratas *Mommsen*, auratas *T* 542 ulitan (*in margine* utilitan) *T* 545 ifisclaias (*in margine* ifiscaias) *T* 546 bitipten (*in margine* bitimpten) *T* 552 teneras *T*, celeres *Mazz.* 553 tarasio (*in margine* taraxis) *T* 562 orrescit *T* 563 resplendet et *T*

sic pater ipse suae componens cornua pugnae
armipotens medius componit signa Iohannes,
ordine cuncta regens aequansque per agmina turmas.
it bene equo medius, totis pugnaret ut armis,
in manibusque suis fortis dictator ut esset
arma movens populi. veluti vigilanter oberrant
cauta reluctantis media inter cornua tauri
lumina, bellantemque parant qua vulneret hostem
parte premens, dextroque rotat laevoque minatur,
vulnera congeminans variato verbere cornu,
quaque iubent oculi, configunt cornua vulnus:
sic acies ductor, perpensis partibus aequis,
bella subire iubet. sic disponuntur et arte
organa plectra lyrae digitis pulsanda magistri.
quam movet ille, sonat contactu fistula venti.
non chordae, non aera gemunt, ni sponte regentis
carmina percussis resonent expressa cicutis.
non aliter iussu ductoris cuncta movetur
discretis acies concurrens ordine signis.
iunctus erat lateri claris Recinarius armis
fulgens et paribus disponens agmina curis,
ipse animo matura gerens, gravitate modestus,
magnanimus, mitis, sapiens, fortissimus, insons,
armipotens, belli domitor pacisque minister,
corde humilis, quod Christus amat, pietate benignus,
et qui dignus erat tali properare magistro.
corpore nam geminos anima iunxere sub una
non natura parens, summi sed signa favoris,
castus amor, pietas, bonitas, sapientia, virtus.
ergo inter medias acies praeclarus et armis
ibat equo, et placido socios sermone movebat.
ipso dispositu felicia signa regentem
fortem mirata est acies inimica Iohannem.
bellorum at princeps nocturno tempore Ierna,
sollicitus curis, muros per castra camelis
construit, octono circumdans ordine campum.
inde boves iungit, bis terno cornua gyro
cornibus arte ligans, et multo callidus astu
implicitas errore parat per devia fraudes,
notus ut inde volans currat per proelia Maurus,
ignarumque premat subeuntis castra per ipsas
insidiae formas infensi militis agmen.
non Labyrintheis Minoia cura latebris
flexerat ancipites tantis anfractibus orbes,
distorquens errore vias, quas callidus arte

567 it bene equo *scripsi*, et bene quid *T*, et bene quis *Mazz.* 568 suis fortis *Mazz.*, sui fortis *T*, suis omnis *requiritur* 574 quoque *T* confingunt *T* 578 uenti *Bekk.*, uento *T* 583 claris *T*, clarus *legit Mazz.* ricinarius *T* 589 propiare *Mazz.* 591 natura *Mazz.*, nostra *T* 595 dispositu *Lachm.*, disposito *T* 596 fortem mirata *Bekk.*, fortem maturata *T*, forsitan intuita *Mazz.* 597 bellorum *T*, Maurorum *Mazz.* 601 calidus *T* 603 ut *Bekk.*, et *T* currat *Bekk.*, currit *T* 604 premit *Mazz.* 606 laberintheis *T*

invenit, tento revocans vestigia filo,
Aegides monitus. pectus tunc ipse biforme
ense ferit misti generis. vomit ille cruorem
et ruit obscurae confringens cornua terrae.
tertia constricti formans munimina valli
circumdat, spargitque pecus vincitque minutum
impediens. medios densis astringit asellis
arte locos, funesque ligans extendit iniquos,
et tribulos per castra locat furcasque bicornes,
exacuitque sudes et magnas obice cautes.
    Antalas pariter pugnas determinat arte,
egrediturque suis vallatus cornibus. ardet
in medium confisus equo, pugnaeque pedestri
composuit solido iunctas umbone phalanges.
sed propius tenuit munitis agmina castris,
nec pedites voluit tristes committere pugnas
longius, expertus totiens quid terror in armis
et virtus Romana potest. tamen ordine certo
processit geminis acies Maurusia signis.
ante volans sonipes totos concurrit in agros,
Laguantanque levis campos collesque propinquos
atque cavas valles silvasque et flumina complens
it, Ierna comitante fero Brutenque superbo.
ille secundus erat. Camalus quos deinde secutus
ardet in adversos multis cum milibus hostes.
Hisdreasen Ialdasque ferox et Sinzira fervens,
quosque referre parans comprendere nomina nullus
mente potest, saevasque volens tot dicere gentes.
his medius, fomes belli rectorque, Sidisan
acer erat, dextrosque equites et signa regebat.
at socians laevo Carcasan agmina cornu
condensas acies campos effundit in omnes,
Ifuraces in bella movens, pariterque Melangus
signa regit, Gantal Guentanque, Alacanza, Iutungun
dirus et Autiliten velox fortisque Catubar,
et quos mille duces misere in proelia Syrtes.
    iamque propinquabant adversis hostibus hostes
signaque compositis. arcus volucresque sagittas
depromunt pharetris, et ferrum missile vibrant.
finierat spatium vacui pars obvia campi,
accessumque viris acies aliena negabat,
inque suis obstans venientes fecerat hostes
stare locis, pressisque haeserunt agmina frenis.
prospiciens acies vidit Guenfeius hostis

613 constructi *dubitans Mazz.* 614 uicitque *T* 616 funesque *Bekk.*, finesque *T* 617 triblos *T* 618 magnos *T* 619 dexterminat *T* 620 ardens *Lachm.*, *sed cf. 633* 623 prorius *T* agmine *T* 627 genis *T* maurisia *T* 629 languatanque (*in margine* languantanque) *T* 631 id *T* 634 his dreasen ialdasque (*in margine* dreasen ilabdas) *T* feros *T* sinzira *T*, Suietira *legit Mazz.* 635 comprendere *Mazz.*, compren *T* 639 sotias *T* catarsan *T* 642 iuctungun *T* 648 pars obuia *Mazz.*, par ouia *T* 650 obstans *Mazz.*, hostans *T*

ductorem Antalas media inter signa Iohannem,
agnovitque procul celsa inter tela suorum.
egrediens tunc fertur equo, magnique magistri
transiit ante oculos, domini post terga reflectens
cornipedem frenis. hosti tamen obvius ivit
congressus vacuis ductor fortissimus armis.
arripit ille fugam. quem dux sic voce secutus.
'quo fugis, Antalas? haec sunt minitantia verba?
milite cum parvo veniens vocat ecce Iohannes.
quo velox deflectis iter? modo iudicet ille,
qui caelum terramque movet, qui fulmina torquet'.
talia narranti seseque in bella vocanti
erubuit, maerensque suis se immiscuit armis,
cum magica subito taurus demittitur arte
Maurorum e medio, taurus, quem Ierna sacerdos
atque idem gentis rectorum maximus auctor
finxerat, Ammonii signantem numine Gurzil
omina prima suis. celsis tunc cornibus ille
inter utrosque furit, dubius qua rumperet hostes.
agmina dum trepidant, cursus per Syrtica rupit
ingrediens, iterumque ferox sua castra poposcit.
hunc sequitur Romanus eques tremulumque sub armo
missile contorquens mediis prostravit harenis.
proelia raucisono cecinerunt cornua cantu.
tollitur inde novus fractis ad sidera clamor
vocibus, et magnis ululatibus ardet Erinys.
concrepat omne nemus. tunc omnis consonat echo
gentibus, et varias imitatur reddere linguas.
hinc Sinifere vocans acies Maurusia clamat
Mastimanque ferum. Mastiman assonat echo.
inde ferunt Gurzil. Gurzil cava saxa resultant.
hinc Romana manus conturbans vocibus aethram
intonat, et quassis regemunt montana barathris.
vox veneranda canit. clamatur nomine Christus.
'Iustiniane, tuis pugnet fortissimus armis.
principis imperium nostri, pater optime, serva'.
ad nomen tremuere poli, tremuere gementes
concussa tellure, iugis et vertice silvae.
commotae paruere quati. montesque lacusque
rauca gemunt. orbis tremuit compage solutus,
auctoremque suum linguis elementa fatentur.
additus hinc furor est, animique in bella calescunt.
exhortantur equos, effundunt tela lacertis
spissa viri, densisque iubar pallescit ab hastis.

---

654 agnouitque *T*, dignouitque *legit Mass.* celsa inter *Lachm.*, celsa per *T*, celsum per *dubitans Bekk.* 660 amtalas *T* minutantia *T* 662 uelos *T* 664 narranti *Bekk.*, narrantis *T* uocanti *Bekk.*, uocantus *T*, uocantis *Mass.* 666 subito *add. Mass.* 669 finserat *T* munine *T* 674 sub *add. Mass.* 675 massile *T* 676 concinerunt *T* 678 erins *T* 681 uocans *Mass.*, reuocans *T* maurisia *T* 682 mastinantque *T* 685 regemunt *Mass.*, remugiunt *T* barathris *scripsi*, faretri *T*, pharetris *Mass.* 686 uos *T* 691 commoto *T* 693 alimenta *T*

sub iaculis nox atra ruit, campisque tenebras
et super arma diem ferrum disiunxit utrumque.
obvia contortis densantur tela sagittis,
alternaque hinc inde volant. tunc tristior omnis
obscurusque subit tantis hastilibus aër;
quantaque torserunt, totidem modo vulnera partes
suscipiunt. mortem veniens telum omne minatur;
sed dispar fortuna regit. nam missile tortum
saepius adversa vulnus, dum currit, in hasta
inveniens, gemino consertum pondere campo
corruit, ac duo rapta simul mors vulnera perdit.
inque aliis mors ipsa rubet. tunc sanguine misto
terra madet. strident missis hastilibus aurae.
Mars furit et media permistos caede virorum
exanimes convolvit equos. coit improba virtus
alterna de parte ruens, caecique tumultu
atque furore viri adversis dant pectora telis.
quique aliis inferre parant, in viscera ferrum
suscipiunt, dulcesque animas per vulnera fundunt.
    acer in obnixos rumpens Recinarius hostes
irruit, adversasque acies et signa fugavit
Eilimare occiso, primus qui proelia miscens
Romanas acies ausus temptare petebat,
fisus equo fretusque suis. hunc maximus heros
excipit. opposito venientis pectora ferro
transfodiens fractis rupit vitalia costis,
hastaque per tergum magna virtute cucurrit.
    vertit equos fugiens gelida formidine Mazax.
insequitur Romana manus turbatque premendo,
dorsaque per latos fervens Maurusia campos
comprimit, et versos facili iam caede fatigat.
ut pedites socios stantes a fronte paratos
fractus eques vidit, rediens in pectora virtus
flectit equos, campumque feris clamoribus implens
currit, et in medios adversi militis ensis
quaerit iter. summis ductor sed viribus obstat,
confirmansque suos dictis hortatur amicis.
'Romani proceres, rerum nostrumque levamen,
experti totiens belli portare labores,
optastis pugnam. tandem data copia pugnae est,
unius puncti nutantis causa pericli.
hoc spatium summis impellite viribus omnes.
hic labor unus erit, nostrae victoria parti
quo manifesta datur. summos portamus honores
militibus, qui bella domant gentesque superbas
frangunt, Romanisque novant sua gaudia rebus'.

---

697 campisque *scripsi*, capisque *T*, carpitque *Mazz.* 700 uolant hinc inde *T* 703 mortem *Mazz.*, montem *T* 707 mos *T* 710 permistos *Mommsen*, permistus *T* 716 obinixos rupens *T* 724 marax *T* 729 pectora *Bekk.*, pectore *T* 731 cocurrit *T* 736 ottastis *T* 737 nutantis *T*, nutatio *dubitans Bekk.* 739 hic *Bekk.*, his *T* uictorie *T*

dixit, et in medium dirumpens concitus agmen
pulsat equum, magnaque fremens it voce per hostes.
consequitur densis acies fortissima telis.
pulvere cuncta latent. at campis ferreus imber
confluit, et nervis volitans pulsatur arundo.
Mantisynan primum ductor transmisit ad umbras,
ense caput rapiens. nec sensit vulnus acerbum
magna viri cervix, nec tardus in ossibus ensis
sanguine tinctus erat. iacuit per gramina vertex
luminibus patulis. truncum levis aequore portans
currit equus, sanguisque micat, qua colla metuntur.
Laumasan inde ferit valido per tempora ferro.
ossibus et fractis pariter per molle cerebrum
ensis abit, galeamque simul pallamque secutus
luminaque et longos secuit cum fronte capillos.
Guarsutiaeque levem coniecta comminus hasta
fundit equum. laevo tremuit confixa sub armo
fraxinus, et calido currens per viscera ferro
perque pedem dextrum domini conserta pependit.
corruit ob vulnus sonipes, dominumque ruina
comprimit ipse sua et letali pondere quassat.
Manzerasen medium rigido mucrone tremendus
dividit, inque latus gemina defluxit utrumque
parte cadens. iugulum rapiens deiecit Iarti
armatamque manum. ferrum tenet illa retractans,
frigidus ille cadit. terrae tremor ingerit ictus
excutiens calidis morientia brachia nervis.
Mazana prospiciens ferventem caede Iohannem
obvius, adducto tentans hastile lacerto,
irruit; inque virum veniens ut missile torsit,
flectit equum domitans. fortis sed vulnera ductor
nulla pavens, clipeo contentam deviat hastam
suscipiens, ipsumque petit non territus hostem,
et ferit intrepidus. virides cruor inficit herbas
exiliens, tantumque iacet per rura cadaver.
viderat ingentem deiectum vulnere fratrem
Gardius, exitiumque parans defendere fratris
ecce volat, tectus clipeo telisque superbus,
ductoremque petit. compellit conscia virtus
germanique dolor. ludit dum poplite flexo
subsiliens, tremulam per costas accipit hastam
tegmine transacto, ceciditque infixus harenae.
quem bonus affatur victum iam morte Iohannes.
'hoc erat, infelix, quod nos virtute petebas,
nescius? an fratri potius comes ire parabas?

---

743 dicit *T* 753 corruit *T* qua *Bekk.*, quo *T* 754 timpora *T*, *ut fere solet* 755 celebrum *T* 756 pallamque *T*, pellemque *Mazz.*, *sed cf. II 136. VIII 192* 764 Manzorasen *legit Mazz.* 765 defluxit *Bekk.*, deflexit *T* 766 iarti *T*, Icirti *legit*, inertem *scripsit Mazz.* 770 macana *1 m. corr. T* 771 tentans *T*, torquens *requiritur*, *cf. Verg. Aen. IX 402* 775 subspiciens *T* 776 infecit erbes *T* 782 du *T*

en perfecta tua est, coniuncta sorte, voluntas
dure magis, praedamque simul mortemque secutus
finibus a Libycis pariter cum fratre recedis'.
    protinus adversa Cullan petit arduus hasta
persequiturque diu. campos dat terga per omnes
Maurus eques magno fugiens conterritus hoste.
perfurit ipse sequens, missis configit et hastis
terga virum, multusque infundit sanguis harenas.
corpora densa cadunt latum revoluta per aequor.
terror Laguantan impellit Martius hostem.
agmina cuncta tremunt. invadit pectora gentis
insolitus virtute pavor. mirantur et horrent
effugiuntque virum. sic contremuere tonantem
fulmine deiecti, fracta cervice, Gigantes.
sic Troiana manus fortem fugiebat Achillem.
    Bruten ut expulsas campis iam vertere gentes
terga fuga, insolitumque suos hausisse timorem
vidit, et eversis acies succumbere signis,
castraque tuta metu Mauros intrare fugaces,
ultima fata suam credens concludere vitam
evocat, errantesque instigat voce cohortes,
talibus et dictis timidos ad bella reducit.
'o miseranda manus, nunquam quae victa recessit,
unde metus gelidas, aut qua virtute, catervas
acer agit? quisquamne fuga defenditur ista?
aut castris securus eris, quae Marte superbus
rapturus iam victor adest? qua territa pugna,
Laguantan gens dura, fugis? quo victus ab hoste.
Austur equo fidens, tanta formidine curris?
non pudet, heu miseri, campis cessisse relictis?
o virtus! o corda virum! nudosne reverti
desertosque libet? calidas sic cernere Syrtes
vaditis? o fugitiva manus, vel prisca memento
bella senum pugnasque truces et nobile robur.
imperium vicere patres. non vincere nostros
Maximianus avos, Romani fortia regni
sceptra tenens, potuit. turbet nunc agmina perdens
militibus quantis aut qua cum plebe Iohannes,
respicite, et tandem vestris succurrite natis'.
    talibus exarsit dictis Maurusia virtus,
atque acies conversa redit, pugnamque resumit
acrior, et densis conturbat nubila telis.
turbine victa ratis cursu ceu saepe recussa
fertur in aequoreas, Auster quo dirigit, undas,
dum miseros turbant infensa pericula nautas,
obvius optato veniat si flamine ventus,

---

788 coniuncta *scripsi*, consuncta *T*, consumpta *Mazz.* sorte *scripsi*, parte *T* 789 dura *Mazz.* 790 a *Mazz.*, ha *T* 792 diu *scripsi*, dire *T*, uiros *Mazz.* 794 confugit et hostis *T* 797 terro ilaguaten *T* 798 pettore *T* 804 hausisse *scripsi*, auxisse *T*, anxisse *Lachm.* 813 quae *Bekk.*, quem *T*, quum *Mazz.* 814 qua *Mazz.*, quam *T* 815 languatan *T* 832 infessa *T*

assurgit laetus magno clamore magister
exhortans socios, puppem convertit et altam,
velaque placatis intendit prospera nautis:
sic victos populos praefectus voce refecit,
atque truces animos verbis ad proelia torsit.
    Bruten in adversum contorsit missile Paulum,
perque viri calidum transivit lancea pectus
acta tremens, rupitque vias pulmonis anheli,
et valido geminas confregit verbere costas.
ense ferit Ialdas miscentem proelia Largum,
Sinzera Crescentem, Servandum mactat Ilasan.
Marcianumque petens infausto Marte tribunum
Hisdreasen summis excussam viribus hastam
torsit, et adversi frontem ferit horridus ira
fortis equi. sonipes letali vulnere victus
corruit, atque hastam nimio sub pondere fregit.
consurgit velox magna virtute tribunus,
amisso nec fractus equo campisque pedester
constitit et galea celsus clipeoque refulsit.
at ferus Hisdreasen visu tremefactus eodem
continuit sese, solus temptare nec hostem
ausus retro redit. nudo tunc ense tribunus
insequitur. domitum ferrata calce fatigans
Hisdreasen contorsit equum, sociumque per agmen
effugiens trepidus densis se miscuit armis.
ut vero ille sequens auctorem attingere teli
non potuit, medium sternit mucrone Merasgun.
Suartifanque super celerem, Montana, Gamasdrum
eripuit, mortemque miser suscepit Isaguas.
inde furens victor victis rapit hostibus arma
turbidus, et sociis fugientes conserit hastis
acer et intrepidus. sternuntur corpora passim
densa virum alipedesque simul, quos missile tortum
invenit, medios casu dum currit in hostes.
    at procul Antalas celso de colle videbat
omnia prospiciens. nam se committere primis
noluit ante viris, astu sed proelia temptans
auxilio venturus erat. tunc caede tribunum
non tulit ardentem. Mauris succurrere fessis
incaluit, sparsasque acies de colle petivit.
ergo inter socium dirumpit saevior agmen
Marcianumque petens turmas per prata sequentem,
ut leo venantum magno clamore coactus
montibus in mediis, stimulis et verbere caudae
aspera terga ciens in proelia suscitat iras,

835 altam *Mazz.*, arcem *T*   836 uelaque placatis *Mazz.*, bellaque placidis *T*   nautis *T*, uentis *Mazz.*   837 preuettus *T*   839 contursit *T*   840 lancia *T*   842 geminans *T*   844 sinzera *T*, Sinzora *legit Mazz.*   845 martianumque *T*   853 idreasan *T*   861 Gamasdrum *scripsi*, ganiasdrum *T*, gamasdrun *legit Mazz.*   862 *in* eripuit *nomen Mauri cuiusdam latere videtur*   suscipit *T*   869 nam *T*, non *Mazz.*   870 uolnit *in* noluit *l m. mutatum T*, uoluit *legit Mazz.*   ante *Bekk.*, arte *T*   875 martianumque *T*

ore fremens, frangitque viros virtute potentes.
congreditur viso nec territus hoste tribunus
irruit, infensoque virum mucrone petebat.
ante sed oppositam transivit lancea parmam,
inque viri costis lato stetit improba ferro.
  nascitur inde fragor. magnis montana resultant
vocibus, et fracto crudescit pugna tumultu.
Antalae virtus venientis suscitat iras,
spemque dedit victis. iterum concurrere certant.
agmina densantur cunctis, aciesque novantur.
ipse ubi collectis firmavit robora turmis,
per medios enses quatiens acerrimus hastam
irruit, et densos volitans perfertur in hostes.
  obvius ardenti primus sese obtulit Ornus,
Romulea non gente satus, quem Persica mater
edidit ad bellum, rapuit tamen Africa matri
Antalae superante manu. namque arduus hastam
viribus intorquens, clipeum transfixit et hostem.
protinus infelix, fatis oblatus iniquis,
Arsacis occurrit, crudo quem fervidus ense
Antalas medium truncat, qua cingitur artum,
extaque per geminas secuit spirantia partes.
inde ferit pavidum conversa cuspide Malcum,
Artemiumque furens et duro nomine Maurum
transadigit, socioque infixus deicit ictum.
  Zudius eximiis longe praesumptior armis
contempto pedes ibat equo, turbasque tribunus
hostiles sternebat ovans. iamque ille Misantan
fuderat et Tiseran. Tiseras de plebe rebelli,
Mansitalas pinnatus erat. tunc mittit ad umbras
immitem Sangin. tumidum compressit Amarum
et Garafin Tilifanque duos per vulnera fratres
stravit humi. frater morientem vidit uterque
germanum moriens. doluerunt pectora matris
tempore tam longo tristes passura dolores.
hunc procul ardentem cernens a colle Sidafen
obvius ire parat. tunc Syrtica contrahit arma,
magnanimumque petit ferventem caede tribunum,
quem numerus virtusque premit. circumfluit hostis
densus, et iniectis perturbant undique telis.
infigunt feriuntque virum. tunc mille peremptum
hostes vulneribus media stravere per arva.
  verterat expulsis acies per devia signis,
impuleratque duces terror post terga redire.

---

881 infessoque *T* 883 constis leto *T* 888 cunctis *T*, campis *Mazz.*, contis *Bekk.* 889 ubi *T*, ut *legit Mazz.* 892 octulit *T* •893 rumulea *T* non *T*, de *Mazz.* Persica *Mazz.*, perfida *T* 896 et *Mazz.*, in *T* 899 artum *scripsi*, arcum *T*, arcus *Mazz.* 903 transadegit *T* 905 contento pede *T* 906 misantan *T*, Nusantan *legit Mazz.* *post versum 906 versus unus intercidisse videtur, qui finiebatur verbo* Mansitalanque 907 tisiran *T* 909 sanzin *in* sangin *1 m. mutatum T*, Sangrin *legit Mazz.* compressit *Mazz.*, impressit *T*, ui pressit *Lachm.*, *cf. 989* 911 utrumque *T* 919 mille *Bekk.*, ille *T*, morte *Mazz.* perentum *T*

sed ductor properans, fidis comitantibus una
armigeris, victos socios virtute levavit.
hic primum ensipotens rumpens inimica Iohannes
agmina fulmineo Madden per pectora pilo
transfodiens prostravit humi fortemque Magargun
et Taden et Meilan. tum novo porpore Fugen
Ariarith ingentem detruncat vulnere, Mestan
ense rotat magnum, et vertens per gramina collum
corruit Altiserae. vultus in pectora Zambri
percussa cervice ruunt, stomachoque peremptus
flumina rubra vomit Roffas atque ilia pulsans
extremis authima singultibus ore vocabat.
    haud procul inde Ziper medium currebat in agmen,
turbabatque viros cogens in castra redire.
ille neci Ialdan Tusdrunque Arcanque Nadosque
morte dedit varia, sed valle stravit in una.
his celerem coniunxit Ilan, contoque superbum
Conunian mediis feriens effudit harenis.
    signiferum vocitans Vitulum Recinarius ardens
compulit in medios signum committere Mauros.
ipse volans pariter densos virtute per hostes
effera castra petit. sequitur tunc cetera pubes,
diffinduntque vias, et fossas rumpere temptant.
quis dolor ille fuit, quo sic Recinarius ardens
ibat in hostiles, prosternens agmina, montes,
rumpere castra parans? non sic virtute tremendus
Alcides miserae turbavit moenia Troiae,
Laomedontiadas agitans regemque tremendum.
persequitur mactatque viros. hic caede furentis
missile dura ferit contorquens pectora Lanzi.
tunc mucrone caput terrae deturbat acerbi
Masguen, et rigida Nacusan ferit eminus hasta.
Macurasenis equum media prostravit harena
vulnere confossum valido, dominumque ruentem
desuper ipse premit. ruptis praecordia venis
purpuream fundunt animam. tunc calcibus ipsam
tundit humum moriens, herbasque et gramina quassat.
    hic Solumuth fortis densos invaserat hostes.
is mactat Cullen, concurrentemque Iutungun
sternit humi. iugulat pressum mucrone Meuzzen,
Laltin equo deiecit agens, fortemque Sinisgun

---

925 rumpetis *T* iohannis *T* 928 nouo porpore *T*, toto corpore *Mazz.* 929 detruncat *Mazz.*, detegat *T*, deiecit *malim*, *cf. 992* 930 uertex *T* 932 pereptus *T* 933 ilia *Mazz.*, alia *T* 934 authima *T*, Athiman *legit Mazz.* ora *T* 935 aut *T* agmen *T*, agrum *legit Mazz.* 938 strauit *T*, secauit *legit Mazz.*, necauit *Bekk.* 941 ricinarius *T* 945 diffinduntque *scripsi*, defenduntque *T* 947 hostiles prosternens *Bekk*, hostes prosternens *T*, hostes prosternens media *Mazz.* montes *T*, muris *Mazz.* 950 laumedontiadas *T* tremendum *T*, uerendum *dubitans Bekk.* 951 hinc *Bekk.* 954 masgue *T* 955 prostratur *T* 960 hic Solumuth *scripsi*, hic subulum ut *T*, Hisbulun ut *Mazz.*, *cf. VII 417—420* 962 Meuzzen *scripsi*, menzzen *T*, menrren *legit*, meurren *scripsit Mazz.*

Varinnumque ferit, quem nondum fata trahebant.
tegmina divisit gladius, palmamque sinistram
contigit, et summos dirupit verbere nervos.
victus at ille fugit, pereunte per agmina parma,
saucia dum digitis dependet laeva cruentis,
currentisque cruor madidus vestigia pingit.
Geisirith ardentem Mificum campisque furentem
deicit, adversumque ferit per pectora Ceucrum.
pinnatum Antifan Dorotis arundine fixit.
protinus inflexum curvat fortissimus arcum,
excussaque ferit fortem Maggite sagitta.
volvitur ille cadens. cursus servavit arundo
pulsa suos, saevi fugiens per tempora Cambri.
Cambrus ut infelix, alieno vulnere raptus,
corruit in frontem, armigerum Barsippa petivit
protectus clipeo et librata concitus hasta
subsiliens. dum ludit magnum umbone per hostem,
pinnigerum Barsippa levis per viscera ferrum
suscipit, et magno ad terram cum pondere fluxit.
praecipitem Vulmirzisacum per bella ruentem
consequitur, missaque infixit comminus hasta.
hinc nigrum Manonasan agit sternitque cruentum
ense virum. rapto moritur Vascina lacerto.
Bulmitzis mucrone ferox fortisque Tamazu
sternitur et duro confisus Martzara pilo,
ast tor acerba furens. Germanus comprimit Arzen,
at Salusis Meniden, Mestanque in rupe Iohannes.
Tanala mactat Iten, Vitalis arundine Tizen,
Fisculaque ingentem deiecit vulnere Frecten.
    iam gravis incumbens Mavors compulsa timore
agmina cogebat fidis succedere castris,
miles et in mediis Mauros truncare camelis
coeperat obsessasque gravis dirumpere fossas.
hic vero ingenti concurritur undique pugna,
Romanique simul fortes Maurique rebelles
pacificique ruunt. frater nec cognitus ulli
pulvere concretus, carum nec notus amicum
cernere tunc potuit civemve agnoscere civis.
miscuerant acies nullo discrimine turmas
Marte gravi, densisque incurrunt agmina telis.
vix sinit obnixas confuso Marte catervas
turba movere manus. confringunt pectore pectus
et clipeis clipeos, et conis proxima quassant
fortia colla virum. iam nescius accipit hostis

---

964 uarrinnumque *T* 968 saucia dum *Bekk.*, sauciatu *T*, sauciatum *legit Mass.* dependet *Bekk.*, dependit *T* 970 geisirich *T* 971 deiecit *T* 972 pinnata *Mass.* 977 felix *T* 980 ludit dum *malim*, *cf. 782* 983 uulmirzisacum *T*, Vulmir Zisacum *Mass.*, *forsan* Bulmitzis Acum 985 manonasan *T*, Manonasen *legit Mass.* 987 bulmizis *T* 988 marezare *T* 989 ast tor *T*, Austur *malim* 990 salusis *T*, Salius *legit Mass.* 996 absessasque *T* 997 uero *T*, non *legit*, tamen *scripsit Mass.* 999 pacisicique *T* 1001 cognoscere *T* 1003 agmina *Bekk.*, agmine *T*

saeva per occultos confossus vulnera cultros.
mortua condensis stipantur corpora turbis.
funera mille cadunt. sanguis perfundit harenas
contiguo rivo, pedibus calcatur et amnis
purpureus, rubroque madent vestigia luto.
Ierna premit miseros urguens in proelia Mauros
Antalasque fremens. compellunt agmina castris
e mediis exire suis, murosque per omnes
arma ferunt. misti senibus densantur ephebi.
omnis ad obsessas aetas concurrere fossas
cogitur, et crescens succendit bella tumultus.
Romanis virtus, Mauris locus addidit iras.
insidiis Martem fallax agit undique Mazax.
currit, et in mediis intrantes castra camelis
observat, fugiensque ferox modo comminus hostes
missile contorto, nudo modo percutit ense,
implicitosque premit. facto nunc agmine muris
egreditur, fortesque intentat pellere turmas.
horrida nec solum volitans dat vulnera ferrum.
nunc lapides torresque cadunt, modo missile robur
spargitur, inde sudes et fracto monte molares
in galeis clipeisque tonant, modo pondere plumbi
corpora dant animas. cernuntur fulminis instar
saepe faces rutilis ardentes currere flammis,
alterna quae parte volant. stat robore summo
miles, et invicti fretus virtute magistri
castra adversa premit. certat tamen hostis acerbus,
expugnatque viros, et fossas vindicat arcens.
et socios ductor pulsans firmansque Iohannes
voce tonante iuvat. conturbans territat hostes
ille sonus, faciemque viri vocemque tremiscunt.
horrificos veluti cum Iuppiter excitat ignes
aethere commoto, et tonitru conterritat orbis
omne genus, fractisque tremunt praecordia nimbis:
Marmarides acies sic magni voce Iohannis
conturbat gelidus quassato pectore terror.
agmina mota pavent. convertunt terga retrorsum.
insequitur Romanus agens, sternitque per ipsos
corpora densa locos. hortatur rumpere fossas
ductor ovans, laetisque incendit pectora dictis.
'vicistis, socii. faciles nunc rumpite muros
ensibus, et gentes gladiis truncate cruentis,
vindictae dum tempus adest, dum letifer hostes
terror agit, virtus animis dum maxima vestris.
nunc tempus. pretium, iuvenes, deposcite belli.
hostibus extinctis praedam sperare licebit.

1008 confoxos uulnere *T* 1011 contiguos uiros *T* calcatus *T* 1012 luto *T*, limo *dubitans Bekk., cf. in laud. Iust. II 23* 1016 densatus *T* 1017 cuncurrere *T* 1020 mezax *T* 1022 fugitque *T* 1024 fato *T* 1028 fracta *T* 1029 plumbli *T* 1031 flammas *T* 1038 tremescunt *T* 1040 tronitu *T* 1041 nimbis *T*, membris *legit Mazz.* 1048 rupite *T* 1050 uindice *T*

iussa per imperii (videam sic lumina Petri
incolumis dilecta mei! Carthaginis arces
cernere sic victor merear!) mercede laborum
omnia militibus donamus castra volentes.
non mihi, non ulli ductorum auferre licebit
de praeda sociis. habeat sua gaudia raptor
miles, et in propriis laetetur fortior ausis.
eia agite, o iuvenes! hominem, pecus, obvia quaeque
impediunt, mactate truces, et limite largo
implicitas planate vias. ego primus inibo,
quod videt, ut faciat securus miles in hoste
exemplo iam quisque meo'. sic fatus, et ipse
castra petens primus magnum ferit ense camelum,
qua pedibus vis tota feri latet insita nervis.
tunc per utrumque femur vulnus transivit acerbum,
et geminas secuit conciso robore coxas.
retro ruit revolutus humi stridore camelus
horribili, geminosque impressit pondere Mauros,
ossaque contrivit quassis male mista medullis,
qui ducis horrifico celsam terrore sub alvum
condiderant sese. cecidit resupina duobus
cum genitis Gaetula iacens, supraque cadentes
sarcina laxa ruit. cecidit calathusque lapisque,
quo Cererem frangit. dirupit vincula pondus
dissolvitque moras. turbantur castra repente,
atque uno scissi patuerunt vulnere muri,
subductis veluti moles excelsa columnis
cum sonitu deiecta cadit, resolutaque saxis
fabrica magna iacet latos diffusa per agros.
Gentius adversas alia de parte catervas
sternit humi, et ruptos condenso milite muros
turbat acerba furens. pariter Putzintulus ardens
horrida fulmineis sternebat corpora telis.
ceu duo turbantes currunt armenta leones,
persuadet quos dura fames, sic saevus in hostes
ibat uterque suam dirumpens vulnere partem.
Fronimuth oppositum scindens ruit impiger agmen,
castraque cuncta movet. densis Marcentius armis
ardebat mediis prosternens agmina fossis,
atque simul fervens roseo furit ense Iohannes.
adversas alia truncabat parte catervas
Cusina Romanis consanguinitate propinquus

1054 iuxa *T* 1058 non mihi *Bekk.*, nam mihi *T* ulli *Bekk.*, nulli *T*, ullis *Mazz.* 1062 mattare *T* 1067 qua *Bekk.*, quo *T* uis tota *scripsi*, uicta *T*, uis iuncta *Mazz.* 1069 rubore *T* 1071 horribilis *T* 1073 orrifico *T* album *T* 1075 iacens *errore typographi deest apud Mazz., quare ante vocem* Gaetula *Bekk. dubitans* mater, *Haupt Opusc. III 370* genetrix *inseruit* 1076 laxa *Bekk.*, lassa *T* calathusque *Mazz.*, letusque *T* 1077 pondus *Mazz.*, pende *T* 1079 patuerunt *T*, patuere *legit Mazz.* 1080 miles *T* 1081 consonitu cum sonito dietta *T* 1085 turbarum *T* putzurlus *T* 1090 frommut *T* 1094 catenas *T* 1095 Cusina Romanis *Bekk.*, cusinormans *T*, Cusina Romana *Mazz.*

atque fide. largum fundens super arma cruorem,
corpora per latos sternit Maurusia campos
densis missilibus. duro rotat ense lacertos,
collaque multa virum nervosque obtruncat equorum.
rescindunt fossas omni de parte tribuni.
Tarasis in medios contra furit arduus hostes;
pectora dumque ferit, fractis undantia costis
viscera rupta natant calidoque in sanguine torpent.
fortis Ifisdaias summis cum viribus ardens
ibat, et adversas acies per prata necabat,
Syrtica prosternens ferventi funera ferro.
accendit socios ductorum maxima virtus,
conceptusque furor gladiis tunc cetera miscet.
dirumpunt mactantque viri, rapiunt feriuntque,
efficiuntque vias sternuntque cadavera passim,
atque truces currunt. feriunt discrimine nullo.
non aetas animos, sexus non mitigat insons.
omnia prosternit Romanus corpora miles.
fit sonus armorum. fractis montana resultant
tegminibus. gemitus raptis dant pectora membris,
mistaque per latos densantur funera campos,
qualiter, antiquae sternentes robora silvae,
innumeri agricolae steriles succidere plantas
certatim insistunt. tot per nemus omne bipennes
congeminant validos silvis regementibus ictus.
sic fera dirupit Maurusia castra Iohannes
cum sociis. cunctis stridunt de partibus enses
atque cruore rubent. animas in vulnere reddunt
cum gemitu; mistique ruunt per prata cadentes
nunc senibus iuvenes, nunc pressae pondere matres
ardua cum natis inter pecuaria parvis.
innumeros fundunt gladiis ferventibus hostes,
sternit et innumeras morientum lapsa ruina.
crinibus adductae pavitant fera vulnera Maurae,
dum trahit hostis ovans. infantes ille reportat
direptos ex hoste volans, mandatque ministris,
et redit ad medias conculcans funera fossas.
ille camelorum gaudet dirumpere vincla,
diripit ille boves, ovibus redit ille reductis,
hic pulsat tardos conversa cuspide asellos.
omnia iam pereunt. Maurorum tarua nusquam.
    solus eques currit iam campis nudus apertis.
effugit ille ferus confracto robore Ierna,
et simulacra sui secum tulit horrida Gurzil.

1096 fide *T*, fidus *legit Mazz.* arma *T*, arua *dubitans Mazz.* 1097 maurisia *T* 1101 arduis *T* 1102 dumque ferit *scripsi*, dux *T*, dux fixit *Mazz.* 1103 ructa *T* torpens *T* 1104 ifidaias *T* 1108 glodiis *T* miscens *T* 1110 efficiuntque uias *Bekk.*, effugiuntque uias *T*, effugiuntque uiis *Mazz.* 1114 sonitus *T* 1117 antque *T* 1118 plactas *T* 1119 tot *T*, tunc *dubitans Bekk.* 1122 cuncis *T* 1128 morientum *Bekk.*, morientium *T* 1132 conculsans *T* 1134 dirupit *T* 1136 tarua nusquam *T*, tarda moueri *Mazz.*, *sed cf. VII 273* 1137 equus *Mazz.*

huius et auxilio sperans se posse tueri,
cornipedem infelix geminato pondere pressit
impediens, mortemque sibi miser ipse resumit.
quisquis is est, quem, vane, colis, quod gentibus ille
praesidium, quae digna tibi solacia praestat,
dum tu morte cadis, dum frangitur ille per hostes,
dum conflant nitidum flamma solvente metallum?
Syrtica per latos fugiebant agmina campos,
quae circumfusus densis exercitus armis
insequitur, sternens variis per devia fatis.
nec potuit quisquam Romanos ferre sequentes
morte gravis, faciemve fugax oculosve retorsit.
proiciunt enses gelido terrore subacti,
praecipitesque cadunt. facili iam caede trementes
miles acerbus agit. Solomonis signa retollunt
prisca viri, Iernaeque simul captiva reducunt.
horrida per cunctos sternuntur funera campos.
per valles scopulosque ruunt. iam flumina complent
corporibus densis, supraque cadavera calcant
quadrupedes, quassisque rubet levis ungula membris.
dant gemitus miseri. sanguis per gramina currit.
in manibusque virum concretos glutinat enses
aspersus super arma cruor. ferrum omne rubescit.
occubuit princeps multa inter milia Ierna.
Marmaridum rex ille ferus quondamque superbus
confossus iacuit mediis bene nudus harenis.
ille dies cunctis supremus gentibus esset,
si mora praecipitem tenuisset prospera solem,
fecit ut ante semel. iam pronior ordine certo
axis, in occiduis summersus flammiger undis,
ex oculis gentesque fuga bellumque tenebris
eripuit, fortesque acies in castra reduxit.

LIBER SEXTVS (QVINTVS).

Victores placidam Romani nocte quietem
non omnes petiere simul, sed castra vicissim
conservant lucri vigiles, nec lumina claudunt.
laeta per insomnes discurrunt gaudia mentes.
militis indomiti nullus post proelia membris
torpor inest. quassos reficit victoria nervos,
virtutemque novat captae spes addita praedae,
et relevant animos fidi promissa magistri.

1143 quisquis is *Bekk.*, quisquis *T*, quis quisnam *Mazz.* 1144 sibi sollatia prestet *T* 1145 dum tu *Mazz.*, dumque *T* 1146 conflant *scripsi*, conflat *T* metallum *Mazz.*, maxillum *T* 1148 circomfusus *T* 1149 sternens *Bekk.*, externens *T*, terrens *Mazz.* 1151 grauis *T*, graues *malim* retorsit *T*, retraxit *legit Mazz.* 1152 subacti *Bekk.*, subacto *T* 1160 miseros *T* 1161 concretus *Mazz.* gluctinat *T*
1 uictoris *T* 3 lucri *T*, laeti et *Mazz.*

Maurorum interea noctis defensa tenebris
agmina currebant cunctis per devia terris,
sparsa metu. nox ipsa iuvat, nox ipsa fatigat.
eripuit mediis cunctos de faucibus Orci
occultans obscura viros. sed rursus easdem
sollicitat dubias incerto Marte catervas.
effugiunt pavidi, nullo post terga sequente,
dum trepidant, strepitusque suos sonitusque suorum
esse putant hostes, turbatique ardua quassant
ilia cornipedum. crebris montana flagellis
nocte silente crepant. socium terroribus agmen
exagitat solidum quatiens levis ungula campum.
altera Phoebeos cogebat currere cursus
Oceano reserata dies. turbatur anhelis
aequor et ardet equis, fervescunt stagna profundi,
aestuat unda tumens, et sacros parturit ignes.
consurgens solita primum pietate magister
laetus agit grates, dominum virtutis adorans
et meritas reddens tali pro munere laudes.
tunc laeti venere duces fortesque tribuni
et primi procerum. medius quos ipse magister
sic prior alloquitur: 'quae gens durissima vestros
corruit ante pedes, socii! sic mortis amicam,
sic iugulos inferre neci, sic currere in hostes
non alibi populos, saeva non Perside vidi.
nam quotiens victos hostes dare terga subegi,
intrepido totiens vultu rediere minaci
cum fremitu saltuque fero. tamen ordine summo
et nostri virtute dei confracta recessit.
nunc Libycos fines solito custode tueri
ac celerare placet felicia regna referre.
ocius in proprias numerosque reducite sedes
et munite locos. celsos indagine montes,
antra, nemus, fluvios, silvarum laxa, latebras
cingite, et obsessas cauti concludite fauces.
tempore sub modico periet gens impia Maura
deficietque fame. aut nostris se protinus armis
subiciet pacemque petet, si milite pulso
non valeat populare casas, aut ultima mundi
appetet arva fugax, et nostras deseret oras.
Byzacii geminis ducibus sit maxima cura
Massylas acies acie turbare sequaci,
sollicitis tristes gladiis urguere phalanges,
et procul a nostris expellere finibus hostes'.

---

9 murorum *T* 11 uuuat *T* 18 fragellis *T* 20 exagitant *T* 21 cursus *T*, currus *dubitans Bekk.* 30 quae *Mazz.*, quem *T* 33 alibi *scripsi*, albis *T*, Albis *Mazz.* perfide *T*, saeuam non Persida *dubitans Bekk.* 35 intrepidi *dubitans Bekk.* quotiens *T* 39 ac celerare *scripsi*, accelerare *T* 44 Maura *Mazz.*, maurox *T*, *forsitan* Mazax 46 subicient *T* petent *T* 51 sollicitas *T* 52 et procul a nostris *Mazz.*, et nostris procul *T*

dixerat, et cuncti dicto parere fatentur.
digressus proprias florens exercitus arces
inde petit. subeunt urbes, castella locosque.
solvitur a longo miserabilis Africa luctu,
et placidum gaudens cantat vicisse Iohannem.
plausibus assiduis felix Carthago magistro
Iustiniana favens geminis excepit in ulnis.
panduntur portae multo iam tempore clausae.
ingreditur victor populo gaudente triumphans
urbem per mediam. palmas laurosque virentes
Sidonii patres referunt. concurrit ab omni
turba via, expectans acies intrare Latinas.
conveniunt fessique senes pavidaeque puellae
visendi studio. stantes per moenia matres
aspiciunt, variisque modis per gaudia plangunt.
contingunt animos saevi tot tempora belli.
feminea pietate dolent, casusque priores
commemorant, narrantque feri malefacta tyranni,
gentibus ut dubias patefecit in ordine portas
foedere dirupto, miseram qua mente fefellit
fervidus aut quantis turbavit cladibus urbem.
laudibus immensis pueri iuvenesque senesque
imperiale canunt ductoris munere nomen
exultantque animis. omnis miratur et aetas
bellica signa videns, concretas pulvere vestes,
terribilesque viros quos fecerat aspera caedes.
loricas, conos, clipeos gladiosque minaces,
cingula, frena, comas, arcus pharetrasque sonantes
pilaque purpureum spectant gestantia ferrum
sanguine Massylo. captivas cernere Mauras
ire iuvat, celsis inscripta ut fronte camelis
impavidae sedeant, parvosque sub ubere natos
contineant, ausae geminis ambire lacertis
sarcinulas super et parvi cunabula lecti.
heu miserae matres! vultu maerente laborant,
impia corda gerunt. miseris modo matribus Afris
iam servire volunt. didicerunt corda dolores
impia, paenituitque malum; sensere, quod essent
bella cavenda nimis. damnant sortesque deosque.
nec color ipse fuit captivis omnibus unus.
concolor illa sedet cum nigris horrida natis,
corvorum veluti videas nigrescere pullos
matre sedente super, solitas cum porrigit escas
ore cavo pansisque fovens complectitur alis.
horribiles vultus parvis ostendere natis
dum patres matresque libet sic, limina templi
magnanimus ductor signis comitantibus intrans

---

54 flores *T* 57 canctat *T* 59 excipit *T* 70 male facta *Bekk.*, mala fata *T* 71 parte fecit *T* 72 qnam *T* 73 quantas *T* 77 bella *T* 79 canos *T* 80 frea *T* 83 ut *add. Mazz.* 85 ausae *Mazz.*, alie *T* 87 laborans *T* 89 seruire *Mazz.*, sentire *T* 98 lumina *T*

oravit dominum caeli terraeque marisque,
obtulit et munus, summus quod more sacerdos
pro redituque ducis pro victisque hostibus arae
imposuit. Christoque pater libamina sanxit.
Syrticus interea Carcasan agmina ductor
finibus e cunctis, terror quae sparserat ingens,
contrahit, et tristes lacrimis affatur obortis.
'non ita deiectos sperabam cernere Mauros,
indomitae gentes. nunquam superatus Ilaguas
nudus adest victusque redit. matresque nurusque
perdidimus natosque simul. quid denique restat
ni mors sola viris? quid nunc placet? esse quietos?
an melius bellis armisque lacessere duri
militis arma placet? turpe et miserabile crimen
confractos cessasse semel. non omne deorum
sublatum auxilium campis discessit in illis.
non ita vult Ammon, non iam qui numina Gurzil
sic violata dolet. non sic fortuna minatur,
quae voluit servare viros. pecuaria tantum
perdidimus. nam robur adest. discernite, quanti
occubuere viri. veluti cadus hauriat undas
aequoris Oceani: numquid decrescere possit
aut damnum sentire Thetis? tot et igne recusso
astra cadunt: signis plenum tamen omnia caelum
sidera semper habet. sic nostram laesio gentem
contigit. haud tamen omnino fortissima sensit.
consulite, et rebus celeres succurrite vestris'.
Bruten ut emissas persensit ab ore querelas,
mente ferox rapuit bellum. 'pater optime', dixit,
'ingeminans bellum nostros reparare labores,
uxores natosque potes. cum funere vitam
et bellis finire placet. quae fama per omnes
gentis erit populos, si nostrae iniuria caedis
indefensa manens latum referatur in orbem?
absorptas melius subito telluris hiatu
mors rapiat gentes. extendant Tartara fauces
et nigrae pallore domus. Proserpina regnum
patris inops teneat nigri per bella mariti.
sunt acies, sunt arma tibi. surge, arripe bellum.
te duce confossus ponam sine crimine vitam.
haec est certa salus. tu nostrae gloria gentis,
tu virtutis honos, tu spes fidissima Mauris'.
vix ea Bruten ait, cuncti clamore sequuntur
Carcasanque fremunt, Carcasan omnibus unum
gentibus esse ducem linguis animisque fatentur.

100 terrisque *T* 101 minus *T* 102 uictisque *Bekk.*, uictis *T* 103 Christique patri *Mazz.* 104 cartasan *T* 106 abortis *T* 108 ilasguas *T* 114 decorum *T* 116 Ammon, non iam qui *scripsi*, amonon nam qui *T*, Ammon. non unquam *Mazz.*, Ammon. non, inquam *Bekk.*, *sed cf. IV 1139. 1145. 1146* 117 dolent *Mazz.* 121 equoreis oceiani *T* 122 tetis *T* 124 habent *T* 127 ab *add. Lachm.* 130 potest *T* cum funere *T*, nunc ponere *Mommsen* 134 absortas *T* 135 extendat *T* 139 confessus *T*

ille ut conceptum populis auxisse furorem
vidit et insani rabiem succrescere Martis,
Marmaridum fines, habitat qua corniger Ammon,
inde petit, durique Iovis responsa poposcit.
semper amat miseras deceptor fallere mentes
Iuppiter hic, quem, vane, rogas. in sanguine gaudet
horridus, et cunctas quaerit disperdere gentes.
asper in adversa percussus fronte bipenni
taurus ut occubuit, manibus tristissima vates
tympana rauca rapit, saltusque altaria circum
cum strepitu lymphata rotat. salit ardua cervix,
igne micant oculi, consurgunt fronte capilli,
ac facies testata deum fervore rubescit.
nunc maculat pallore genas, nunc lumina torquet,
nunc caput, alta fremens, saevos dum colligit ignes.
ut vero toto percepit pectore numen,
suspicit excelsam nocturno tempore lunam
lumine sanguineo, scrutatur fata recensens.
ardet, anhelat, hiat, pallet, rubet, aestuat, alget,
fatidicum dum quaerit iter. vox improba tandem
prodidit ore fero fatorum arcana sub auras.
'victor Ilaguantensis acerbo Marte Latinos
conturbabit agens. aeterno tempore Mazax
Byzacii campos magna virtute tenebit.
tunc erit alma quies. celsas Carthaginis arces
Carcasan ductor portis ingressus apertis,
altior et placidus, populo comitante feretur
urbem per mediam. vultus mirabitur Afer
terribiles. lauros current palmasque ferentes
huius in adventu. felix Carthago per omnes
dicetur populos. Carcasan terror acerbas
subiciet gentes, et foedera pacis amabunt'.
dum canit haec vates, conturbans spiritus ora
obstruit, et miseras mentes errore fefellit.
his gentes fallax decepit fraudibus Ammon
Massylas, dum vera canens caligine vestit
insidiasque parat. nam Mauri tempore cuncto
Byzacii tenuere quidem semperque tenebunt
ossibus arva suis, magni virtute Iohannis
quae modo fracta iacent. celsas Carthaginis arces
Carcasan ductor populis comitantibus altus
per medias ibat, tunc cum cervice recisa
infixum rigido vidit caput Africa conto.
mentis inops nimium responsis fisus iniquis
horrida bella parat. discurrens fama per omnes
it populos, regnum cecinit quod gentibus Ammon.

147 qua *Bekk.*, quo *T* 154 sultusque *T* 161 suscipit *T* 162 scructatur *T* 164 fitidicum *T* 166 illaguatensis *T* 167 marzax *T* 176 subiacet *T* 181 insidieque *T* 182 bizacium tenere *T* 184 arces *Mazz.*, alces *T* 185 carthas an *T* 186 ibit *Mazz.* 188 fixus *T*

excurrunt celeres calidis a Syrtibus alae,
invitantque feras regni sub imagine gentes.
barbara turba coit. numeris augetur et armis.
tunc equites peditesque ruunt, altisque camelis
Maurorum qui more sedent. nec solus Ilaguas
aut gentes tantum, egerunt quae bella priores,
convenere sibi, sed si quis Syrtica rura
asper arat Nasamon, si quis Garamantidos arvis
proximus arva colit, pinguis qui margine Nili
stagna bibunt, venere viri. quis dicere gentes
aut numerare queat? numeres aut aequoris undas
nimborum aut guttas, aut quantas litus harenas
alluit, aut pelagus pisces aut terra volucres
omnis habet, varius quot gignit campus aristas
vere novo, vel totum ornant quot sidera caelum.
  viribus inde suis bellorum ductor arene
securum fortemque putans, simulacra novavit
signaque, et extremis acies commovit ab oris,
plus solita virtute fremens, ac pergit in hostem.
victus ut Herculeis Antaeus saepe lacertis
contacta lapsum reparabat corpus harena,
sponte cadens, victor donec Tirynthius artem
nosceret, et summis complexus viribus hostem
pensasset pronum cum magno pondere corpus,
guttura saeva premens: ut terram tangere matrem
non potuit, victrix miseri mors lumina clausit:
sic victus vires Carcasan innovat omnes
Syrtibus a propriis. sic et moriturus in hostem
nescius arma parat. tunc liquit pectora terror
Martis et obscurae tot saeva pericula noctis.
  pervolat ecce levis, magno mandante Rufino,
nuntius, et fama Libycas conterritat urbes
iam placidas, victas iterum bellasse catervas,
finibus occiduis equitum iam currere turmas
et Tripolis vastare casas, Carthaginis altae
Carcasan ductore feras ad moenia gentes
ire docens, nomenque sibi promittere regni.
missus Sidoniam miles vix contigit aulam,
ductori mandata ferens: concussit acerbus
corda furor narrante viro. sed mentis honestae
virtutem indomitam melior sapientia vincens
consilium quaerit. volvuntur pectore curae,
nec movet obtutus. mentis discurrit acumen.
omnia prospiciens pensat discrimine causas,
et videt infandum cuncta de parte periclum.

191 ala *T* 192 regnis *T* 194 peditesque ruunt *scripsi*, pedites quae runt *T*, pedites quaerunt *Mass.*, *sed cf. VIII 184. 382* 195 ilasguas *T* 197 si quis *Bekk.*, quis *T*, quisquis *Mass.* 198 asper arat Nasamon *Mass.*, asperat namason *T* si quis *T*, et qui *Mass.* 206 arene *T*, aceruum *Mass.*, arenam *et v. 207* securam *dubitans Bekk.* 212 terrinteus *T* 214 pensasset *dubitans Bekk.*, prensasset *T* 219 liquid *T* 225 casas *Lachm.*, castra *T*, agros *Mass.* 226 carthas an *T*

tunc proceres de more vocans consulta requirit,
talibus et dictis animos curasque retexit.
'victus bella movet rursum vincendus Ilaguas,
o socii. expertis audens concurrere signis
hic Tripolis iam rura premit praedasque rebellis
diripit, in nostros promittens tendere fines.
signa movere paro, tot gentibus obvius ire,
externis cupiens committere proelia terris
et procul a nostris prosternere iuribus hostes,
Africa ne saevis iterum concussa ruinis
plus pereat. turbant animos impensa locique
difficilesque viae. sterilis nam cernitur annus.
perdidit ipsa suas bellis provincia vires,
heu nimium defessa iacens. exercitus ingens
non poterit sufferre famem. si admittimus hostes
Byzacii extremos tantum contingere fines,
iam properare volent, disperdent cuncta rapinis,
atque iterum fessam turbabunt proelia terram.
consulite et dubios animos firmate docentes'.
    vix ea ductor ait: populis placet omnibus ire
longius, atque ipsos Libyae sufferre calores
occiduos se posse ferunt, promittit et omnis
turba manus mentesque feras, magnosque labores
pro patria temptare volunt, gentesque rebelles
despiciunt animosque truces
    ductor ut erectas acies virtute feroci
vidit et intrepidas sese promittere bellis,
signa movenda canit. tunc raucos bucina cantus
aere gemit; ciet armatas vox saeva catervas.
conveniunt cunctae propriis a sedibus alae
et pedites iussi, comitesque ducesque Latini,
Massylasque trahens acies in bella magister
Cusina, Romanis semper fidissimus armis.
pergit in australem ductor fortissimus axem,
qua fervens loca sicca dies sub sidere cancri
sole perusta tenet nimium, semperque laborant
arva siti Zephyrisque carent. namque Africus illic
omnia flammivomis exiccat rura procellis.
illic et sitiens calidis exerrat harenis
Afer anhelus, inops Stygias rimatur et undas.
    Fama per innumeras spargens praeconia linguas
ante volat fortem referens properare Iohannem
cum ducibus cunctis. vagi Ilaguantensis ad aures

---

237 et dictis *Bekk.*, edictis *T* 238 ilasguas *T* 240 tripodes *T* 244 iuribus *T*, uiribus *legit*, finibus *scripsit Mazz.* 245 saeuis *Bekk.*, suis *T*, propriis *Mazz.* 246 locisque *T* 247 uie reditus sterilis *T* 248 perfodit *T* suos *T* 249 disfessa *T* 250 famam *T* 257 occiduos *T*, *sed cf. 269*, horrificos *malim* omnes *T* 260 acies uirtute feroci, *quae verba codex T post* truces *e versu insequenti male recepta exhibet, delevit Bekk.* 261 eractas *T* 266 comitesque *Mazz.*, comites *T* 267 masilasque *T* 268 cosma *T* 272 calent *T* ille *T* 278 uagi Ilaguantensis ad aures *scripsi*, lagila tangentis ad auras *T*, Abylae Tingensis ad arua *Mazz.*

improba tendit iter. fines iam raptor iniquus
Byzacii vastabat eques. sic pectora rumor
nominis incutiens magna virtute Iohannis
terruit. innumeras acies post terga reflexit.
iam superesse putant. acti terrore magistri
experti trepidant. vultus memoratur acerbus
signaque cuncta viri. siccas superare Gadaias
nec dubitant tristesque locos, quis nullus eundi
vivendique modus. non illis finibus ulla
aëra per calidum tranat suspensa volucris.
armiger ipse Iovis, portat qui fulminis ignis,
vix impune potest ferventis margine caeli
flamina tosta pati, quae terror iussit adire.
 ductor ut hostiles sensit cessisse catervas
per deserta metu, solita virtute fugaces
insequitur, calidas terrae sitientis harenas
acrior ingrediens. iussit tamen omnibus undas
ferre suis Cereremque sibi. praecepta magistri
perficiunt celeres. sed quantum posset in illis
tot populos satiare locis, quantisque diebus
agmina tanta aleret! vacuantur fontibus utres,
iamque Ceres nusquam. siccis tunc faucibus ardent,
deficiuntque fame. heu, miles bacchatur anhelans
et solis fervore rubens exaestuat, ardens
ignibus immensis; et nullis flumen harenis
inveniens scrutatur aquas vanumque laborat,
ut Danaum quondam Thebanos inclita campos
agmina cum peterent, siccatos numine Bacchi
expavere lacus fontesque, et flumina ductor
Adrastus latis sitiens quaesivit in arvis.
 deposuit miseras erumpens voce querelas
miles Romanus. 'si tristia fata minantur
tempore nunc uno Romanam perdere gentem,
sunt enses, sunt bella, ferae sunt gentibus irae.
lancea transfodiat. veniant vel fulminis instar
omnia tela simul. contortum viscera ferrum
transeat, atque animas, tantum per vulnera, fundat.
cur nos dira fames ardorque sitisque coartans
segnibus heu fatis, longa sic morte fatigat?
sit gladiis sacrata manus. converte retrorsum
signa. rogat ieiuna fame haec te, o summe magister,
turba. simul miserere, velis, nostrique tuique.

---

279 improbat *T* 280 bizatii *T* 284 trepidant *Mazz.*, tremunt *T* memoratur acerbus *Mommsen*, memorantur acerbos *T*, memorantur acerbi *Mazz.* 286 que *add. Mazz.* eindi *T* 287 illa *T* 290 impone *T* magine *T* 291 flumina *T* tosta *Haupt Opusc. III 586*, posse *T* 295 iuxit *vel* uixit *T* tamen *Bekk.*, tantum *T* 296 sibi *T*, sui *iunctum cum insequentibus Mazz.* 299 alat *T* 304 scruptator *T* 306 cum *Bekk.*, dum *T* 307 expauere *T*, expetiere *Mazz.* 308 adastrus latis sentiens *T* 309 erumpens *Mazz.*, et rumpens *T* 310 milex armatus ait si *T* 313 ueniat *T* 315 animas *Mazz.*, manus *T* 316 cur nos *Mazz.*, curuos *T* 318 gladius *T* 319 famem *T* 320 nelis *Mommsen*, iliis *1 m.*, filiis *2 m. T*, eius *legit Mazzucchellius, vox corrupta et difficillima lectu*

respice, magne, tuos. macies iam contrahit artus,
ossaque nuda rigent siccis tenuata medullis.
stringuntur nervi, cutis aret, lumine merso
infectae pallore genae. iam mortis imago
corpora nostra tenet, sitiens et spiritus ardet'.
vix ea vulgus inops: populos pater ipse dolentes
continuit fessosque bonus sermone refecit,
talia saepe monens. 'o spes Romana decusque
atque salus patriae, nimios ne sperne labores.
vince sitim diramque famem. nunc dura memento
facta patrum. vires populi sensere priorum.
sic domuere patres propriis virtutibus orbem,
aspera dum tolerant. summa est patientia virtus.
hanc metuunt gentes. alios haec territat hostes.
dum necat hos. geminis acies inimica laborat
exitiis. hinc sicca sitis fervorque famesque
exagitant, hinc terror agit Romanus et instat
solis iter temptare truces partesque negatas.
vestros zona rubens referet testata labores
confirmante polo: a magnoque Catone secundum
me temptasse legent, vosque hanc superasse minores.
vincat amor patriae mentem, et sitis improba cesset
flumine purpureo, ac vester satiabitur ardor'.
sic Latias placida mulcebat voce cohortes
egregius ductor, verbis ceu flumine dulci
pectora cuncta rigans, epulis aut viscera replens.
accidit infelix rebus fortuna Latinis,
quassato validas quae fregit robore vires.
quadrupedes cunctis quaerentes pabula campis
errabant. nam dira fames atque ardor habebat
omne genus. non herba virens, non frondibus ullis
arbor erat. densis subito cum palluit herbis
campus et adversi rubuerunt floribus agri,
longius optatas cernens grex improbus herbas
(pulsabat nam dura fames) discurrit et omnes
tondet ubique locos. nudas iam lambit harenas.
nec potuit satiare famem, mala gramina pastus,
quadrupes. ipsis nam cecidit densissimus arvis
morte nova, pressans gelidis sub dentibus herbas.
funere cornipedum fracta est Romana iuventus.
concidit ira ferox. it tristis et anxius omnis
miles, et ingentes conturbant pectora curae.

---

323 lumina mersa *Mazz.* 328 mouens *T* 336 exitus *T* 337 romanis et instar *T* 338 tentare truces *T*, tentate duces *Mazz.*, temptare trucis *Mommsen* 340 a *addidi* 341 uosque hanc superasse *scripsi*, quoquo hanc scripsisse *T*, quoque et hanc petiisse *Mazz.* 342 mentem *T*, montem *legit*, mortem *scripsit Mazz.*, mente *Mommsen* 343 purpureo *Mazz.*, pusaplo *T* 345 uerbis *scripsi*, uariis *T* *vocabulis transpositis locum sanandum esse Mazz. et Bekk. arbitrati sunt.* egregius ductor ceu pectora flumine dulci cuncta rigans, uariis epulis aut uiscera replens. *Mazz.*, egregius ductor ceu flumine pectora dulci cuncta rigans, epulis uariis aut uiscera replens. *Bekk.* 348 robora *T* 354 octatas *T* 355 fames et disscurrit *T* 356 tondet *Mommsen*, tundit *T*, *cf. 383*

corruit hoc uno nimium conterrita casu
virtus magna virum. primo tunc castra tumultu
turbavit fortuna nocens. hoc pondere pressit.
    vidit ut hic ductor tantam evenisse ruinam
et vires minuisse suis, ad litoris oras
castra movens pergit, cupiens relevare dolentes
et reparare viros. facilem iamque aëra sentit
miles, et appropians vitales invenit herbas,
flumina nulla tamen. siccis tunc faucibus ipsos
impressant flores, fucisque ardentia tingunt
ora, novis epulisque famem viridantibus implent,
nec tolerare queunt. captato tempore noctis
innumeri redeunt. se alii sparsere per arva,
pabula dum quaerunt. alii pro fontibus errant.
saeva fames alios divertere terga coëgit,
cunctaque destituunt contempti signa magistri.
    castra locat ductor monstrati ad fluminis undam.
incubuit ripis sitiens Romana iuventus
et liquidis solatur aquis. huc undique miles
confluit ad latices et dulcia flumina potat.
panis inops tondet flores herbasque virentes.
his cupiunt satiare famem. mandata per urbes
litoreas dux ire iubet, deducere puppes
vectantes alimenta suis. pro tristia fata!
adversos habuere Notos. fors dura negavit
puppibus aequoreas velis transire per undas.
proxima seiunxit. sed tunc male fida Latinis
Vrceliana manus Romanis addita fatis.
    Astrices illis longo iam tempore terris
horrentes habuere domos, gens aspera bellis
et numerosa viris multosque illaesa per annos.
haec ubi persentit venientis signa Iohannis
finibus esse suis, adventu territa primo
mittere legatos humilis pro pace cucurrit.
accipit hos placidus media in tentoria ductor.
poscentes veniam, pacem gentique salutem
summissi fudere preces. 'tua, maxime rector,
fama potens animique vigor virtusque fidesque
antevolans gentes pariter conterruit omnes
et gratas ad iura trahit. cervice reflexa
subicit ipsa tuis sese, fortissime, iussis
Astricum gens clara virum. tua foedera patres
gentis amant optantque simul: servire volentes

369 iamque aëra *Bekk.*, iam orrea *T*, iam iam aëra *Mazz.* 370 ad proprians *T* 371 ipsos *Bekk.*, ipsis *T*, ipsi *Mazz.* 372 fucisque *T*, succisque *legit Mazz.* tinguunt *T* 375 *quae inter* inu *et* alii *extiterunt in codice, tinctura quadam offuscata legi iam nequeunt.* iunumeri redeunt alii sparsere *legit Mazz.*, *qui pro* sparsere *dubitans* fugere *proposuit.* se *addidi* 378 distituunt contenti *T* 381 huc *Bekk.*, hic *T*, hinc *Mazz.* 383 tondent *T* 385 pubes *T* 386 uettantes *T* 392 horrentes *scripsi*, horrantes *T*, errantes *Mazz.* domus *T* 394 uenientes *T* 397 accipe *T* 402 gratas *T*, gratos *legit Mazz.* 403 fortissima *T*

ad iuga colla parant. poscentibus, inclite, parce.
oramus pacem et placidam post bella quietem'.
has inter voces ignari murmura vulgi
in castris sonuere ducis. 'quonam usque necabit
agmina multa fames? vitae spes nulla salusque.
conterimur miseranda manus'. ductoris ut aures
contigit ille sonus, graviter commotus in aurem
sic Recinari ait. 'infaustas nunc arce querelas
militis ignavi. quaenam dementia cordis
praecipitat miseras confusa mente catervas?
cernunt legatos. poscunt mea foedera gentes,
stant humiles precibusque rogant. hi nostra retexunt
intima secretumque malum. pro pessima ventrem
turba colens ritu pecudum vel more ferarum'!
ilicet egrediens placidis celer omnia verbis
murmura compressit, referens praecepta magistri.
postquam facta quies, legatis gnavior ipse
ductor ait. 'noster quas nunc exercitus iras
fuderit, audistis. cupidus fera proelia miles
per gentem transire parat, sed nostra potestas
parcere subiectis semper studet. arma tenentes
conterimus populos, humiles ascimus amicos.
ite, viri. si certa fides mea foedera poscit,
tradite vestra meis natorum pignora castris,
et pacem retinete meam. genus omne manebit
securum Astricum nostro sub principe pollens'.
haec fatus donis onerat. servire fatentur
Romano imperio, natos pro pignore pacis
polliciti praestare suos. virtute Latinos
et probitate probant. laudant viresque fidemque
principis atque ducis. composta pace recedunt.
at procul in campos squalentes fessus Ilaguas
errabat sitiens, nec tantos ferre labores
iam poterat duramque famem. via nulla salutis
et nullum monstratur iter. post terga Iohannes,
in faciem nimius solis calor. undique genti
mors erat ante oculos. nec tendere rectum
nec potis est revocare gradum. confusa periclis
anxia turba gemit. mortem orant. ire retrorsum
persuasit fortuna nocens, gentisque nefandae
infaustum divertit iter. redit improba Martis
Syrtica sorte manus, telis non proelia poscens
sed dubiam temptare fugam. explorator ubique
Romanus currebat eques, mistusque Latinis
fidus erat Mazax, pariter vestigia gentis

---

410 *litterae* ina multa f *tinctura quadam offuscata in codice legi iam nequeunt.* multa *aspernatus* nostra *Bekk.* 411 conterimur *Mommsen*, contrahimur *T* 413 ricinari *T* 424 cupidus *T*, cupiens *malim* 429 tradita *T* 430 retinere *T* 431 secum *T* 432 haec *Mazz.*, nec *T* 433 nato *T* 435 probitate *Mazz.*, proprietate *T* 437 ilasguas *T* 441 indiqne *T* genti *Bekk.*, gentis *T* 442 usquam *post* nec *add. Mazz.* 446 mortis *T*, *cf. Verg. Aen. XI 110* 447 non *Bekk.*, in *T* 448 explorator *Mazz.*, splorator *T*

inquirens, qua parte forent. nec fama nec ullus
proximus hostis erat, tecta cum nocte repente
ardentes videre focos, dubiique volutant,
Astricesne forent an retro versus Ilaguas.
fluctibus Oceani nigros Aurora iugales
tristior extollens radios tendebat in axem,
luctificum Titana trahens et fata ferentes
impia solis equos. abscondunt nubila cursus,
obscuratque diem squalenti lumine Phoebus.
nuntius ecce volans retulit sub nocte silenti
se procul a fossis late vidisse suorum
innumeros lucere focos, seu fessus Ilaguas
conversus post terga redit, seu proxima tendit
Astricum gens castra locis. manifesta relatu
non fuerat vox illa. suo dum pectore ductor
perquirit sollers angusto tempore causas
et stupet in dubiis, veniens super ecce repente
Cusina fidus adest multa stipante caterva,
atque duci sic laetus ait. 'fugitivus Ilaguas
hic furtim transire parat defectus inermis,
languida castra movens. tempus venit — arripe signa,
maxime ductorum — fessam modo perdere gentem.
namque est militiae facilis labor. amnis opacus
alluit umbriferas viridanti margine ripas,
arboribus saeptus variis et arundine glauca.
huc gentes tendunt. primi veniamus ad undam
atque omnes teneamus aquas'. placuere loquentis
verba viri populo. ductor tamen ire vetabat
defessi retinens iamdudum murmura vulgi
pectore sollicito. sed quis praecepta iubentis
certa dei superare queat vel sistere contra?
castra movens ductor comptas iubet ire cohortes
per numeros turmasque suas. tunc pulvis in altum
conglomerat nubes atque aethera turbat harenis.
infandum carpebat iter, collesque malignos
tristis et infaustos monstrabat Gallica campos.
conscendens Titan altum flammabat Olympum
curribus igniferis, medium cum fluminis alveum
alternae posuere acies. sed Syrticus hostis
continuit terrore gradum, retroque revertens
deseruit ripas, optataque flumina liquit.
praecipit hic ductor fossas et castra locari,
ac Martem differre mora pugnamque sequenti
luce movere parans labentia flumina tantum

452 tecta *Mass.*, treta *vel* creta *T*, *forsan* taetra *cf. I 233* 453 dubiisque *T* 454 ilasguas *T* 455 occiani *T* 457 lutificum *T* feta *T* 458 ascondunt *T* 459 scalenti *T* 460 nunctius *T* 462 seu fessus *dubitans Bekk.*, seusensus *T*, seu rursus *Mass.* ilasguas *T* 463 tendit *Mass.*, tentat *T* 464 astriricum *T* 468 cosina *T* 469 ilasguas *T* 470 hic *scripsi*, huc *T*, hunc *legit*, hinc *scripsit Mass.* defectus *Mass.*, defettis *T* 480 iubentis *T*, uiuentis *V* 483 tunc *Mass.*, te *T* 484 conglumerans *T*

et sumptis latices iussit defendere telis.
utile consilium, si tunc Romana iubentis
implesset praecepta manus. miserabile fatum
audaces dedit esse viros. passimque iuventus
per campos diffusa ruit, primique lacessunt
agmina prima viri. concurrunt ordine nullo,
non acie compti solito clamore Latini.
non tuba belligeros cecinit clangore tumultus
praeceptis contacta ducis, non ardua pugnae
signa locis statuere suis. incompta per hostes,
heu, male fisa manus fatis currebat iniquis.
territa cesserunt primo certamine retro
agmina Marmaridum. sequitur Romana iuventus,
aspera non densis permiscens proelia telis.
corpora certamen fugientum conserit hastis
per campos Latiaris eques, figitque premitque,
et subigit victos inter timor ire camelos.
at procul armipotens munibat signa Iohannes
ordine cuncta suo, fossasque et castra locari
praecipiens, servandam tantum ob fluminis undam
rectores iuvenum fortes pugnare iubebat.
composuere acies. dextrum latus ipse tenebat
Cusina, Massylis saeptus telisque Latinis,
Fronimuth hunc iuxta, Romanis fortis in armis,
et dux ille potens, felici nomine comptus
ductoris, senior, felix non sorte, Iohannes.
at laevum tenuere latus Putzintulus ingens,
Geisirith arcitenens et celsis Sinduit armis.
ipse loco medius ductorum maximus auctor
stabat, et in cassum socios sermone monebat,
iam fato incumbente gravi. quem Tarasis ante
condensas peditum cingens umbone phalanges
veloci volitabat equo, turmasque parabat.
nuntius interea venit celer ecce magistro,
turbatos hostes referens iam victa per agros
vertere terga fuga. sed non his vocibus illum
consilio iuvenis valuit depellere iusto.
mens immota fuit. sed non sic iussa tremendi
nunc voluere dei. cunctantem bella subire
armigeri suasere ducem, fortissimus olim
Ariarith et Ziper melior, duo maxima belli

---

496 tunc *Bekk.*, nunc *T* iuuentus *in* iubentis *1 m. mutatum T* 501 compti *Mazz.*, conti *T* solito *T*, subito *Mazz.* 502 glongore *T* 503 precettis *T* 505 fatis *Mazz.*, satis *T* 508 non densis *T*, condensis *Mazz.* 510 fugitque *T* 511 subigit *Bekk.*, subicit *T* 513 et *add. Mazz.* 514 seruandam tantum *Mazz.*, seruandum tm *T*, tantum seruandam *Bekk.* 515 fortes pugnare *Bekk.*, hostes spugnare *T*, hostes expugnare *Mazz.* 517 cosina masilis *T* 518 fronimith *T* iusta *T* 520 ductoris, senior, felix *scripsi, litterae omnes inter* duc *et* felix *positae iam Mazzucchellii tempore tinctura quadam deletae erant in codice T*, ductor erat peditum, felix *Mazz.*, *sed cf. IV 516. VI 697* 521 laeuum *Mazz.*, lelium *T* butzuntulus *T* 522 grisirith *T* Sinduit *scripsi*, induit *T*, inclitus *Mazz.*, *sed cf. VIII 374* 528 magistro *dubitans Bekk.*, magister *T* 530 his *Mazz.*, is *T* 534 suadere *T* 535 ariarit *T*

fulmina, Massylae quos tunc tremuere phalanges,
et virtute pares, et fatis compar uterque.
tunc Ziper sic orsus ait. 'succurre Latinis,
maxime ductorum. socii fera proelia campis
miscent, sed denso rari turbantur ab hoste.
imprimit hos numerus. socios in bella sequamur.
arma cape et succurre tuis'. hic fortis amore
Ariarith exarsit pugnae, cogitque morantem
signa movere ducem. fidi qua voce ministri
ductoris compulsi animi. gemit horrida cantu
bucina letifero, turmasque in proelia cogit.
it bene compta manus frustra, quia fata premebant.
sic placitum tibi, summe pater, cum laedere velles
peccantes Libyae populos. delicta fuere
tanti causa mali. fuerat non culpa regentis.
Carcasan longe glomerari pulvere nubem
prospiciens proprium Nasamon ciet impiger agmen,
talibus et dictis trepidantia pectora firmat.
'indomitae gentes, quarum me cognita virtus
Romanas acies armis temptare suasit,
haec est illa dies, vobis qua corniger Ammon
promisit fatale solum. nunc ite per hostes
intrepidi. telis patrias modo pandite laudes.
quisque manu pugnate truces, et fidite fatis.
numina magna iuvant. dabitur victoria vobis,
credite, certa, viri. turpem removete pavorem,
et solitas vires animosque in proelia ferte'.
vix ea Carcasan: clamor per castra cucurrit
Syrtica terrificus, saevo crepitante tumultu.
Marmaridae fremuere acies. sors dura furores
incitat, et saevas stimulat Bellona catervas,
barbara sanguineo compellens terga flagello.
tunc rabie fera corda tument. iam linquere castra
coeperat innumerus sonipes, camposque tenebat.
amnis erat medius bellorum fraudibus aptus
Massylisque dolis. densum nemus impedit arma
frondibus implicitis. steriles tenuere myricae
invisas valles foliisque oleaster amaris.
Marmaridae hic acies, acies in parte Latinae
adversa stabant, et tristia bella ciebant.
militis arma nemus ferrumque volatile ramis
impedit oppositis, tenuis nec transit arundo
praevalida compulsa manu, nec flectit in hostes
liber equum domitor, longo nec ludere pilo

536 maxile *T* tremuere *T*, tenuere *legit Mass.* 537 patres *T* 538 sic orsus *Bekk.*, sicorus *T*, securus *Mass.* 547 id *T* comta *T* frustra, quia fata premebant *scripsi*, frustraque fata premebant *T*, frustra quae fata premebat *Mass.* 548 cum *Bekk.*, dum *T* 550 causa *Mass.*, nostra *T* 553 et dictis *Mass.*, edictis *T* 560 uobis *T*, nobis *legit Mass.* 561 remote *T* 563 carthasan *T* 566 samulat *T* 567 barba *T* 568 linquit *T* 570 aptus *Mass.*, actus *T* 573 folicisque *T* 575 aduersa *Bekk.*, aduerse *T*, aduersae *Mass.*

implicitus strictis miles valet undique ramis.
sollicitos locus ille duces cautumque magistrum
abstinuit bellis, aciesque stare coëgit.
continuere gradum. non se committere quisquam
ausus in abrupta tenuit vestigia ripa.
ductor adit virtute locum
armigeris temptare parans
qua valeat transire via
condensos saltus
occultus Nasamon
et tutum servatur iter
fida manus compressa fuga
adventu properate feri, nec missile torsit.
adversum Nasamona videns fugit ilicet Austro
ocior et somno visa non tardior umbra.
    certior ecce volans magno tunc fama magistro
pacificos retulit iam linquere proelia Mauros,
compulsos terrore gravi. iussuque Iohannis
auxilio Paulus sapiens et Amantius una
accelerant relevare viros. vestigia nusquam
Maurorum tunc visa. metu nec proelia Mazax
respexit fugiens, faciem nec torsit in hostem.
tunc versi fugere duces, pavidique tribuni
discedunt cuncti dimisso ad bella magistro.
insequitur sparsas acies tunc victor Ilaguas.
clamor it alta petens. tunc pars inimica resolvit
vallibus e ruptis per latos agmina campos.
dirupto credas subito telluris hiatu
surrexisse viros. circumdant signa ruentes
hinc atque hinc, sparsosque super tot milia currunt
densa duces; iactisque dies excluditur hastis,
et campos late noctis pressere tenebrae.
dat gemitum miseranda manus, telisque cruentis
per campos funduntur equi. furit impiger hostis
asper et immitis. posset genus omne Latinum
illa dies una pariter quassare ruina,
ni pater omnipotens caelo miseratus ab alto,
Romanas acies tanta inter milia servans,
salvasset magni fugientes voce Iohannis.
namque videns socias campis desistere turmas,
talibus ore tonans dictis exaggerat iras.
'si morimur, socii, si fors suprema Latinos
sorte trahit saevisque parat prosternere bellis,
feminea cur morte cadam? si vita superstes,

---

582 ibi *ante* stare *add. Mazz.* 584 ausus *Mazz.*, absus *T* 585—591 *hi versus ne in antiquiore quidem codice, e quo T manavit, integri extitisse videntur* 585 uirute *T* 588 condesos *T* 592 properate *T*, properare *Bekk.*, *sed* properante *veri similius, cf. IV 112* missele *T* 597 compusos *T* 599 uestia *T* 600 maxax *T* 603 demisso *T* 604 ilasguas *T* 605 id *T* 606 e ruptis *scripsi*, cruentis *T*, e mediis *Mazz.* latas *T* 607 diructo *T* 610 iactisque *scripsi*, iuctisque *T*, iunctisque *Mazz.* 618 iohannes *T* 620 exagerat *T*

cur timidus fugiam? frenos iam flectite, cives.
figite signa, viri. furias contemnite gentis,
et pugna temptate truces. aut vincimus hostes,
si deus ipse volet; vel, si delicta resistunt
partibus aucta meis, propria non laude caremus,
dum morimur. revocate fugam. iam stringite ferrum.
me, faciat, quod quisque videt'. sic fatus acerbo
dentibus infremuit vultu, capulumque coruscum
corripuit, gladiumque furens ad vulnera traxit.
ad vocem pars certa redit. tunc proelia surgunt
aspera, et assiduo discurrit lancea nimbo.
loricae galeaeque tonant, gemit ictibus umbo
aereus, et ruptis inter praecordia venis
purpuream fundunt animam. virtute superbus
Ziper acerba furens ibat per tela, per hostes,
Syrtica letiferis prosternens agmina telis.
et Solumuth pariter, fato sed impar uterque,
pectora multorum contra venientia longis
transfodiunt contis. trepidum iecur inserit hasta
corque virum. volucri findunt cava tempora ferro.
diripit ille caput, magnum femur amputat ille.
non aliter geminos spectasses ore leones
in medios saevire greges. nunc unguibus atrox
diripit hic praedam; nunc dentibus ille cruentis
frangit molle pecus, tepidoque in sanguine gaudet.
at parte ex alia Bulmitzis et Ariarith ingens
Dorotisque ferox atque armiger ipse Iohannes
funera per latos contra venientia campos
vulnere fundebant vario. mucrone superbus
ille furit, pilo melior valet arduus ille,
hic torquet rigidas nervo stridente sagittas,
hic fremit arte potens et telis pugnat utrisque.
ipse inter medios ductor mucrone coruscat
fulmineo, hostiles arcens terrore phalanges.
carmine non aliter referunt per bella Gigantes
armatum tremuisse Iovem, cum fulminis ictus
perderet horribiles flagranti vulnere fratres.
vinceret illa manus, ni tunc fortuna negasset
successus irata suos. iam crescit iniquis
innumerosa manus. peditum venere catervae
Marmaridum. densum circumvolat undique ferrum
stipitis et gravidi robur, lapidesque minaces

---

624 flectite *Mazz.*, flettere *T* 625 contemnite *Bekk.*, concernite *T*, consternite *Mazz.* 634 asper *T* 636 aereus *Mazz.*, arcus *T* 638 liper *T* 640 sulumur *T* 642 trepidum *Mazz.*, tritum *T* 643 findunt *scripsi*, fundunt *T* 644 magnum *T*, medium *Mazz.* amputat *Mazz.*, impucat *T* 645 spectasses *scripsi*, spettasset *T*, spectassent *Mazz.* ore *Bekk.*, ora *T* 646 nunc *Bekk.*, tunc *T* 647 hic praedam *Bekk.*, ille predam *T*, ille gregem *Mazz.* 649 bulmitis et ariarth *T* 650 atque *Bekk.*, ac *T* Iohannis *Mazz.*, *sed cf. VIII 620. 630* 658 carmine *T*, carmina *legit Mazz.* 660 flagrante *T* 661 *hic versus in codicis foliis duobus bis ita exaratus est, ut in fine prioris* ni nunc, *in capite alterius* ni tunc *scriberetur* 662 suos *Bekk.*, tuos *T* crescet *T* 663 pedum *T* 664 circonuolat *T*

fulminis instar erant. latet atro pulvere campus:
vix sua tela potest pressus iam cernere miles.
obnixus ductor contra omnia tela resistit,
vertere terga vetans. magno impendente tumultu
armigeri cecidere duo: cadit Ariarith ingens
missile non uno, et centum per vulnera Ziper
magnanimus. durus venientis comminus ictus
ductoris transfixit equum. quod missile dextra
acris equi rapiens fortis de corpore ductor
fregit et in faciem furibundus dirigit hostis.
hic fusos socios et iam sua vulnera cernens
infremuit ductor. tunc se super ardua terga
composuit sublatus equi, vultuque minaci
terribilis densum dirupit concitus agmen.
efficit ense vias inimica per agmina ductor
cum sociis. acies pulsae terrore magistri
post tergum redeunt. spatium sibi vindicat heros,
atque suis iter in medios tunc dirigit hostes,
disponens per signa viros, arcetque sagittis
Massylas acies. nulli temptare furentem
iam potuere viri. sequitur quicunque magistrum,
vulnera converso redeuntia suscipit arcu.
adversus quis forte petit: per pectus anhelum
longius erecta transfixus funditur hasta.
qui lateri iungunt, iaculis volitantibus acres
dant animas, utrumque latus diffindit arundo.
tunc metuens Nasamon ductoris iungere signis
cessat, et in latos fervens indagine campos
spargit equos, illosque necat, qui signa fugaces
deseruere, viros, et primi Martis acerbas
extimuere minas, ac versi terga dedere.
dux erat egregius, ductoris nomine fulgens,
nec virtute minor, Romanis clarus in armis.
hunc procul ut ductor fugientem proelia latis
prospexit campis, tali sic voce secutus.
'haec est vestra fides? sic proelia movimus', inquit,
'ut pereat Romana manus? nunc deseris arma?
quo ruis, infelix? per te miseranda iuventus
famaque nostra perit'. ductoris vocibus ille
erubuit, durisque dolor simul ossibus arsit.
tunc pudor infaustus gentes spectare sequaces
impulit. hostiles cupientem rumpere turmas
urguebat mors saeva virum. defendere certat

666 atro *Haupt Opusc. III 626*, atrox *T* 667 cenere *T* 669 magno *T*, in agro *legit Mazz.* 670 ariarth *T* 671 riper *T* 672 durus *scripsi*, duro *T* uenientes *T* ictus *scripsi*, ictu *T* *intercidisse versum unum suspicatur Mommsen* 677 super *Bekk.*, per *T* 678 equi *scripsi*, equo *T*, *cf. IV 458* 681 pulsae *Bekk.*, pulset *T*, pulsat *Mazz.* magistri *T*, magister *legit Mazz.* 685 temptore *T* 690 iungunt *T*, ueniunt *Mazz.* 691 uel *ante* utrumque *add. Bekk.* diffindit *Mazz.*, defundit *T* 693 cessat *scripsi*, cessit *T* feruens *scripsi*, feruens et *T*, ferus ex *Mazz.* 702 Romana *Mazz.*, romam *T* nunc deseris *Mazz.*, quo nunc mea desit *T* 705 durisque *T*, durusque *malim, cf. IV 2. 3*

oppressos socios. victor iam sternitur hostis,
eripitur victus, mutantur fata cadentum.
audentem fors prima iuvat. iam caede superbus
perfurit, et variis prosternit corpora fatis.
mater ut Hyrcanos catulis furit orba per agros
tigris anhela suis, raptos quos forte cubili
Caucasio subtraxit eques — spectacula Persis
regibus ille ferens, ferrata calce fatigat
cornipedem pavidus — similis tunc illa marito
et levior Zephyro, teneros dolet aspera fetus
atque volat: sic dux populis concurrere certat.
hic rapit ense caput morientis, missile torquens
eminus hunc sternit, valido per pectora conto
percutit hunc, minitans tremula transverberat hasta
alterius clipeum pariter palmamque latusque.
ille femur moriens despectat vulnere raptum
parte cadens, iuxtaque dolet sua membra superstes.
saucius ille iacet, casu confractus equino,
confossusque super sonipes. cruor emicat alte
spumeus, et tepidis currens miscetur harenis.
mille modis fervens spargebat vulnera victor,
fortuna praebente vias. iam lassus anhelans
fumat equus cursusque negat. Maurusia crescit
adveniens acies, Camalusque Cerausque sequuntur
Stontaus atque ferox. ingens exercitus hostem
ambit, et anterior conturbat lancea campos
densa volans. iaculis clipeus venientibus obstans
aere gemit raucumque tonat. clamoribus instant;
conturbantque virum. fixus contexitur umbo
missilibus densis. ipso iam tegmine subter
pondere telorum premitur, fessumque fatigat
silva gravis, turbaque superveniente laborat.
paulatim excedens vicinas litoris oras
arte petit, dextrumque latus subvindicat undis
aequoreis, laevum gradiens umbone tuetur
tergaque. tunc telis faciem defendit iterque.
ut leo venantum trepida vallante corona
impavidus virtute fremit, rictuque tremendo
murmura convolvit saevus, dum concutit iras
erecta virtute furens; nec currere contra
est animus virtusve viris, sed vocibus hostem
et tantum iniectis pertemptant longius hastis:
non secus ille furens turbis compressus abibat,
litora curva tenens clipeoque hastilia vitans.
    est locus in mediis longe praeruptus harenis,

711 audentem *Bekk.*, ardentes *T*, audentes *Mazz.* 716 ferrata *Mazz.*, ferra *T* 731 maurisia *T* 732 camarusque *T* 738 masillibus *T* teghmine subut *T* 742 subuendicat *T* 743 leum *T* 746 rieuque *T* 747 conuoluit *Bekk.*, conuiluit *T*, conciliat *Mazz.* saeuus *scripsi*, seus *T*, saeuas *Mazz.* concutit *T*, concitat *Mazz.* 748 eretta *T* 750 iniectis *Bekk.*, in tectis *T* 752 uitas *T* 753 longe *Mazz.*, lenge *T*

fluminis in morem pelagi quem margine fluctus
alluit, atque undis agros concludit amaris,
egrediens. quibus alga locis limusque relabens
atque altum tremulo putret sub gurgite caenum.
huc ubi pervenit, nigras equus horruit algas
et pavidus post terga redit. tunc naribus afflans
erexit geminas (signum formidinis) aures,
datque latus, fumatque ferox, oculosque retorquet
prospiciens, nec dirum audet temptare periclum.
finierat spatium vitaeque viaeque repugnans
dux, heu, magnanimus. sequitur clamoribus hostis
densus agens turbansque virum. tunc calce frequenti
pulsat equum geminans et magnos concutit armos.
extulit impulsus sonipes, cursuque negatam
temptat adire viam, absorptusque voragine mersit
ipse cadens, dominumque super gluttivit hiatu
terra nefanda fero, rapuitque ex hoste receptum
suscipiens fortuna virum, ne staret inermis
aut humilis precibusque rogans, tribuitque sepulcrum,
ne nudum in Libycis iacuisset corpus harenis.

LIBER SEPTIMVS (SEXTVS).

Interea ductor munitis agmine signis
iam tutum carpebat iter, sociisque reductis
successit parvae defessus moenibus urbis.
hic populi satiata fames. post bella salutem
hic licuit spectare viris. hic ardor equorum
pulsus aquis tristisque fames per pabula cessit.
fovit equos olim sitiens per flumina miles,
optatis gavisus aquis, casusque priores
commemorans gelidis infundit corpora lymphis.
percipiunt epulis parvas post tempora vires,
laetificumque bibunt post tristia bella Lyaeum.
nox terris nunc atra ruit, mundique labores
distulit, obscuro confundens omnia caelo.
hanc sequitur madidus curis solacia somnus
dulcia rore ferens, tacitisque amplectitur alis.
solverat effuso nutantia lumina cornu
noctis amica quies. tunc corda oblita malorum
atque sui iacuere virum, nimioque labore
cetera defessis proflabant corpora membris.

---

754 flumis *T* 757 putret *dubitans Bekk.*, nutrit *T* 766 geminos *Mazz.* 767 exculit *T* 770 ex *add. Mazz.*

2 capebat *T* 5 spettare *T*, sperare *Mazz.* 8 gauisis *T* prioris *T* 10 paruo post tempore *Mazz.* 11 tritia *T* 12 nunc *T*, tunc *dubitans Bekk.* atra *dubitans Bekk.*, acta *T* 15 rore ferens *scripsi*, referens *T*, tunc referens *Mazz.*, *sed cf. II 456*

dux tamen insomnem turbato tempore noctem
protrahit, innumeras volvens sub pectore curas.
concussus pietate pater, tot funera deflens,
ingemuit lacrimasque dedit. Recinarius illic
solamen ductoris erat sociusque laborum.
hic mala mista bonis partem semperque ferebat,
non humili cum plebe iacens, gravitatis amicus
et virtute potens, animam qui ponere nunquam
pro patria timuit. novit ferus omnia Perses
facta viri, ingenium, vires, consulta, labores,
Martis opus clarum, pacemque fidemque benignam.
novit in infensis quae fecit et Africa Mauris.
novit et ipse pater secum tolerasse labores
saepe virum. sic crevit amor, sic grata voluntas
inter utrumque manet. patrem putat ille Iohannem,
ille putat genitum proprium de sanguine natum.
ergo inter sese tristis narrabat uterque
pervigil, infausti referens pia funera campi.
dux prior haec. 'vana est hominum vigilantia certe
non vigilante deo. propriis non viribus ullus
vincere bella potest. solus qui conterit hostes,
omnipotens, qui cuncta movet vertitque ruitque.
non tamen excelso nimium Romana propago
invisa est domino, tanta inter milia pressos
quod voluit salvare meos. reparare ruinam
accelerare placet, pugnam temptare repente,
dum victor securus adest, victumque fugacem
esse putat. victi quotiens vicere superbos
Marte viros! datur et paucis victoria maior.
consule, care, magis nostris quid competat armis'.
tunc placidus gravitate sua Recinarius ora
solvit, amica duci referens consulta iubenti.
'divinum spectare pium est, o summe magister,
auxilium. pugnas iterum temptare quid instas?
virtus nota movet magnaeque potentia dextrae.
non tamen ambiguis caput obiectare periclis
nunc opus est. hostes fecit fors saeva superbos
audacesque iuvans. fugientum proelia semper
frigent corda metu. mortis confracta pavore
virtus magna timet. belli sufferre tumultus
paucorum est, post bella magis, quae caede recenti
concussere viros. sparsa est pars maxima nostra,
sed manet incolumis. hanc, fortis, collige, ductor,
et vires reparare iube, gentesque require
alterna de parte ciens, quae nostra fideles

20 insomne *T* 23 ricinarius *T* 25 hic mala mista bonis partem *T*, his mala mista bonis, partem *Mommsen*, hic mala mista bonis pariter *malim* 27 animam qui ponere *Bekk.*, animamque ponere *T*, animamque exponere *Mass.* 28 nouis *T* 31 infessis *T* 35 ille *T*, iste *Mass.* proprium *T*, proprio *Mass.*, *sed cf. in laud. Iust. II 81* 42 tamen excelso *Bekk.*, tantum celso *T* 46 abest *Bekk.* 49 qui *T* 50 placitus *T* 56 nunc *Mass.*, non *T* 61 pars *Mass.*, per *T* 62 hanc, fortis *scripsi*, hac fortis *T*, hac fortes *legit*, nunc fortes *scripsit Mass.*, huc fortes *Bekk.* 63 repara *T*

foedera semper habent. has motis praecipe cannis
et signis properare suis. exercitus omnis
conveniens sic tutus erit, venalia quippe
inveniens quaecunque volet. pecuaria secum
multa trahunt gentes. venient ad litora puppes
et Cererem Bacchumque ferent. iam tempus apertum
aequor habet. quassas reparabunt agmina vires,
oblitaeque metus renovabunt proelia turmae'.
consilium placuit: fidique magister amici
optima dicta tenens celeres mandata ministros
ferre iubet cunctis. sonipes discurrit ubique
ductoris praecepta ferens, gentesque suosque
praecipitanter agunt. nullus per bella repulsus
sic potuit renovare celer fera proelia ductor,
quivit ut egregius vigilanti corde Iohannes.
non illum fortuna prior Mavorte secundo
inflatum evexit, nec tunc contraria fregit,
immotum virtute sua. iam roscida surgens
Oceano gelidas Aurora removerat umbras.
ductor ut albentem vidit consurgere lucem,
lavit aquis geminasque manus vultusque gerentes
pulvere concretos hesterno Marte capillos,
oravitque ferens palmis haec verba supinis.
'omnipotens genitor, virtus et gloria rerum,
certa salus mundique sator, qui foedere certo
omnia disponens vertisque regisque movendo,
tempora permutas, nec tu mutaris in illis.
quattuor explicitum volvens successibus annum,
bis senisque diem claudens aequalibus horis,
ordine cuncta novas, nec tu renovaris ab ullo,
idem auctor dominusque manens et conditor orbis.
credo, summe pater, tua sit quod magna potestas,
et fateor. miseras gentes sua pessima fallant
numina quae credunt. permittis saepe probari
ipse tuos, pietate tamen celer erigis idem.
appropia, fessisque tuis solacia praesta.
erige Romanas acies, prosterne superbas
Massylas, quae bella volunt; nostraeque ruinae
festinus succurre, precor, et consule rector'.
haec orans vultus lacrimis implebat inundans
concussus pietate pater, Libyaeque periclum
sollicitus pensans iterumque iterumque gemebat.
hic pater omnipotens lacrimas et verba dolentis
suscipiens, Latias voluit revalescere vires.
adveniunt socii, Martis quos sparserat horror

66 properare *scripsi*, aperire *T*, se aperire *Mazz.* amnis *T* 69 ueniet ad litore *T* 81 euexit *Bekk.*, exexit *T*, erexit *Mazz.* tunc *T*, nunc *Mazz.* 83 occiani *T* renouauerat *T* 85 geminisque *T* 86 hesterno *Mazz.*, cristerno *T* 87 sup.... *T*, *litterae paucae erasae sunt* 97 fallant *Bekk.*, fallans *T*, fallunt *Mazz.* 98 probare *T* 106 iterum iterumque *T* 107 lacrimans *T* 108 suscipiens *Mazz.*, suspiciens *T* recalescere *T*

hostilisque metus. multos tunc esse magistro
incolumes referunt, Vinci expectare sequentem.
gaudia parva salus sociorum audita creavit
solamenque mali. ductor tunc contrahit omnes
aere ciens. rara trepidi cinxere corona.
circumstant tristes, lacrimasque in pectora fundunt.
quos bonus affatur miti cum voce magister,
exhortans relevansque viros, et talibus infit.
'non lacrimis, iuvenes, animos confringere fortes
est opus in bello. nunquam Romana iuventus
frangitur adversis. nimium cur fletis, amici?
en socii veniunt mediis ex hostibus omnes
incolumes. alios aiunt superesse docentes.
si vivunt socii, nihil est quod quisque sub hoste
amisisse putet. praedam quam forte doletis
nunc vobis rapuisse viros, servata manebit
augeturque magis. tumidos quos cernitis hostes
caede levi, discent graviter, quid proelia possunt
Romanusque vigor. tunc vestras tollere praedas
Maurorumque simul solita virtute iuvabit.
solvite maerentes animos, expellite curas,
indignosque metus vestris arcete, Latini,
pectoribus. veniet rebus victoria nostris'.
laetificans alios referebat talia ductor,
ipse dolens vultus hilares simulabat amicis.
spem dabat aspectu. curas nam corde premebat.
inde petens Vinci Romanum contrahit agmen,
disposuitque duces, numeros fortesque tribunos
in proprios remeare locos, reparare fovendo
quadrupedes fessos, pugnam sperare sequentem.
corripit ipse viam, gradiens per litoris oras,
quo socios posset victu reparare diurno.
inde superna petit contemptis moenia ripis.
urbs Laribus mediis surgit tutissima silvis
et muris munita novis, quos condidit ipse
Iustinianus apex, orbis dominator Eoi
occiduique potens, Romani gloria regni.
huc socios ductor celeres occurrere iussit
atque duces gentesque sibi, quas ipse fideles
noverat esse suis primo in certamine signis.
nuntius infelix Tyriam concusserat urbem,
proelia dira ferens et saevi funera campi.
obstupuere quidem; sed spes fidissima rebus
una fuit, salvum retulit quod fama magistrum.

---

111 Vinci *Bekk.*, iunci *vel* uinci *T*, uictos *Mass.* expectare *scripsi*, spettare *T*, sperare *Mass.* sequentem *T*, salutem *Mass.* 112 solus *T* 114 are *T* 115 circomstante *T* pectora *Bekk.*, pettore *T* 117 que *add. Mass.* 118 confringite *T* 122 aiunt *T*, autem *Mass.* 129 iubit *T* 132 nostris *Bekk.*, uestris *T* 134 dolens *Bekk.*, docens *T* 136 Vinci *Bekk.*, uinci *vel* iunci *T*, campum *Mass.* 138 fouendo *Bekk.*, fauendo *T* 141 quo *Mass.*, quos *T*, qua *Bekk.* 142 contentis *T* 152 fidusia *T* 153 quod *Mass.*, qui *T*

coniugis interea miserae pervenit ad aures
haec eadem pinnata ducis. stupefacta relinquit
corda calor, subitoque tremens oppalluit ore.
mox miseranda cadit. caelum terramque tenebris
eripuit cum luce dolor. tunc mortis imago
clausa diu tenuit resolutis lumina nervis.
accurrunt famulae, dominamque levare cadentem
nituntur celeres, refovent et pectora palmis.
spiritus in gelidis tenuis recalescere membris
vix potuit. manibus teneris erecta resedit,
nec movet obtutus, amens et saucia luctu
immemor atque sui. mentem mox fessa recepit
ceu dubiam. primo luctus sic orsa dolore est.
'cor dolet, et nullas effundunt lumina guttas.
cur miserae nullas prorumpunt ora querelas?
luctibus in tantis animis dolor excidit ardens?
an dolor ipse magis lacrimas et verba negavit?
mene peregrinam sors haec miserabilis urguens
in Libyam duxit, pelago terraque secutam
coniugis arma mei? cur non per bella cucurri?
nunc pariter miseros caperet fors saeva sepulcri
clausa: duos raperet subitus telluris hiatus.
dulcia consertis strinxissem pectora palmis,
mersa essemque simul corpus complexa mariti.
dulce mori miseris: iterum comes ire per umbras
atque utinam fatis cupide licuisset amanti!
ah miserande, iaces externus clausus harena,
quem gentes tremuere ferae. virtutis adegit
causa mori. quidnam populo fugiente redire
solus et innumeras voluisti pellere turmas,
heu nimium confise tui! quo versa recurram?
quove ruam? auxilium cuius captiva rogabo?
tu miserae requies. tecum transire profundum
non timui secura tui, cum fervidus Auster
iactasset trepidas fluctu surgente carinas.
te sine per duras potero remeare procellas,
infelix coniux, tanto viduata marito?
o mihi si medios rupissent prospera luctus
fata, trahente die tantos nec ferre labores
passa diu! mors saeva foret, sed sorte recenti

154—155 *intercidisse versum unum, in quo Iohannis ducis nomen infuerit, suspicatur Mommsen* 155 relinquid *T* 163 manibus teneris *scripsi*, manibus *T*, manibusque suis *Mazz.*, manibusque suarum *requiri intellexit Bekk.* erepta *T* 164 octutus *T* lucti *T* 165 mox *T*, uix *Bekk.* 169 animi *Mazz.* ardes *T* 174 caperent, fors, saeua sepulcri *Mazz.* 175 claustra *Mazz.* raperet subitus *scripsi*, rupit subitus *T*, ruptae subito *Mazz.*, *sed cf. IV 132. VI 134* hiatus *scripsi*, hiatu *T* 176 frinxissem pettora palmas *T* 177 mersa essemque *scripsi*, miscuissemque *T*, *cf. VI 768* 178 miseris iterum *T*, misero possem *Mazz.* 179 cupide licnisset *T*, licuisset cedere *Mazz.* 180 externus *T*, externa *Mazz.*, extrema *Bekk.* 183 turas *T* 184 recurrat *T* 185 quoue *Bekk.*, queque *in* quoque *1 m. mutatum T* 186 miserae requies *Bekk.*, miserere quies *T*, miserere precor *Mazz.* 187 cum *Mazz.*, com *T* 188 fluctum *T* 189 duras *T*, diras *dubitans Mazz.* 192 nec *T*, me *malim* 193 possa *T*

manibus ore mei fruerer sociata Iohannis'.
Sidoniam tantis implebat luctibus urbem
cum lacrimis miseranda gemens. ululatibus augent
ardua tecta sonos. cunctorum lumina salsos
effundunt fontes, gemitus pia pectora rumpunt.
at pater alternans Athanasius ordine curas,
sollicitus rerum patriaeque suaeque salutis
agmina cuncta movet latis incedere campis
et forti properare duci. veneranda senectus
evigilanter agit populos. reverentia tanti
pulsat amorque viri. gravitas seniumque laborque
verbaque blanda iuvant, tristes mulcentia mentes.
ergo tot impensas genitor tunc ire iubebat
et socios urguebat agens, fortique magistro
consilium gratus senior mandabat amicus.
nec non egregius dispensans omnia Petrus,
ceu foret ille senex, magno mandata parenti
ferre iubet celeres iterumque referre ministros.
quam reverende puer! Libyen cum patre tueri,
an patris pietas animum movet? hoc ego quidquid
esse putem, dicam veritus. mirabile signum est,
has puer ut tenero discernas pectore curas.
iam gentes rumore tuo pavitantque tremuntque,
deficiuntque metu, palmis oculisque timorem
audito parvi signantes nomine Petri.
at famuli pariter cura praestantius omni
pro rebus magnoque laborant magistro,
pellentes dubias exire in proelia turmas.
hortanturque viros, flectuntque moventque docendo.
hic prece nunc socios, asper nunc increpat ille.
odit amare moras angusto in tempore cives.
quippe dolor pietasque virum magnique Iohannis
pulsat amor mentes. placido modo pectore vultus
versat, et absentes animis auditque videtque
sollicitus, dominumque rogat pro nomine tanti
proque salute ducis. pavitat secumque volutat,
atque animis tam dura putans pia corda fatigat,
quo pater ille modo, quo nunc Recinarius una.
scilicet infando tristantur pectora casu.
ardet adire viam, dilectas cernere turmas,
oscula vel plantis optans libanda magistri,
cunctaque disponit cura bene cautus in omni.

---

194 ore *T*, ire *Mazz.* 196 augent *Mazz.*, agens *T* 197 salsos *Mazz.*, salos *T* 199 Athanasius *scripsi*, anas uis *vel* anas ius *T*, anas uix *legit*, omnes uix *scripsit Mazz.*, magnas ex *Bekk.* 204 amorque *Mazz.*, amor *T* 206 impensas *Bekk.*, impesas *T*, proceres *Mazz.* 208 amicus *T*, amicum *Mazz.* 211 ferre *Mazz.*, forte *T* 212 rerende *T* 214 putem, dicam ueritus *scripsi*, putem dicam ueratus *T*, putent dicantue ratus *Mazz.* 216 rumore *Mazz.*, timore *T* 217 timorem *Mazz.*, morem *T* 220 quique *vel* quisque *ante* magistro *addi voluit Mazz.* 222 flectuntque *Mazz.*, flettunt *T* 225 quippe *Mazz.*, quodppee *T* 231 ricinarius *T* 235 in *add. Mazz.*

plaustra gemunt onerata viis, altisque camelis
fervet iter. ferrum resonantia concutit aera.
omnia per latos convectant horrea campos,
armaque multa viris more expendenda Latinis.
iamque duces hinc inde ruunt fortesque tribuni,
victricesque ferunt aquilas, atque agmina densant.
mittitur et sollers geminas componere partes
Stephanides iuvenis discreta mente Iohannes.
namque inter sese duri iam semina belli
saevus Ifisdaias et fidus Cusina sumptis
tunc habuere odiis. bellum iam corda futurum
coeperat alterno succendere barbara motu,
invidia geminante iras. hunc ergo magister
inter utrumque iubet placidam componere pacem
et sedare viros ipsasque arcessere gentes
subsidio rerum. nec duras flectere mentes
aut animos alius posset placare feroces.
hic poterat rabidas verbis mansuescere tigres
atque feros facili mulcens sermone leones
serpentumque malum dictis arcere venenum.
distulit is lites alterna parte furentes,
compressitque nefas et pactum gentibus auxit
arte nova. quos saepe metus, quos ille labores
inter utrumque tulit, tantas dum flecteret iras!
pro patria libuit tot saeva pericula ferre.
composuit gentes, pariterque ad proelia movit.
convenit ergo fremens, variis ornatus in armis,
innumerasque acies Maurorum in proelia ductor
Cusina fidus agit. commotis omnia cannis
arva gemunt. solidant latos vestigia campos.
ille duces proprios triginta fortior armat;
et quamvis numero milleni quemque sequantur,
Romanis gaudet sese tamen esse magistrum
militibus medium, quos princeps maximus orbis
ipse dedit pacis socios pugnaeque ministros.
illis fretus erat, gentesque et bella domabat.
venit Ifisdaias centum cum milibus ardens,
Arsuris et latos implevit tarua campos;
sed numerus virtute minor. tamen ornat in armis,
hostiles acies visu terrente, per hostes
proelia dum miscent densis asperrima telis.
auxiliumque dedit rebus famulatus Iaudas,
cum nato comites bis senis milibus armans.
omnia castra simul praefectus Bezina ducit
conveniens, agrosque suis pecuaribus implet.

236 honorata *T* que *add. Mass.* 239 more *T*, mox *Mommsen* 243 sthefanides *T* 245 sumptis *scripsi*, functis *T*, functi *Mass.*, *sed cf. IV 52. VIII 179* 250 arcescere *T* 256 is lites *scripsi*, ille tñ *i. e.* ille tamen *T* 264 cosma *T* commotis *Bekk.*, commmatis *T*, comitantibus *Mass.* carris *Mass.* 268 magister *T* 273 arsuris *T*, Aurasii *Mass.*, Arzugis *Haupt Opusc. III 616* impleuit tarua (*in margine* cornua) campos *T*, campos compleuit et arua *Mass.* 274 tñ ornat *T*, tanta ornat *malim*

ductor ut innumeris firmavit robora turmis,
signa movet, gentesque feras diffundit ut amnes,
proelia dura petens. campis Mammensibus Austur
rustica funereis sternebat corpora telis,
Byzacii partem rapiens praedamque secundam.
Antalas rursus proprium tum iunxerat agmen
partibus adversis, seseque in bella ferebat.
nuntia pennatis ventos transverberat alis,
Syrtica castra petens, venientis fama magistri.
cuncta per ora volat. tumidos modo territat hostes
aspera verba canens, tantasque ad proelia gentes
praesidio venisse ducis, modo concitat iras,
dum ferus imbelles Antalas esse catervas
Maurorum, signis qui se iunxere Latinis,
arte refert solita. Carcasan obvius ire
tunc voluit fervens. revocat Guenfeius hostis
consiliis verbisque docens. haec insuper addit.
'vincere si quaeris Romanos, maxime rector,
accipe dicta libens, quae sint peragenda, salutis.
non opus est istis committere proelia terris.
fortis adhuc miles nullis concussus et asper
exitiis per bella furit. nec Marte furentes
ferre quibus populis poteris nec stare Latinis
ante famem. sed castra move, retroque fugaces
finge vias. sequitur nostras exercitus ingens
quippe fugas. quaecunque virent, attrivimus arva.
ast illi nihil invenient: aut spargitur hostis
aut fame deficiet. fera tunc si proelia temptes,
victor eris, victosque fames ferrumque necabit'.
consilium infelix placuit, fossasque levavit.
insequitur fortis fugientia castra magister,
ingeminans iter omne suum. iam proximus hosti
proelia temptabat iunctis committere signis.
sed quia ductori necdum concesserat horam,
distulit arma deus melioribus apta triumphis.
namque per extensos pergebant agmina campos,
pulvis et adversi apparebat certius hostis
haud procul esse viris. virtus crescebat acerbis
mentibus, et pugnam iam iam temptare parabant,
cum subito calefacta dies. nam Phoebus anhelis
altior ibat equis, medio libratus in axe,
vindicat umbra duas brevior quo tempore plantas.
Africus ignivomus terrasque exurere flabris
incipit, et populi vires furiasque resolvit.
flamine cuncta rigent igniti corpora venti.

---

281 robora *Mazz.*, robore *T*, *cf. IV 889* 282 ut *Mazz.*, ubi *T* 285 bisatii *T* 286 iuxerat *T* 293 amtalan *T* 294 iunsere *T* 300 istis *Mazz.*, his *T* 304 famem *T*, fame *Mazz.* 307 ast *T*, aut *Mazz.*, at si *Bekk.* 308 aut fame deficiet *T*, deficietque fame *Mazz* 313 tentabat *Bekk.*, tentabant *T* 314 oram *T* 315 apta *Mazz.*, acta *T* 319 pugna *T* 321 axem *T* 322 planctas *T* 324 incepit *T* 325 corpore *T*

aret lingua viris, facies rubet, altus anhelat
pectora pulmo ciens, mittitque e naribus ignem.
aspera subtracta fervescunt ora saliva,
et furit exustus siccis in faucibus ardor.
omnis ab internis humor fluit anxius extis,
perfunditque cutem, quem mox exiccat iniquus
aëris ipse calor, tepidumque a corpore sumit.
   vidit ut hoc ductor, dilato Marte Iohannes
castra super dulces posuit sitientia fontes.
confluit ad gelidas ardens exercitus undas,
incumbuntque siti. quo more canalibus horti
innumerae densantur apes, cum sole sub alto
iam sese e pastu referunt, rivoque fluenti
mellificum bibit agmen aquas, sic igne perustum
per ripas ruit omne genus. non frena retardant
cornipedes domitos; non quae super ora camelos
vincula rara tenent. mistum genus omne bibebat
undivagos latices. ardent sitiuntque bibentes.
hic genibus fixis, manibus bibit ille cavatis,
pronus aquas alius lambit de flumine lingua.
ille cadum potans, pateram tenet alter et urnam.
flumina iam minuunt. ipsas impressat harenas
belliger ore, super foedant quas saepe movendo
quadrupedes, mistasque fimo nec respuit undas
turba siti fervens. miseros sic flatus agebat.
   Syrtica castra tamen, nimio turbata pavore,
saeva sub alternis urebat flamma periclis.
namque super vento gravior timor ipse fatigans
ingeminansque sitim gentes pellebat amaras
ire procul, retinet sed victos Africus igne
impediens populos. captivos comprimit Afros
horrida mors. miseros praedo urguet, flamma retardat,
lancea terga ferit miserorum, pectora turbat
Africus igne calens. campis prostrata cadebat
turba gemens. moritur variis per devia fatis.
hic venti flammis, hic saevi vulnere ferri,
hic ab utroque cadit. gladiis nam corpora fundunt,
halitus in summo tenuis quibus ore remansit.
iam gravior flatus veniens Maurusia turbat
corpora, morte premens. misti per prata cadebant
fessi quadrupedes. vitam sors saeva negabat.
sed tamen infensas urguens timor ire catervas
per deserta iubet. nec iam sua castra locare
permittit terror, sed longas pellit ad oras
Massylas gentes. bis quinos Africus ignes

---

332 aëris *Mazz.*, aiere *T*   tepidoque *dubitans Mazz.*   334 duces *T*   336 orti *T*   338 e *Mazz.*, et *T*   343 sotiuntque *T*   346 potans *Mazz.*, *an* portans *praeferat dubitans*, potens *T*   348 ore *Mazz.*, ora *T*, *qua lectione servata v. 347* ipsis -- harenis *scribi posse intellexit Mazz.*   352 sene *T*   362 haec *T*   gladii *Mazz.*   nam *Bekk.*, non *T*   365 cadebunt *T*   366 sors *Bekk.*, mors *T*   367 infessas *T*   370 ignes *Mazz.*, ingens *T*

auxerat ignivagis exurens cuncta procellis.
tot fugiens hostes acies inimica diebus
se procul a fessis posuit terrore Latinis.
    ductoris iussu hostes explorare tribunus
Caecilides, numero pariter comitante feroci
victorum, egreditur, quibus hic virtute placebat.
forma viri magno fuerat iam nota magistro,
non minor Herculeis prosternens viribus hostes.
hic levitate celer, nimia virtute tremendus,
consilio maturus erat. Maurusia quamquam
obsidione vias gens aspera clauserat omnes,
ille tamen melior cautis percusserat armis
saepe feras gentes. tremuit prostratus Ilaguas
Marte virum, tremuit Frexes et Naffur anhelus.
Vandalicae gentis timuit tunc ille tyrannus.
diligit hunc fortem nimium pater ipse magister.
ipse laborantem propriis prospexit in armis
saepe virum. captos suscepit Marte rebelles
illius e manibus. novit Romana iuventus
fortia facta viri, tantis gavisa tropaeis.
ergo missus abit. Vinci populator iniquus
arva tenens vicina mari, securus et errans
omnia submissis urebat praedia flammis.
ceperat ille suas noctis per opaca latebras,
sollicitaeque celer successit moenibus urbis
hostes per medios. tanta est fiducia ferri.
non ignota cano. timuit non ille periclum
pro patria superare sua. sic iussa magistri
perficere et tantos potuit sufferre labores.
ingreditur portas, hostis secreta requirit,
circuit hostiles digressus in ordine fossas,
cognoscitque locos per amica silentia lustrans.
hinc redit ad socios. magnum petit inde magistrum.
iamque per innumeras evaserat ipse catervas
praedonum impavidus. postquam tentoria longe
Marmaridum vidit, saevaeque pericula gentis
non superesse suis, et passim comperit hostes
devastare locos, animus consurgit in iram,
et sociis sic orsus ait. 'si dicta feremus
sola duci, non plena fides est. nam loca tantum,
quae teneant fossae, cuncti nos scire fatemur.
consilium gentis summo perferre magistro
utilitas haec rebus erit perfecta Latinis.
tempus adest, socii, rarus iam rapiamus ab hoste,

374 ductori *T* 380 maurisia *T* 382 cautis *T*, cunctis *legit Mass.* 383 ilasguas *T* 384 frixes et naufur *T* 387 laborentem *T* 388 saepe uirum *scripsi*, se uirum *T*, nimirum *cum insequentibus iunctum Mass.* 392 maris *T* 393 prelia *T* 394 ceperat *scripsi*, teperat *T*, temperat *Mass.* 395 mentibus *T* 396 ferri *T*, forti *malim* 399 et *add. Mass.* 403 hinc redit *Mass.*, hic retulit *T* inde *add. Mass.* 412 summa *T* 414 rarus iam rapiamus ab oste *T*, raros iam uidimus hostes *Mass.*, prensos rapiamus ab hoste *Bekk.*, rarum. rapiamus ab hoste *malim*

dum locus est, qui cuncta duci manifesta resolvant
Carcasan arcana sui'. nec plura locuto
obvius ecce venit Varinnus, belliger ille
terribilis quondam nostris stipante caterva.
hic pinnatus erat, non quem placaverat ante
ensipotens Solumuth. generis tamen asper uterque
sanguine proximior sese per bella ferebat.
hunc ubi prospiciens contra Liberatus euntem
vidit et erectis temptantem proelia dextris,
irruit ipse prior, turmasque invadit equestres.
inde ferum Veuman valido per pectora pilo
transadigit, Marzinque neci nigrumque Lamaldan
et Zeias dedit ense gravi, fortemque Tifilan
et Burcanta Nathunque ferit Sarzunque Tilinque
ensiferumque Nican, comites quis mittit ad umbras
terribilem Asan et vibrantem missile Dextrum.
audacem Petrus Tafaran confixerat hasta,
quem petit infensis luctantem Iammada telis.
hunc tamen exceptum Petrus mucrone peremit,
verticis alta rotans truncatis tempora venis.
Stephanus Altisan, Tarah ferit ense Iugurtham,
Muriferum Priscus Ielidassenque Carosus,
Silvutis Zembrum, Grorgius conficit Auspur,
vulnere perfodiens contortae cuspidis inguen.
    victa phalanx versum dederat Maurusia dorsum.
victorum sequitur pubes veloxque tribunus.
surgit ad aethereos nubes densissima campos,
pulvere facta fugae. duro sonat ungula cornu,
et latet aspersis campus coopertus harenis.
cornipedum fodiens densis calcaribus armos
hostis uterque volat. sequitur tunc agmina pulvis,
significatque vias. dirupto carcere ventus
non aliter teneras flatu convolvit harenas,
cum tumidus Boreas, Scythica iam liber ab aula,
perfurit in campos, turbo volat horridus ante
contortus virtute Noti, gyroque coactus
vertit harenosas conturbans aequora terras.
    iamque secutus erat miles fugitiva per agros
agmina Marte furens, bellatricesque catervas
spargebat tepido fundens per gramina ferro.
despicit ipse tamen dedignaturque tribunus
sternere caede viros, vivos sed prendere certans
veloci volitabat equo, pilumque retorquens
grandia percussis iactabat corpora membris.

---

416 carthasan *T*   417 Varinnus *scripsi*, .arincius *T*. *prima nominis littera 2 m. ita immutata est, ut nescias quid legas*, Tarincus *Mazz.*, *sed cf. 463. 470. IV 960—969*   418 nostris *Mazz.*, histi *T*   420 generis tamen *T*, gener is: tamen *Mommsen*, *nescio an quid interciderit*   430 terribile inasan *vel* terribile masan *T*   431 petrum *T*   432 infessis *T*   434 uerticis *Mazz.*, uirtutis *T*   uenis *T*, neruis *Mazz.*   435 sthefanus altisan *T*, Altisan Stephanus *Mazz.*   437 Gregorius inicit *Mazz.*   440 pubes *Bekk.*, pules *T*, miles *Mazz.*   uelosque *T*   446 diructo *T*   447 conuoluit *Mazz.*, cum uoluit *T*   449 perfuris *T*   451 uertis *T*   aequora *Mazz.*, equo *T*

quattuor electos rapiens ex agmine Mauros
vinxit, et implicitis praestrinxit brachia nodis,
servavitque viros, magno secreta magistro
qui referant linguisque suis arcana resolvant.
Varinnum prensis rapuit virtute capillis
et suspendit equo. tremuit dextraque pependit
infelix Nasamon. quem protinus ille remissum
stravit humi, veloxque super fera pectora sedit,
descendens levitate sua, tortisque lacertis
aspera per geminas substrinxit vincula palmas.
ducitur hinc vinctus, manibus post terga revinctis,
cum sociis Varinnus atrox, vultuque remisso
ductoris stetit ante pedes. tunc omnis in illum
turba coit currens studio Romana tuendi,
Massylique duces cupidi condiscere causas
et, quae sit manifesta fides. victorque referre
Caecilides sic iussus ait. 'tua maxima servans
optime iussa ducum, Christo pugnante cucurri
per medios hostes et castra feralia vidi,
quae fixere viri miseris Vincensibus arvis.
ingressus trepidam bellis cingentibus urbem
condolui. illic magna tamen miracula vidi.
namque iacent nullis circumdata moenia muris,
praesidio munita dei. non turribus illam
ardua pinnati defendunt culmina tecti.
mansuescit gentes verbi virtute sacerdos.
sic parat indociles caelestis gratia mentes.
ille potest monitis rabidos lenire leones
et placare feras. mansuescunt corda luporum,
atque avidis teneros non laedunt morsibus agnos.
hortaturque simul, iubeas properare sequendo
proelia Romanis confidens prospera rebus,
si venias: lacrimis non desinet ille precando
pro populis armisque tuis castrisque Latinis
exorans iugiter, nostros ut conterat hostes
omnipotens, humilesque tua virtute superbos.
hos ego digressus nimio sudore rebelles
detinui, qui cuncta tibi secreta resolvant
gentis iniqua suae, doceantque ex ordine mentem'.
    finierat dictis, quae gesserat, acta tribunus.
at ductor vinctos iam dudum lumine torvo
despiciens iratus ait. 'qui mentibus ausus?
dicite, furciferi. quae vos sors dira coëgit
hinc Libycos bellis iterum remeare per agros,
et vetitas temptare vias, solitisque rapinis
Poenorum spoliare domos gentesque Latinas?

---

462 linquisque *T* 465 Nasamon *Mazz.*, mamasan *T* 469 reuictis *T* 474 quae *T*, quo *Mommsen* 476 octime iuxa *T* 478 miseris Vincensibus *scripsi*, miseris uicte ensibus *T*, miseri iuuicte ensibus *legit Mazz.*, miseri Vincensibus *Bekk.* 481 circumdita *T* 482 non *T*, nam *legit Mazz.* 493 exorras *T* 494 humiletque *Mazz.* 502 hinc *T*, huc *dubitans Bekk.*

Carcasan vicisse putat? quem tempore certo
subiciet post bella deus, vinctumque videbit
plebs Romana suis captivatumque sub armis.
ante tubam memora, quis mentem terror adegit
insidias vestrosque dolos fraudesque tuorum'?
    tunc Nasamon pinnatus ait. 'me cuncta fateri
iussio dura premit. mortem licet ipsa minentur
verba mihi meritam, narrans tamen omnia dicam.
Carcasan nostris dux est fortissimus armis.
huius in auspicio nostri spes maxima regni est,
et manifesta manet. cecinit sic gentibus Ammon
fatidicus, nostris donans per proelia Mauris
Byzacii campos, Carcasan ire superbum
per Libycos populos et pacem reddere mundo.
Ammonis his dictis gentes Bellona coëgit
innumeras vestros iterum remeare per agros,
ipse quidem ductor tecum committere pugnam
iam voluit. vertens animos Guenfeius hostis
distulit arma viri mentemque a Marte reflexit,
consilio sed valde gravi. tu quippe fugaces
quos populos nunc rere, magis non terror acerbus
hos agitat victosve pavent. ut vestra fatiget
castra fames, finxere fugam, vobisque labores
arte parant. gentes nostras ne crede fugaces,
si veniat princeps totumque exhauriat orbem
secum ad bella movens. nec Maximianus apertas
bis potuit conferre manus, cum sceptra teneret
Romani princeps populi, victorque per omnes
Poenorum gentes bellis transiret acerbis.
at modo, cum donet responsis certior Ammon
prospera bella suis, Laguantan cedere signis
aut fugisse putas? velles hoc, ductor acerbe.
sed non sic tua fata volent'. tunc verba furentis
indignans saevire diu, sic ora resolvit.
'ut magis hos nostros teneatis certius agros'.
sic ait et quinque erectis iubet ordine lignis
stipite suspendi morientum colla bicorni.
iussu praecipiti celeres fecere ministri.

506 subi[illegible]ite *T* 507 catiuatumque *T* 509 tuorum *T*, tueri *Mazz.*, nouare *requiritur* 510 Nasamon *Mazz.*, sadamon *T* 511 iuxio *T* ipse *T* 521 ipse quidem *scripsi*, ipse qui *T*, ipseque qui *Mazz.* 524 tu *T*, tum *Mazz.* 525 nunc *scripsi*, non *T* rere *T*, irre *legit*, ira *scripsit Mazz.* 526 uictosue *T*, uictosque *legit Mazz.* 529 ueniat *Bekk.*, ueniet *T* 535 signis *Mazz.*, suis *T* 536 uallas *T* acerbe *Mommsen*, acriue *T* 539—540 *versum unum intercidisse suspicatur Mommsen* 541 subspendi *T* morientum *T*, morietur *legit*, Maurorum *scripsit Mazz.* 542 iussit *T*

LIBER OCTAVVS (SEPTIMVS).

Postquam consilium ductor cognovit iniquum
atque omnes patuere doli, gentisque nefandae
persensit crudele nefas, tunc cuncta revolvens
obtutu tacito mentis discurrit acumen
per partes varias, quae sint peragenda, requirens.
vincere quippe gravis melius sapientia gentes
quam virtus armata potest. moderamine iusto
percenset varias, relegens celer ordine, curas,
atque animo per cuncta volat. sic praepes hirundo
inquirens teneras pullis circumvolat escas:
proximior terris virides modo conspicit herbas,
itque reditque locis, ramos nunc arboris altae
explorat, tacitis proscinditque aëra pennis.
tandem consilium pacata mente resedit,
et sociis sic ductor ait. 'non viribus audet
Carcasan nostris fretus concurrere telis,
arte sed asper agit Latias vexare cohortes
et fugiente parans. fugiat licet improbus astu,
non tamen effugiet. tanta superabitur arte.
castra locanda mihi mediis Vincensibus arvis,
quae modo raptor habet. si fors committere pugnam
ausus erit mecum, planis fundetur in arvis:
nam melius miles campis concurret apertis
liber equo, pilo feriens vel arundinis ictu.
sin fugitiva locis gens impia cesserit illis,
litora praecipimus, nullasque exire iubemus
impensas terris. perient nihilominus hostes,
nec poterunt sufferre diu, gentesque nefandas
concutiens obscena fames sine Marte necabit.
at nos aequor alit, venalia tempore certo
cuncta ferens, Cereremque simul Bacchumque ministrat.
castra movete, viri, cunctisque incedite signis'.
vix ea fatus erat: campos contexerat omnes
altus eques lentusque pedes, rumpuntque per agros
agmina densa virum, fremitusque increscit equorum.
senserat hoc cautis Carcasan monitus alis
Antalasque ferox. subito crepitante tumultu
castra movent. timidi planis consistere campis
deseruere locos, fossasque in montibus altis

4 optutu *T* 8 relegans *T* 9 praeceps (*in margine:* alias praepes) *T* 10 inquires *T* puluis circouolat *T* 12 idque redit *T* ramas *T* 13 que *add. Mass.* 16 carsan *T* 17 asper *T*, aspera *malim* uessare *T* 20 Vincensibus *Mass.*, uincesibus *vel* iuncesibus *T* 21 sors *T* 23 concurrere *T* 25 cesserit *scripsi*, exerit *T*, texerit *Mass.* 26 praecipimus *T*, praecipiens *legit Mass.* 29 concitiens *T* 30 ienalia *T* 32 mouere *T* 33 contexeras *T* 34 alcus *T* 35 increscit *scripsi*, inccescit *T*, incessit *Mass.* 36 cautis carhasan monitus alis *T*, cautus Carcasan montibus altis *Mass.* 37 atalasque *T*

constituere metu, et celsis vinxere camelis.
litora Romanus densis exercitus armis
occupat, et latos implent tentoria campos,
Massylique duces medios posuere Latinos.
hinc atque hinc cunctos cannas fixere per agros,
atque omnis tenuere vias. tunc litore ab omni
contrahit ipse rates portuque stare Larisco
iussit, et impensis socios gentesque levavit,
dispensans per castra pater numerosque Iohannes.
dum trahit ille dies digna fortissimus arte
et gentes cruciare parat, consurgit oborta
seditio, populosque furor per castra Latinos
insanis urguet stimulis. iam murmure crebro
exacuunt dubias contra sua pectora mentes.
pro dolor! armatas revocant in viscera dextras
quisque sibi, propriisque parant cervicibus enses.
quis furor ille fuit, quo sic exarserat omnis
funditus ipse suas Latiaris perdere miles
tunc acies? mentes miseras sors saeva trahebat.
non metuis, Romane, ducem? tot bella, tot hostes,
quos circumfusos certum est patuisse, caveto.
en Libyam per bella paras cum gentibus una
vertere, et infensis miseram petis, improbe, telis,
heu pietas! ubi sancta fides? fors saeva laborat
de manibus partos populis auferre triumphos.
coeperat obliquo ductorem lumine miles
respiciens iam dura loqui sociumque quietos
exagitare animos auresque implere susurro.
nec iam odiis posuere modum, sed voce nefanda
impia verba ferunt. silvam velut ignis adurit
appositus, primaeque movent incendia flammae,
cum tenuis scintilla leves succendere frondes
incipit, aut fragiles crepitant cum fomite culmi;
fumum atrum primum parvamque exire favillam
saepe vides, mox se vacuas Vulcanus ad aures
erigit, et densos edunt mala flamina colles:
sic captas mentes paulatim acuere furore,
sic rupere minas. 'quonam, miseranda iuventus,
hunc sequeris per bella ducem? quo fessa trahuntur
agmina? qua rursus miseris mors saeva paratur?
heu, viles animas vario discrimine fundit,
et merces non ulla datur. nos Marte cruento

40 uinxere *Bekk.*, uinxere *vel* iunxere *T*, iunxere *Mazz.* 41 densus *T* 46 portuque stare *T*, portusque intrare *Mazz.* laristo *vel* larisco *T*, Lariscos *Mazz.* 47 iuxit *T* 48 dispensant *T* 50 aborta *T* 54 reuecant *T* 56 quo *Mazz.*, quod *T* 60 circumfusas *T* patuisse *Mazz.*, potuisse *T* 62 infessis *T* 65 ductore *T* 72 incepit *T* 73 fumum atrum *Bekk.*, fu..ram *T*. *duae tresve litterae*, *quae inter* u *et* r *exaratae erant*, *prima*, *ut videtur*, *manu deletae sunt*, funeream *Mazz.* 76 captas *Bekk.*, *an* caecas *praeferat*, *dubitans*, cepit *T*, coepit *Mazz.* acuere furore *T*, accendere feruor *Mazz.* 78 trahantur *T* 79 qua *Bekk.*, quo *T* 80 discrimine *scripsi*, de semine *T* 81 cruenti *T*

mortibus affecit. Romanus sanguis harenas
proluit, et misto nigrescunt aequora tabo.
nos sitis atque fames, flammis nos Africus ussit.
et meritis non ullus honos. concurrite, cives.
saxa, faces, gladios, quidquid furor, ira ministrat,
diripite. infando careat pars nostra labore
morte ducis meriti'. diro sic castra tumultu
exagitata fremunt, atque impia murmura crescunt.
contrahitur furibunda manus, coetuque coacto
exacuunt dubias iunctis fervoribus iras,
decernuntque nefas. clamor tentoria miscet
horrificus, saevis resonat clangoribus aether,
non aliter dubiis quam ferret proelia fessis
omnia conturbans Nasamon. ductoris ut aures
contigit ille sonus, 'quisnam crepitante tumultu
exagitat mea castra furor? perquirite', dixit
'et celerem removete gradum'. dux Tarasis ante
egreditur trepidus rerum condiscere causas.
ut strepitus sensit dubios murmurque virorum,
accessit placidis populos sedare loquelis.
nec ducis hos facies nec verba precantia flectunt
nec Romanus honos: animis reverentia cessit.
ausi quin etiam lapides temptare minaces.
urguebat sors saeva viros fatumque futura
morte premens, miserosque dies suprema trahebat.
vertitur ad dubium pedibus celer inde magistrum
nuntius, et saevas insani militis iras
exarsisse ferens bellum civile repente
ortum ait. infremuit ductor, telumque verendus
corripuit, fossasque furens et castra reliquit
egrediens virtute sua. comitesque secuti
atque duces et fida manus. tunc aggere celso
constitit, atque gravi populos sic voce furentes
admonuit metuenda. 'ferum me nempe putabas,
miles, acerba furens? si fas civilibus armis
iusque datum est ensum, propera, si bella vetari
me pereunte putas, si Martis causa Iohannes
civibus. haecne fides? si sic Romana recessit
ex animis pietas, certe iam gentibus istis
bella geram. noster fortis semperque fidelis
Cusina rebus erit, gentes comitesque ducesque.
vos ignava manus nostris discedite castris.
vadite. iam veniat commotis Cusina cannis.
noster Ifisdaias propriis cum gentibus assit
Bezinaque et velox acies famulantis Iaudae'.

85 meritis *T*, meritus *legit Mazz.* 86 quicquid furor ira *T*, quotquot furor arma *Mazz.* 87 diripite *Bekk.*, diripe et *T* 88 merita *Mazz.* 91 iunctis *addidi*, mediis *add. Mazz. conferens Verg. Georg. III 154* 97 exagitur *T* 98 tarsesis *T* 106 marte *T* 112 cominusque *T* 113 agere *T* 114 constituit *T* 118 mortis *Mazz.* 121 nostris *Mazz.* 122. 124 cosina *T* 126 uezinaque *T*

vix ea fatus erat: densis Maurusia signis
agmina per latos ruperunt undique campos
auxilio ventura ducis. tunc saevior arma
corripuit Romana manus, fossasque per omnes
ferrati micuere viri. nec torpor acerbas
percussit mentes, aut densus terruit hostis.
hos tamen aspectus proprii terrorque magistri
atque monens placido sapiens Recinarius ore
coeperat attonita restinguere mente furores.
deposuere minas. tristis discedit Erinys.
paenituit furuisse viros. summittere colla
nunc humili cum voce volunt, non gentibus acti,
sed rerum memores. movit pietasque fidesque
principis atque metus, gravitas virtusque magistri.
et placidis revocans Recinarius agmina verbis
praecipit alternas acies astare parumper
pace sub ancipiti, mandatque haec verba Latinis.
'cernite, quot gentes rerum pia iussa sequantur,
et pudeat voluisse nefas. sin forte paratis
aspera bella sequi mentemque implere malignam,
dicite. cognoscam, quaenam suprema voluntas
vestra manet, socios salvem, perdamne rebelles'.
nec minus ut Caesar medio impendente tumultu
Romanos potuit verbis terrere superbis,
erubuit stupefacta phalanx, humilisque magistrum
sic pia voce rogat. 'paucos furor impius egit
hoc sceleris temptare genus, quos iusta nocentes
ultio rite manet. sontes sua poena sequatur.
nos humiles ductoris heri praecepta sequemur'.
has inter voces auctores criminis insons
turba trahit, vinctosque duci pro crimine tanto
tradidit, et culpam devota mente piavit.
facta quies populis. sceleris vindicta nefandi
composuit mentes. ductoris maior in omnes
hinc gentes terror. sedato milite laetus
ingreditur fossas. devota mente fatentur
nunc hilares socii dictis parere iubentis.
ilicet inde iubet rauco stridentia cantu
aera ciere acies. commotis litora signis
deserit, et campis posuit sua castra Catonis.
Syrticus at raptor munitis tuta tenebat
castra locis. sed dura fames iam coeperat omne
Marmaridum turbare genus. pecuaria tantum
sunt epulis; nam nulla Ceres. cognovit ut ingens
Romani ductor populi, concludere gentes
obsidione parans, certis tunc signa diebus
abstinuit silvisque acies exclusit iniquis.

127 densi *T* 130 fessasque *T* 135 restringere *T* 136 descedit *T* 141 ricinarius *T* 158 deueta *T* 161 hinc *scripsi,* he *T,* fit *Mazz.* sedato *scripsi,* sed acon *T,* quando cum *Mazz.* 164 stridente *T* 168 omnem *T*

iamque dies alterque dies dilatus ab armis
arte ducis. gentes dubias se credere campis
efficit ipsa quies. certum putat esse pavorem
infelix Nasamon. in planis ponere terris
castra soluta iubet. nimium iam morte propinqua
audaces animos et saevas sumpserat iras.
convocat e mediis deducens agmina fossis
consilium ductor. stetit aggere celsior ipse.
tunc lecti venere duces fortesque tribuni,
atque suo veniens condensus in agmine miles
per numeros turmasque ruit. rebusque fidelis
contrahitur Massyla manus sic mista Latinis
ceu Romana ferox. cunctos amor ipse magistri
terribilisque metus campis occurrere iussit.
unanimes habitus gentes discernit utrasque.
his tunicas ferrum, his, nudis de more lacertis,
purpura picta dabat vario permista colore.
hos clipeus, hos cetra tegit. stat casside celsus
miles et implicitae Maurus velamine pallae.
ast alius longos removens a fronte capillos,
missilibus nixus geminis et poplite flexo
aut dura solidam defigens cuspide terram.
quos ductor medius dictis affatur amicis.
'Romani comites, fessae spes unica terrae,
certa salus Libyae vestris nunc pendet in armis.
iam bellum finire decet durosque labores.
pugnandum est'. gavisae acies gentesque Latinae
signa movent. vox una fremit, populique ducesque
Massylaeque manus magno cecinere fragore.
promittunt animos, curritque per agmina laeto
murmure cuncta sonus. non sic agitata resultant
aequora venturis longe signantia ventis.
sensit ut egregius populorum vota Iohannes,
consilio meliore docet, quae prima salutis
causa fuit, rebusque data est victoria summis.
ut fremitus pressit dextraque silentia iussit,
attoniti siluere viri, faciemque loquentis
suspiciunt. animi iussis auresque parantur.
affatur socios clara sic voce magister.
'haec, socii, transacta dies. nec crastina pugnae
apta datur durae, dominoque sacrata per orbem est.
quare agite, o proceres, Christo famulemur ovantes.
praesidium lacrimis humiles oremus ab illo,
et veniet, confido, citum; gentesque malignas
confringet virtute deus, nostrosque labores
respiciet, nostrisque dabit nova gaudia rebus.

---

179 sumpserit *T* 180 agmina *Mazz.*, aghimine *T* 182 lecti *scripsi*, leti *T*, laeti *Mazz.* 184 turbasque *1 m.*, turmasque *2 m.* *T* 191 cetra tegit *Mazz.*, sceptra regit *T* 194 massilibus *T* 203 letus *in* leto *1 m. mutatum T* 205 uenturos *in* uenturis *1 m. mutatum T*, uenturos — uentos *Mommsen* 211 suscipiunt *T* 213 haec *T*, nec *Mazz.* 214 durae *add. Bekk.*, *an* pia enim *praeferret dubitans*

ast ubi perfectis caelestia munera sacris
obtulerit domino venerandus rite sacerdos,
votaque Romanus persolverit ordine miles,
ponemus mensas. ne longe pascite campis
quadrupedes, epulis quoniam de more receptis
castra movere placet, non tristia mittere bella,
sed tantum properare locis, ut luce sequenti
— mox primo mundum consurgens margine Phoebus
flammivomis continget equis — committere pugnam
vicinis liceat ferventi caede Lataris.
nec longum quassabit iter, sonipesque pedesque
fortis erit, gentesque feras virtute necabit'.
assurgunt clamore viri, plauduntque faventque
exultantque animis. redeunt in castra cohortes.
nec minus et Nasamon diversa in parte rebellis,
consilium infandi faciens pro tempore belli,
impia cognatae contraxerat agmina turbae,
atque alias Libyam bellis quas scindere gentes
compulerat praedonis amor sortisque nefandae
extrema iam morte dies. Guenfeius una,
aspera bella ciens, animo consulta revolvit,
impatiens differre diu. tamen ordine primus
Carcasan sic orsus ait. 'vicina Iohannis
castra premunt, et saeva fames iam comprimit omnes.
gentibus una salus celerem committere pugnam,
dum solidae vires membrorum robore constant.
nam pecudum spes sola epulis et lymphigeri amnis
sustentat suprema viros. iam farris ab omni
defecit Nasamone genus. memorare Lyaeum
non opus est. iuvat unda fluens. si vincimus hostes,
omnia Maurus habet, prostrato milite castra
diripiens tot plena bonis. immota manebunt
securo responsa mihi, quae corniger Ammon
sorte dedit, Latias bello superare catervas'.
'crastina festa dies populo peragenda Latino est'.
excipit Autiliten. 'Romanus proelia miles
nulla pavet solitus sacris. tunc arma movere
nostra iube. incomptos subito rumpamus in hostes,
dum medio calet hora die, dum cuncta sub umbris
corpora fessa iacent nimio lassata calore.
praeterea geminas tantum rescindere fossas
est virtutis opus. duri primum ipsa Iohannis
castra time, densasque simul fortesque cohortes
audacesque duces collectis elige signis,

223 ne *T*, nae *Mazz.*, neu *Bekk.* 224 receptis *Mazz.*, reettis *T* 226 properare *T*, propiare *Mommsen* 227 mox *T*, cum *dubitans Bekk.* magine *T* 229 lataris *T*, laturis *legit Mazz.*, Latinis *Bekk.* 231 nerabit *T* 234 massamon *T* 235 infandi *Mazz.*, nephandi *T* 236 agmine *T* 239 extrema iam morte *T*, extrema iam in morte *dubitans Mazz. conferens Verg. Aen. II 447. XI 846*, extremo iam Marte *Bekk.* 242 cartasan *T* 246 lymphigeri *scripsi*, lymphiger *T* 247 uiris *Mazz.* 248 nassamone *T* 256 solitis *dubitans Bekk.* 259 laxata *dubitans Bekk.* 260 fossa *T*

et Latias sic posce manus. ibi sanguine multo
certandum est. reliquas acies, qua castra nefandus
Cusina ductor habet, condensas Guarsana ducat.
hic quoque certa manus Romani militis ardet.
est etiam dux ipse ferox, disperdere gentes
Romana pro parte parans, dum plaudit honorum
inflatus titulis, dum dicitur esse magister,
dum consanguineus genitus de matre Latina.
hac sibi laude placens fortis fidusque videri
vult inimicus atrox. alios nec nominet hostes
his victis Nasamon. cuncti tua castra sequentur.
sic dabitur nostris fortis victoria signis'.
consilio assensere viri, gentesque nefandae
infremuere animis, acuuntque in proelia mentes.
condidit unda diem Oceano. nox atra secuta est.
tunc Phoebus disiunxit equos, tunc Cynthia iunxit,
dum renovat nostras vires. haec surgit ab undis,
mergitur alter aquis. placidam per membra quietem
accipit omne genus, dulcique impressa sopore
cetera per campos fessis animalia membris
somnus habebat iners, pecudes variasque volucres
horribilesque feras gelidosque in litore pisces,
cum vigil insomnem, flagrans iam Marte, Iohannes
ducebat noctem, cautoque in pectore sollers
volvebat magnas, dispensans ordine, curas.
quem iuxta sapiens Recinarius horrida bella
pectore pensabat placido, sensuque sagaci
percurrens varias relegebat in ordine causas.
alternis animos relevabant vocibus ambo,
mutuaque ex oculis arcebat fabula somnos.
o quotiens habuere preces, dominumque potentem
pro rerum, populi, Libyae propriaque salute
cum lacrimis petiere diu! nec fundit inanes
tristis uterque preces. orantes vidit ab alta
sede pater, terrarum orbem qui fulmine terret,
et finem imposuit tanto post bella labori.
Marmaridum interea nocturnis dedita sacris
castra fremunt, statuuntque aras, et inania poscunt
numina. producunt pecudes altaria circum,
et fundunt miserum rivis per prata cruorem.
hi mactant Gurzil, multi tibi, corniger Ammon,
hi Sinifere colunt, quem Mazax numine Martis
accipit atque deum belli putat esse potentem,
Mastiman alii. Maurorum hoc nomine gentes

265 qua *Bekk.*, quo *T* 266 cosma *T* 269 plaudit *Bekk.*, plaudet *T* 280 nostras *Mazz.*, nostra *T*, nox atra *Mommsen* surget *T* 281 placida *T* 289 iusta *T* ricinarius *T* 291 uarias *T*, uarios *Mazz.* causas *T*, casus *Mazz.* 294 quoties *T* habuere preces *Mommsen*, habiere pares *T*, abiere pares *Mazz.* 296 fudit *dubitans Mazz.* 297 preceps *T* 304 hic *T* multi *scripsi*, mlti *T*, miti *legit Mazz.*, illi *Bekk.* 305 hi Sinifere *scripsi*, hi nifere *in* hignifere *1 m. mutatum T*, hignifero *legit*, igniferique *scripsit Mazz.*, *sed cf. IV 681* quem *scripsi*, quae *T* numine *T*, numina *Mazz.* 306 petentem *T* 307 gentis *T*

Taenarium dixere Iovem, cui sanguine multo
humani generis mactatur victima pesti.
pro scelus infaustum! gemitus miserabilis, auras
undique concutiens, clamoribus aethera pulsat.
imprimit hic ferrum iugulis, et vocibus ipsum
numen agit, dubiasque vocans exire per umbras
solis iter temptare iubet. tunc more profano
diripiunt pecudum fibras et fata requirunt.
presserat ista deus, surdumque ad carmina numen
omne fuit: nulli retulit responsa sacerdos.
Phoebus ab interni resplendens margine caeli
Oceani rumpebat aquas, meliorque resurgens
lumine fulgentes radios tendebat in orbem
felici nascente die. iamque ordine certo
Christicolae veniunt populi, Romana iuventus
magnanimique duces signis comitantibus una.
dux ubi distensis habuit tentoria velis,
visus cum primis media inter castra Iohannes.
hic magnum statuit velans altare sacerdos,
et solito sacris circumdedit undique peplis
more patrum. instituuntque choros et dulcia psallunt
carmina deflentes humili cum voce ministri.
ast ubi sacrati tetigit dux limina templi
ingrediens, gemitus populi rupere dolentes.
lumina confundunt lacrimis. vox undique caelos
pulsat, et infensis tot conscia pectora pugnis
percutiunt. 'delicta patrum dimitte, rogamus,
nostraque, Christe' gemunt et tensis aethera palmis
suspiciunt, dominique sibi solacia poscunt.
ipse inter primos, genibusque et corpore flexo,
pro populo exorans motus pietate Iohannes
ex oculis lacrimas fundebat fluminis instar,
percutiensque suum geminato verbere pectus
talia voce rogat. 'mundi sator, unica rerum
vita salusque, deus, terrae, maris, aetheris auctor
omnipotens, caelum et terram virtutibus implens
undivagumque salum vel quidquid cingitur orbe,
aëraque et taetrum populi pallentis Avernum,
imperium tu solus habes; tibi summa potestas
et laus et regnum magnaeque potentia dextrae.
respice iam tandem Romanos, respice, summe,
atque pius succurre, pater, gentesque superbas
frange, precor, virtute tua. dominumque potentem
te solum agnoscant populi, dum conteris hostes
et salvas per bella tuos. nunc sculptile damnat
omne genus, verumque deum te, magne, fatemur'.

---

310 gemitus *Mazz.*, geminis *T* 313 nomen *T* 316 que *add. Mazz.* 325 uisa *T* 327 solite *dubitans Bekk.* pbeplis *T* 328 salunt *T* 329 ministri *Mommsen*, magistri *T* 334 dilicta *T* 336 suscipiunt *T* 337 gentibusque *T* 350 france *T* 352 scriptile *T* damnat *T*, damna *Mommsen* 353 uerumque *Mazz.*, utrumque *T*

haec memorans terras oculorum fonte rigabat
compulsus pietate pater, Libyaeque periclum
mente dolens rerumque graves populique labores.
nec minus humectans iuxta Recinarius ora
luminibus fundebat aquas, supplexque Latinis
auxilium populis vultu maerente rogabat.
magnanimique duces humecto pectore fletus
ad caelum misere suos fortesque tribuni,
atque omnes pariter lacrimosa voce cohortes
ante deum fudere preces. summusque sacerdos
munera pro populis, onerans altare, Latinis
obtulit, atque aras lacrimarum fonte rigavit.
tunc precibus placidis patrem benedixit honorans,
et solitas reddens Christo dedit ordine laudes.
munus erat summi domino acceptabile caeli,
sanctificans mundansque simul genus omne Latinum.

* * *

adiungens ducibus 'fortis Putzintule', dixit
'cum numeris signisque tuis, qua Cusina fidus
signa tenet, propera. pariter tu, Geisirith ingens,
iunge viro socios. dignum relevare fideles.
at tu contractis iuvenum modo, Sinduit, armis,
fortis Ifisdaias ubi gentem et signa locarit,
Romanas coniunge acies. tibi proximus ille
Fronimuth acer erit, numerosque et signa iuvabit'.
imperat ille viris: et iam sua quisque secutus
signa per extensos acies construxerat agros
miles, et hostiles properabant undique turmae.
primaque Marmaridum clipeata his agmina campis
cum magno clamore ruunt, hastasque reductis
mittere temptantes vibrant in bella lacertis,
Zabeas hic, hic Bruten erat, quos deinde secuti
mille duces. celsum subtexens lancea caelum
densa volat. clipeis venientia vulnera vitant.
militis ora gemunt. inter tot tela furentum
Romano nullum maculatum est sanguine ferrum.
    primus init Martem fortissimus ipse Iohannes
hastam concutiens, mediosque irrumpit in hostes,
et ferit adversi conto cava pectora Sasfi.
ille cadit revolutus equo, fluviumque cruoris
dat specus irruptum, siccasque infundit harenas.

---

354 haec *Mazz.*, nec *T* 357 humectans *Bekk.*, humettatis *T*, humectis *Mazz.* ritinarius *T* ora *T*, orans *Mazz.* 363 fundere *T* 364 onerans *Mazz.*, honorans *T* 365 optulit *T* 369 mundasque *T* 369—370 *intercidisse versus nonnullos intellexit Bekk.* 370 adiungens *T*, magister *Mazz.* putzintile *T* 371 qua *Bekk.*, quo *T* 374 at tu contractis *scripsi*, at ...̄tractis *1 m. T*, *e quattuor litteris secunda manu in litura exaratis priores tantum duae* tu *dignosci possunt. tertiae et quartae, quae legi nequeunt, prima manu lineola, qua* m *et* n *in codice significari solent, superscripta est*, at tu Gontractis *Mazz.* modo Sinduit *scripsi*, modos induitis *T*, modo ductus in *Mazz.*, *sed cf. VI 522. Hermes IX 269* 375 gentem et *Bekk.*, gentes et *T*, gentis *Mazz.* 377 fronimicth *T* 380 properabat *T* 381 clipeata his *Mommsen*, clipeatis *T*, *cf. Verg. Aen. VII 793. 794* 384 Zaboas hinc hinc *legit Mazz.* 386 dense ualat *T* uitat *T* 390 asta *T* irrupit *T* 393 dit *T*

protinus Ifnaten sequitur, quem cuspide longa
aversum post terga ferit, qua spina sedentis
colligat incurvas nodorum robore costas.
ossibus haerentem recipit dum fervidus hastam
luctaturque diu tollens, venit ecce superbus
Mirmidonis tremulumque intentat mittere telum.
ille tamen rapiens morientis missile torsit,
conixus virtute sua, mediumque per hostem
transadigit, tetigitque novo praecordia ligno.
arduus ingenti Tameneum perculit hasta
et deiecit equo. Narti rapit ense sinistram
cum clipeo, iugulumque premit. mucrone Samasci
colla secat, pilo transverberat ilia Palmi.
per faciem Calamena ferit, naresque genasque
dentibus infractis ferro rapit. horrida quassant
membra solum, et vasta gemuerunt arva ruina.
nec procul adversum pilo ferit obvius Ancum,
et calido figit Manti mox pectora ferro,
Mastumaeque latus transversam compulit hastam
per geminum virtute fremens, Salpinque supinum
sternit humi conto. morientem desuper hostem
percutit acer equo. nigro de corpore sanguis
emicat alta petens, calidasque irrorat harenas.
ocius Autiseran sequitur, quem cuspide fixum
impellens deiecit humi, Caggunque Taninque
Altifatanque necat, pectusque impressit Anesti.
mucrone Autufadin iugulat, piloque superbum
conserit Ontisiren. Canapi caput ense rotavit,
et rigido Tubian stravit per gramina ferro.
compulsat post terga acies Nasamonis iniqui.
has sequitur Romanus eques fortesque tribuni
armigerique duces. medius volat ipse magister.
invadunt turbantque viri fugitiva per agros
agmina Marmaridum, mactant sternuntque premuntque.
    hinc redit expulsus Nasamon, atque agmine facto
Cusina qua proprias permisto milite turmas
signaque fida gerit, cuneum facit. obvius ille
ire parans dictis iuvenes affatur amicis.
'Romani comites et gens o nostra fidelis,
nunc fortes monstrate animos viresque fidemque.
Laguantan sufferte minas. nec terreat hostis
vos veniens. iam victor adest, en, cuncta Iohannes
signa movens Romana simul. vos, ite per hostes.

---

395 auersum *Bekk.*, aduersum *T* 397 erentem recepit *T* 398 tollens *scripsi*, dolens *T*, uiuens *Mazz.* 399 Myrmidonis *Mazz.* 403 Tameneum *scripsi*, tamen eum *T*, tamen illum *Mazz.* perculit *Mazz.*, proculit *T* 405 samasci *T*, sumasci *legit Mazz.* 406 pilo *Bekk.*, fileti *T*, tereti *Mazz.* 412 mastumeque *T*, mastumoque *legit Mazz.* transuersa *T* asta *T* 417 ocitius *T* 419 negat *T* 420 autufadin *1 m.*, autufyden *2 m. T* 423 compulsat *dubitans Mazz.*, compulsit *T*, compulsa it *Bekk.* 424 hanc *dubitans Bekk.* 425 ualat *T* 428 fatto *T* 429 cosma *T* 431 dictis *Mazz.*, ductis *T* 433 fidemque *Bekk.*, fidem *T*, secundas *Mazz. conferens Verg. Aen. II 617* 434 languatan *T* 435 en *Mommsen*, et *T*

cum veniet, laudet fortes rebusque fideles.
nota viri virtus. oculis placuisse magistri
laus vobis o quanta, viri'! sic Cusina mentes
incendens dubias socios ad bella coëgit,
irarumque simul per cunctos semina fudit.
moti animi pro laude viris. fortissima campis
irrupit Romana manus mistusque Latinis
Maurus eques, densosque volat dux ipse per hostes
militibus medius fervens, fortesque tribuni
arma Latina ferunt. Nasamonum morte catervas
excipiunt, hastasque parant, et spicula tendunt.
aspera tunc primis miscentur proelia turmis.
it clamor caelo, pulvis simul aethera complet
obscurans cum sole diem. subtexitur aër
missilibus densis, nervoque volatile ferrum
spargitur, et crebris discurrit lancea nimbis.
corpora pars, pars arva capit. feriuntque caduntque
hinc atque hinc gentes. magna virtute premebant
Marmarides. sed spes venientis fida magistri
sola ducem comitesque simul populosque levavit.
ductor ut agnovit fama volitante Iohannes,
Cusina quod fidus camporum in parte prematur
Marte gravi, validoque armorum pondere nutet,
talibus ipse suos verbis accendit in hostes.
'Romanum imperium, gentes quascunque fideles
subiectasque videt, cives putat esse Latinos.
hac pietate placens totum sibi subdidit orbem,
dum relevat virtute humiles humilatque rebelles.
Cusina bella gerit, nostris fidissimus armis,
Marte sub ancipiti. quem si non laeserit hostis,
nomen erit nostrae mansurum in saecula famae.
cernatur Romana fides virtusque laborque.
eia agite, o iuvenes, tanto in discrimine Martis
auxilio relevate virum, gentesque superbas
deicite et vestros, socii, salvate clientes'.
sic ait, et motis ruperunt agmina signis.
terga dabat iam fida manus Maurusia campis.
Laguantan iam victor erat. Putzintulus una
Cusinaque et victis cedebat Geisirith armis.
respiciunt subito venientis signa Iohannis,
percipiuntque animos, et mollia colla retorquent
alipedum celeres: pugnam virtute reposcunt.
acer in adversos fervens Putzintulus hostes
ante volat rupitque prior. tunc sternit Imastan
vulnere confossum valido, fortemque Nifaten
ense ferit, nigrique secat fera colla Mamonis.

437 cum *Bekk.*, dum *T* 439 quanti *T* 442 uiri *Mazz.* 446 mamasonum *T* morte *T*, Marte *dubitans Bekk.* 448 miscetur *T* 449 puluis *scripsi*, ybilis *T*, iubilis *Mazz.* simul *Mazz.*, semel *T* 453 arna *T*, arma *dubitans Mazz.* 462 latinis *T* 463 hoc *T* 465 fidissimis *T* 471 diecite *T* 474 languantan *T* 479 putezintculus *T* 480 rumpitque *Mommsen*

dividit adversi ferro caput obvius Irti,
sanguis et immisto perfundit membra cerebro.
proximus infensi veniens per guttur Amanti
transadigit validum letali vulnere telum.
vocis iter clausit. fluitans cruor inde per ora
per geminumque micat subducta cuspide vulnus.
hunc procul ardentem media inter tela suorum
Ifuracum videre duces. tunc agmine facto
adversum pariter ferrum tot milia torquent
quisque suum. clipeo venientes suscipit hastas.
vulnera nulla pavens loricam tempserat ille,
confisus virtute sua dum lancea circum
densa volat, dirum sentit sub pectore ferrum
dux, heu, magnanimus. nec fractus vulnere tanto
sic socios hortatur ovans. 'victoria, cives,
vestra manet. pugnate, viri, gentesque nefandas
inferiis mandate meis. si vincitis hostes,
dum video, dum vivo, magis gaudensque per umbras
Laguantan gentes propriis aptabo triumphis.
at vos incolumes uno minus ardua celsis
excipiet portis summo Carthago triumpho'.
talia dicentem comites iam vulnere fessum
suscipiunt, hilaremque animis in castra reponunt.
hic socius Deciis infernas ibat ad umbras
felix morte sua. nomen post bella beatum
semper erit, semperque manet memorabile caelo,
dum fera bella legent aevo veniente minores.
    at Romana manus iussu ducis horrida turbans
agmina per cunctos fertur, cornuque reflexo
stridula raucisonis compellit spicula nervis,
condensos veluti fundunt cava nubila nimbos
grandinis et latos destringunt culta per agros:
sternitur alta seges, viridis nec pampinus uvas
vindicat ipse suas, arbor nec densior ulla
defendit teneros foliorum tegmine ramos.
horrida tum nervis volitans pulsatur arundo,
vulnera certa ferens. nullum sine sanguine telum
corruit, aut campo volucres cecidere sagittae.
nunc fortis sonipes, densus nunc sternitur hostis.
omne rubet tepidum Massylo sanguine ferrum.
succedit pilata manus, cunctosque per agros
corpora felici sternebant caede tribuni.
militis arma calent. nullum est sine sanguine Mauro
Romani ferrum populi. dolor excutit iras.
quis tot acerba ducum dederant quae funera campis,

486 transadicit *T* 491 aduersum *Mommsen*, auersum *T* 493 luricam *T* 499 si *Bekk.*, sic *T* 501 languatan *T* attabo *T* 507 morte *Mazz.*, marte *T* 508 manet *T*, manens *Mazz.* celum *T* 513 nubila *Mazz.*, nebula *T* 514 destringunt *scripsi*, distringunt *T*, *cf. III 256* 516 albor *T* 517 defundit *T* filiorum *T* 525 cadent *T* mauri *T* 526 excutit *T*, excitat *Mazz.*

quis varias mortes aut dictis explicet hostes
prostratos captosque ferens, quosque ipse magister
deiecit virtute viros? sine nomine plebes
Marmaridae periere simul. sed carmine paucos
e multis signabo meo, quos fama priores
attulit ad cunctas volitans ex hostibus aures.
    armipotens, hostes cernens obstare, Iohannes
irruit in densas acies, turmasque rebelles
letifero mucrone secat, ceu messor acuta
falce metit segetes maturo tempore sollers;
et modo cum teneris culmos compressat aristis
laeva manus, nunc dextra secat, nunc fune tenaci
colligat innumeros gaudens per rura maniplos.
Syrticus Altilimas ductoris vulnere victus
corruit, execto fusus per gramina collo.
tunc Alacanza ruit magnum pinnatus in hostem
missile vibrato, conturbans calce frequenti
celsum cornipedem. sed nil conterritus ille
amputat ense caput. truncum videre cadentem
lumina fessa suum. morientis lingua loquelam
rumpere non potuit, sonuit tamen. inde furentem
deicit Esputredan Tamatoniumque, Iugurtam
congressus virtute premit, Tursumque trucidat.
Audilimanis equum retro ferit: horrida nervos
ossaque dura pedum secuerunt vulnera ferri.
volvitur in tergum sonipes, nec corpore toto.
nam celsos necdum terrae submiserat armos.
fortis adhuc rectaque ferus cervice laborat.
surgere pertemptans dominum deturbat harenae.
vulnera congeminans victor per membra Iohannes
venit in obnixum stricto mucrone verendus,
en tumidum! frontemque quatit. tunc aspera ferrum
sanguine confuso commiscuit ossa cerebro.
hastam deinde tenens campo volat. horrida Flacci
perfodit hic minitans transacto pectora pilo·
tergaque dura viri. sanguis per vulnus utrumque
emicat, et calidae perfundit gramina terrae.
celsior adversi conto fodit ardua membra
Cernisati, trepidique celer praecordia Derci.
tunc mucrone latus Grachi ferit, inde Minisae
colla metit, saevumque secat per tempora Cutin.
viventem Camalum pressit. rapit ipse capillis
captivumque trahit, propriis quem deinde ministris
tradidit, atque alias sequitur per devia turmas.
Labbas infenso torquens hastile lacerto

---

529 feros *Mass.* 532 et *T* 533 cunctas *scripsi*, cautas *T* 534 ostare iohannis *T* 549 deiecit *T* Esputredan *Bekk.*, esputerdan *T* Iugurtham *Mass.* 551 neruo *T* 554 necdum *T*, nondum *legit Mass.* 562 pectora *Bekk.*, pectore *T* 565 fodit *Bekk.*, fudit *T*, ferit *Mass.* 566 Cernisati *Mass.*, cernis ait *T* 567 Gracchi *Bekk.* 568 metit *Mass.*, mouet *T* tempora *Mass.*, timpa *T* 569 camulum *T* 570 catiuumque *T* 571 tradit *T* 572 labbas *T*, *forsitan* Zabeas, *cf. 384*

nisus magnanimum telo temptare magistrum;
sed postquam vires veniens persensit iniquas,
infelix veniam submissa voce rogabat.
'ossa per Euantis digno bene compta sepulcro,
quae talem genuere virum, per maxima Petri
facta futura tui, cuius iam fama per hostes
tanta volat gentesque feras et regna fatigat,
perque tuae virtutis opus, quo victus Ilaguas,
huic animae concede, precor, post crimina vitam,
meque tuis, victor, serva post bella triumphis.
nam tali servire iuvat'. qua voce reflexus
vulnera continuit. velox tamen illigat ambos
post tergum implicitos mordaci fune lacertos.
   mitis in immitem Recinarius irruit Vrtanc
perque viri pectus rigidam celer impulit hastam.
corruit ante pedes, belli pars magna nefandi,
magnanimus iuvenis nunquam placabilis Vrtanc,
atque solum diro foedavit sanguine. Meilan
deinde petit validum, valida quem cuspide victor
deicit impulsum tepidaeque infigit harenae.
fulmineo caput ense metens detruncat Alantas,
et nigrum Sacoma ferit per prata cadentem.
horruit acer equus, mollemque obtrivit harenam
ungula pressa metu voluitque in terga redire.
sed levis excusso Recinarius alta flagello
ilia concutiens latis pavidum impulit ire
cornipedem campis. vi postquam corpus ademptum
transiit impulsus sonipes, tunc Marte secundo
funera convolvens et telis Syrtica miscens
agmina per latos volitabat fervidus agros.
tunc celerem prosternit Afun fortemque Nicandrum,
asperaque infixo geminavit vulnera Sucro.
inde necat Tanadum, fortemque sternit Erancun.
ense ferit Tinudum, piloque infigit Enipten.
   Bulmitzis Tumudan conto premit, inde Licurdan
fortis agit campis. telum per terga rebellis,
per fibras pariter discurrens pectora rupit.
celsus equo fidens fertur super agmina Succur.
hunc Solumuth sequitur. quem cum non prendere posset,
fraxineam torquens per campos eminus hastam
alipedis valido transverberat ilia ferro.
vulnere quo victus sonipes gravitate ruinae
confregit dominum. belli sine vulnere Succur
infelicem animam Stygias transmisit ad umbras.

576 Euanthis *vel* Euanti *maluit Mass.* digna *T* 579 ferax *T* 580 ilasguas *T* 582 uictos *T* triumphos *T* 586 in nimitem ricinarius *T* 589 magnanimi *T* 591 ualidum *addidi* quem *Mass.*, quae *T* 592 deiecit *T* 593 alantas *T*, Alantae *vel* Alantan *malim* 595 molemque *T* 596 ungula *Mommsen*, uincula *T* metu *T*, uetant *Mass.* uoluitque *Mass.*, uoluntque *T* 599 ui *Mommsen*, ut *T*, at *Bekk.* 605 sternit *T*, insternit *Mass.* 607 coto *T* 611 hunc *Mass.*, huc *T* Solumuth *scripsi*, solumur *T*, sulumur *legit Mass.* cum *Bekk.*, dum *T*

non illum salvavit equus levitate per hostes,
quo sibi fisus erat, nec fractum conscia virtus
eripuit fatis aut sacro nomine Gurzil.
armiger ense caput ductoris nomine Varti
amputat ex humeris, palineque astit enerdi
mee Tiluzant Dorotis ferro necat
execuit
cornipedem Anzatal tum currens Fastita fixit
missile contorto. fugit ilico mille per hostes,
permistusque suis
Carcasan, tanta concussus caede suorum,
per medios hostes ductoris signa retorsit,
milia multa trahens. venientem vidit
heros magnanimus. felicia tela Iohannis
armigeri rapit ipse manu, piloque superbus
irruit, adversumque petit per vulnera pectus
et ferit intrepidus. sanguis per tela cucurrit
vulnere summa fluens, vestesque aspergit heriles.
extemplo turbatae acies pereunte tyranno
Marmaridum petiere fugam. iam nullus in hostem
contorsit telum, sed laxis fertur habenis
currere compulsus sonipes. nec fidere castris
iam potuit Nasamon. latos moriturus in agros
currit eques mistusque pedes. Romana sequuntur
signa ducesque simul, numeri fortesque tribuni.
et laetus pariter felici Marte Iohannes
ante volat densas sternens per prata catervas.
planus erat campus, liber quo currere posset
miles et infensas telis effundere turmas.
invadunt, mactantque viri gentilia passim
corpora Marmaridum. poenas dat victus Ilaguas
Ifuracumque acies et mixto Naffure Frexes
dant animas gladiis. Romani militis ira
ey
p
l
condun
per ramosque sedent. ibi fervidus in
ceu venator, aves visco qui fallit et arte.
sanguinis ex omni fluitantes arbore rivi

* * *

618 fixus *T* 621 palineque *T*, Plulinaeque *legit Mass.*, *qui* Plulinaeque *et* Enerdi *pro nominibus Mauricis*, Astit *et* Mee *pro nominibus Romanis accepit* 622 dorozis *T* 627 cartasan *T* 630 iohannis *T*, Iohannes *Mass.*, *sed cf. 620. VI 650* 632 pectus *add. Mass.* 635 extimplo *T* 636 Marmaridum *scripsi*, marmaridem *T*, Marmaridae *Mass.* 640 Romana sequuntur *Bekk.*, romanus equester *T* 642 latus *T* 645 infessas *T* effundere *T*, confundere *malim* 648 Naffure *addidi*, *cf. III 187. 189. VII 384*

CORIPPI

IN LAVDEM

IVSTINI AVGVSTI MINORIS

LIBRI IV.

[Periochae praefationi praemissae.]

I Praefatio, in qua poëta Iustini imperatoris laudes exequitur.

II Dum Avares vel gentes alias subditas Iustino commemorat, ad eius laudem refertur edomita ferocitas barbarorum.

III Iustinum Sophiamque dicit dignos imperio, a quibus subiectae gentes foedus pacis expostulant.

IV Propitiari sibi vates principem deprecatur, ut fessum senio et calamitatibus implicatum praestánti regat pietatis intuitu.

In libro primo continentur haec.

III Commemorat auctor eos, quorum exhortatione carmen hoc in laudem Iustini conscripserit.

[Periochae margini adscriptae.]

II (praef. 4) Avares vel gentes alias Iustino subditas dicit.

III (praef. 19) Iustinum Sophiamque dignos esse describit imperio.

IV (praef. 35) Propitiari sibi poëta principem deprecatur.

In laudem Anastasii quaestoris elocutio trepicis.

I (I 1) Praelocutio poëtae de sui carminis opere.

II (I 8) Invocatio poëtae Sapientiam deprecantis.

III (I 15) Commemorantur exhortatores huius carminis.

I pota *M* II Anares *Ruiz*, aures *M* subdita *M* edomita *Ruiz*, et domita *M* baruarorum *M* IV bates *M* praesenti *Barth Adv. XXV 3 p. 1216* *verba* regat pietatis intuitu *non ad periocham praefationis pertinere, sed in fine periochae capitis secundi libri primi sic fere posita fuisse suspicatur Mommsen:* [Poëta Sapientiam inuocat, ut se] regat pietatis intuitu.

in libro primo continentur haec *addidi* III commemorat auctor *Ruiz*, commemoraretur *M* exortatione *M*

III *Ruiz*, II *M* discribit *M* trepicis *M*, tropicis (*scil.* uersibus) *Fogg.*, *ex hoc verbo corrupto inscriptionem manasse suspicor, quam Rivinus panegyrico in laudem Anastasii praefixit:* Protrepticum

numerus I *deest* *numerus* II *ad dedicationis versum 33 aberravit* III commemoratur *M* exortatores *M*

IV Iustiniani obitum artificiose poëta introducit, ut ex consulto senatus Iustinum avunculo condignis laudibus

V Vbi conlacrimans Iustinus et de morte Iustiniani sollicitus, dum sopor oculis inrepsisset, per quietem vidit sanctam Mariam virginem imperium sibi decedentis avunculi subrogare.

VI De Iustini aedibus Calinici concitatis inpulsu, ut aditus daretur senatui imperatorem Iustinum eligere, et custodis ad strepitum cum indignatione responsis.

VII Descriptio domus Iustini, quam pretiosa visu et operoso fuerit labore constructa.

XVI Refert, quod universum vulgus fama commoverit, ut ad honorem Iustini quam propere convenirent.

XVII Quid circus vel eius apparatus significent, hic poëta admirabili ratione conplectitur.

XVIII Dicit hic, quis primum quadrigas iunxerit, et quod vana superstitio paganorum deum solem putaverit. qui tamen honor solis postea Romanis delatus est.

IV consultu *M* commendatum successisse doceat *post* laudibus *add. Barth XXV 3 p. 1216* V con lacrimas *M* inrepisset *M* subrogari *M* VI Calinici *Ruiz*, cali nihi *M* VII *Bekk.*, VI *M* pretiosa *M*, speciosa *Vonck Lect. 125* lauore *M* XVI Refert quod uniuersum uulgus fama commoue *add. Mommsen, in codice verba* rit, ut ad onorem Iustini quam propere conuenirent *perperam periochae capitis VII adiunguntur* XVII *Bekk.*, VII *M* admirauili *M* conflectitur *M* XVIII *Bekk.*, VIII *M* quis *scripsi*, qui *M* quod una suppreѕtitio *M* onor *M*

VI (I 68) De Iustini aedibus Calinici concitatis inpulsu et custodis ad strepitum cum indignatione responsis.

VII (I 97) Descriptio domus Iustini.

VIII (I 115) De conventu et persuasione patrum pro Iustini regimine.

IX (I 154) De renuntiatione Iustini summam imperii renuentis.

X (I 173) De precibus a senatu pro imperio Iustini rursum oblatis.

XI (I 197) Felix auspicium ex gallorum cantu Iustino Sophiaeque conicitur.

XII (I 202) De excubiis et sollicitudine domus regiae.

XIII (I 226) Quibus exequiis Iustinianus post mortem fuerit honoratus.

XIV (I 248) De affectu Iustini erga corpus avunculi.

XV (I 272) Sophia luctum flentis viri congeminat.

XVI (I 294) Refert, quod universum vulgus pro Iustini honore fama commoverit.

XVII (I 314) Quid circus vel eius apparatus significet, mirabiliter disserit.

XVIII (I 334) Dicit hic, quis primum quadrigas iunxerit.

VI cum indignatione *scripsi*, indignatione *M*, indignantis *Ruiz* XI Iustini *M* XV sofiam *M* XVII dixerit *M* XVIII iuncxerit *M*

XIX Amore Iustiniani populus incitatus Iustinum heredem regni favore laudis exequitur.

In libro secundo continentur haec.

I De conventu et intentione populi cernere Iustinum principem cupientis.

II Non prius Iustinus Sophiaque regalia signa sumpserunt, nisi pia tura sanctis offerentes altaribus submissis precibus dominum exorarent.

III De apparatu vestium Augustarum vel reliquis ornamentis, quibus ad percipiendum regnum Iustinus emicuit.

IV Iuxta priorum ritum quattuor iuvenum manibus in clipeum Iustinus ad regnandum adtollitur.

V A Iohanne pontifice Iustinus sacro diademate coronatus imperator efficitur, et senatorum vel totius populi vocibus, cum Sophia pariter, laudibus efferuntur.

VI Quibus verbis Iustinus senatum est adlocutus, postquam solium conscendit imperii.

VII Iustinus, magno stipante senatu, in publicum res, populum de emendatione operum ac futuris donis adloquitur.

VIII Iustiniani imperatoris syngrapha creditores Iustini vultibus cum lacrimis repraesentant. quibus ille miseratus debitum persolvit avunculi, atque multos criminibus inplicatos a carcerali iubet custodia relaxari.

XIX (I 345) Amore Iustiniani pro honore Iustini populus incitatur.

I (II 1) De conventu et intentione populi pro regno Iustini. — Non prius Iustinus Sophiaque sumpserunt imperium, ni dominum devotis precibus exorarent. — Oratio Iustini pro adsumptis honoribus.

II (II 47) Deprecatio eiusdem Iustini coniugis, quam coram Christi genetrice effundere poëta decenter enarrat.

III (II 84) De apparatu vestium Augustarum.

IV (II 137) Iuxta priorum ritum Iustinus in regnum adtollitur.

V (II 159) A Iohanne pontifice Iustinus imperio consecratur.

VI (II 175) Quibus verbis post acceptum imperium senatum Iustinus est adlocutus.

VII (II 278) Iustinus populum de emendatione operum adloquitur.

VIII (II 331) Enarratio Iustini in favorem populi.

IX (II 361).

XIX *Bekk.*, IX *M* heredem *Ruiz*, crodem *M* II sumserunt *M*, *ut solet* offerentis *M* summissis *M* III a gustarum *M*, *ut fere solet* IV iusta *M* priorum *Barth XXV 3 p. 1217*, primorum *M* V a ioanne *M* VI uernis *M* adloquutus *M* VII in publicum res *M*, in publicam rem *Ruiz*, *sed in publicum procedit requiritur*, in publicum uersus *Mommsen* operum *Ruiz*, eorum *M*, morum *requirit Barth XXV 3 p. 1217* VIII inperatoris singraua *M* deuitum *M*

I de *add. Ruiz* non *Ruiz*, en *M* ni *scripsi*, iam *M*, quam *Ruiz* deuotis precibus *scripsi*, uob precibus *M*, uotis precibusque *Ruiz* adsumtis *M* II *addidit Ruiz* IV iusta *M* VI accepti *M* senatus *M* VII alloquitur *M* VIII fabore *M*

In libro tertio continentur haec.

I More patrum Iustinus funus decedentis avunculi regiis opibus exornat, chorique ministerio supremum honorem concelebrans corpus eius aureae tradidit sepulturae.

II Post luctum populus pristina laetitia iucundatur, honoris frondibus aedium postes exornat comitque limina, et in laudem Iustini Sophiaeque multiplici clamore persultat.

III Egregios apparatus imperialis convivii poëta describit, et in magno deliciarum luxu sobrietatem et temperiem Iustini, conlaudatque avunculi recordationem, nec inter epulas dilectione solita patitur oblivisci.

IV De consummatione convivii et pro re publica curis regiae sollicitudinis atque poëtae precibus pro sui carminis perfectione Sapientiam inplorantis.

V Exornatur Augusta domus regentis imperio, et accitis proceribus omnis ordo palatinus per officium cultumque disponitur urbis, Romanaque potentia cunctis praeminere gentibus praedicatur.

In libro quarto continentur haec.

I (III 1) More patrum Iustinus exornat funus decedentis avunculi.

II (III 62) Post luctum populus pristina laetitia iucundatur.

III (III 85) Egregii apparatus imperialis convivii referuntur.

IV (III 134) De consummatione convivii.

V (III 151) Exornatur Augusta domus regentis imperio.

VI (III 191) Pulchritudo palatii Constantinopolitani laudatur.

VII (III 231) Legatos Avarum sibi Iustinus imperat praesentari.

I (IV 1) De expectatione et opere, ubi Iustini muneri populi praeparantur.

II (IV 90) De consulatu Iustini, in quo primum senatores ditati sunt.

III (IV 206) De multitudine populi adventum principis expectantis.

IV (IV 264) Sanctae Sophiae basilicam opere mirifico praedicat instauratam.

V (IV 326) De Iustini in arcem conscensu.

I regis *M* coris quemministerio *M* II prestina *M* quomitque *M* III egregius *M* conubii peta discribit *M* . oblibisci *M* IV conuii *M* curis *Barth XXV 3 p. 1217*, curas *M* adque *M*, *ut fere solet* perfectionem *M* V exornatus *M* inperio *M*, imperium *Ruiz* accitis *scripsi*, actis *M*, coactis *Ruiz*, *cf. III 158* disponit *M* premineri *M* in libro quarto continentur haec *addidi*

I abunculi *M* II *addidit Ruiz* populi *M* iucundatur *M*, et iucunditas *Ruiz* III conuii *M* IV conubii *M* V exornantur *M* imperio *scripsi*, imperium *M* VI pulcritūdo *M*, *ut solet* VII aurum *M* inperat *M*

I muneri *scripsi*, munere *M* preparatur *M* II consolatu *M* quo *Ruiz*, quorum *M* dictati *M* IV instaurat *M* V arce consensibus *M*

PRAEFATIO.

deus omnia regna
sub pedibus dedit esse tuis, regesque superbos
subdidit, hostilesque manus decrescere fecit.
illa colubrimodis Avarum gens dura capillis,
horribilis visu crudisque asperrima bellis,
imperio subiecta tuo, servire parata,
in media supplex defusis crinibus aula
exorat pacem, nec fidere milibus audet
tot numerosa suis, Romana lacessere signa.
quis totiens victos numeret per proelia Francos
edomitosque Getas? captos stratosque tyrannos?
Langobardorum populos Gipidumque feroces,
mutua per latos inter se vulnera campos
miscentes feritate sua, cum milite tuto
alternas gentes domini fortuna necaret?
pars inimicorum cecidit tum magna tuorum
perfidia punita sua. nunc Marte peracto
victores victique simul famulantur in aula.
solum excellentem conscendere iussit in arcem
te pater omnipotens, summaque in sede locavit.
mater consilii placidis Vigilantia vestris
semper inest oculis, quamque omni pectore gestas,
alma Augusta, tui consors Sapientia regni.
tu quoque, Iustitiae nomen de nomine sumens,
frena regendorum retines firmissima regum.
nominibus tribus his regitur quodcumque movetur.
certatim gentes Romana ad foedera currunt:
principe pro iusto Romanum nomen amatur,
subque pio domino cuncti bene vivere quaerunt.
ille etiam, solis qui se subiactat amicum,

---

2 sub pedibus dedit esse tuis *Ruiz*, sub sedibus dedit esse tuis *M*, sub sedes dedit isse tuas *Barth XXV 6 p. 1223* superuos *M*, *sic fere semper, sed corr. plerumque 2 m.* 4 dura *M*, dira *Barth XXV 6 p. 1223* 5 orribilis *M* belli *M* 9 tot *Ruiz*, to o *M* lacescere *M* 10 quis *Barth XVI 33 p. 856*, qui *M*, quae *Ruiz* 11 edomitusque *M* 13 muta *M* 14 quum *M*, *ut solet* 16 pras *M* tum *Barth XXV 6 p. 1224*, quum *M* 17 ponita *M* 18 simul *add. Baehrens Mus. Rhen. XXVII 224*, sacra *add. Dempst.*, una *add. Caes. Baronius et Pulschius teste Barthio XXV 6 p. 1224*, tua *add. dubitans Ritt.* 20 sed loca uit *M* 23 consorsapientia *M* 25 retineus *M* 26 numinibus *Ritt.* 28 iusto Romanum *Ruiz*, iustorum manum *M*

ardua suspiciens minuentis cornua lunae,
noctivagosque colens astrorum consulit ignes,
urguetur terrore tuo, properatque superbum
inclinare caput subiectaque ponere colla.
quid Libycas gentes, quid Syrtica proelia dicam
iam libris completa meis? maiora canendi
tempus adest. senio dextram, pie, porrige fesso.
tu mihi materiam dicendi carminis aptam,
ingenium studiumque dabis. cui vincere fas est
indomitas gentes et barbara subdere regna,
vince meae saevam fortunae, deprecor, iram.
vincere fortunam plus est quam vincere bella.
nudatus propriis et plurima vulnera passus
ad medicum veni, precibus pia pectora pulsans,
ad medicum, verbo pestem qui submovet uno
et sine conposito medicamine vulnera curat.
huic ego sananti, si qua est fiducia servis,
grates semper ago, et pro munere carmina porto.

PANEGYRICVM
IN LAVDEM
ANASTASII QVAESTORIS ET MAGISTRI.

Inmensam silvam laudum, vir iuste, tuarum
aspiciens celsos nitor contingere ramos
grandiaque a summis decerpere poma racemis.
sed parvus maiora peto, nec prendere possum
mensuram transfusa meam, longeque remota
suspicio mirorque videns, et brachia tendo
ingenii studiique mei. stat fertilis arbor
sacrorum in medio nemorum, pulcherrima visu,
per mundi spatium ramos quae tendit opacos,
fructibus omnigenis etiam sine tempore plena
et nova maturis admiscens germina pomis,
cuius apex summi contingit sidera caeli,
et radix de fonte bibit, sacrisque fluentis
expandit satiata comas, et nubila supra est.

31 suscipiens *M* 33 terrore *Ruiz*, terre *M* 37 pie piorrige *M* 38 mici *M* 40 baruara *M* 42 qua *M* uella *M* 43 uulnera plurima *legit Ruiz* 44 uenio *Barth XXV 6 p. 1224* 45 uerbo pestem qui *Ruiz*, ueruo petens quis *M* summouet *M* 47 sanantis *M* seruis *M*, uerbis *Haupt Opusc. III 626* 48 agam *Barth XXV 6 p. 1225* porto *M*, posco *legit Ruiz*, pascam *Barth*

EXPLICIT FELICITER ITEM PANIGIRICVM EIVSDEM IN LAVDEM ANASTASII QVESTORIS ET MAGISTRI *M*, Panegyricus in laudem Anastasii quaestoris et magistri *Dempst.*, Protrepticum i. l. A. q. e. m. *Riv.*, Dedicatio *Bekk.*, *sed iam Fogg. commendari, non dedicari Anastasio libros insequentes recte intellexit* 6 bracia *M*, *ut solet* 8 pulcerrima *M*, *ut solet* 12 contigit *M* 13 uibit *M*

arboris et fontis, si fas conponere magnis
parva datur, iustas videor posuisse figuras.
sin aliter videar, veniam petit, optime quaestor,
simplicitas ignara mali. tu fertilis arbor
Augusto de fonte bibens. fons maximus aulae est
communis benefactor herus, fons omnia ditans,
qui tua per latas eduxit brachia terras
et populos vestra requiescere fecit in umbra.
hoc, mihi da, de fonte bibam. tu pabula praebes,
fons mihi dulcis aquas. haec inter amoena libenter
nutriar, et vestra satiatus protegar umbra,
summe magistrorum, procerum decus, arbiter orbis,
principis auspicio leges et iura gubernans,
iustitiae vindex, inopum pater, omnia curans
iudiciis relevare piis, quia munera temnis,
spernis avaritiam, fulvum quod respuis aurum,
quaestor Anastasi, quem Christi munere fidum
cognovit princeps geminoque ornavit honore.
felix est totus Iustino principe mundus,
felix haec aetas, in qua Sapientia regnat,
felices populi te iudice, quos facis ipse
sub dominis gaudere piis. generaliter orbi
quamquam provideas, miseri specialiter Afri
in te oculos atque ora ferunt. agit Africa grates,
et vestram iam sentit opem, gaudetque, quod ampla
semper Anastasii referunt solacia cives.
me quoque gaudentem, quaestorum maxime, redde.
quod labor indulsit, quod fessis provida Musis
alma per insomnes meruit vigilantia noctes,
hi sacri monstrant apices. lege, summe magister,
et causam defende meam. tibi sanctio vestrum
commendat famulum. vestro de fonte creatur
rivulus iste meus, sub cuius nomine gesto
principis officium. fessae miserere senectae,
vulneribusque meis solita pietate medere,
ut grates tibi laetus agam, sacrosque triumphos
principis invicti felici carmine dicam.

---

17 obtime *M* 20 erus *M* 23 *voci* pabula *3 m. M* poccula *superscripsit* praebes *scripsi*, preuens *M*, praebe *Putsch*, praebeas *Barth XXI 2 p. 1015* 26 aruiter *M* 27 guuernans *M* 30 quod *M*, quia *legit Ruiz* 31 anastasii *M* 32 ornabit *M* 44 hii *M* 45 tiui *M* 46 conmendat *M*, *ut solet* 47 riuolus stemeus *M* EXPLICIT PANIGIRICVM IN LAVDEM ANASTASII. INCIPIT LIBER PRIMVS CORIPPI AFRICANI GRAMATICI EDITVS IN LAVDEM IVSTINI AGVSTI MINORIS *M*

LIBER PRIMVS.

Imperii culmen rerum non motibus ullis,
non armis sumptum, non ambitione potitum
auspicio meliore cano. licet omnia nullus
inclita gestorum valeat monumenta piorum
ordinibus numerare suis, tamen utile servis
esse reor mentem dominis aptare fidelem
officio quocumque datur. praecommodo linguam:
vos, divae, date verba, et quae Vigilantia mater
et quae summa regens Sapientia protegis orbem.
vos mihi pro cunctis dicenda ad carmina Musis
sufficitis, vos quaeque latent arcana monetis.
tuque dei genetrix sanctam mihi porrige dextram
et fer opem, quaeso. magni mihi causa laboris
surgit, et invalidos ad pondera tendo lacertos.
urguet amans dominos carmenque inpellit adire
quaestor Anastasius, sancti pars magna senatus,
conpositor morum, iuris legumque sacerdos:
et Thomas, Libyae nutantis destina terrae,
qui lapsam statuit, vitae spem reddidit Afris,
pacem conposuit, bellum sine milite pressit,
vicit consiliis, quos nullus vicerat armis;
nec non magnanimus, meritis et nomine Magnus,
mente placens dominis, sacris rationibus aptus,
rectorum Latii discussor providus orbis:
successorque boni redivivaque gloria Petri
hinc Theodorus adest, patria gravitate magister:
hinc secreta sacrae tractans Demetrius aulae

* * *

humentes oculos pressit sopor. haut sine summi
numinis auspicio reor hanc venisse quietem.
signa futurorum sopor ostentare bonorum
venerat ille viro, rerumque arcana docere.
nondum plena quies victos laxaverat artus,
cum virgo superas caeli demissa per auras,
aspectu clemens et gressu laeta pudico,

---

1 imperium *Putsch teste Barthio XXI 2 p. 1015* 2 sumtum *M* petitum *Dempst.* 6 abtare *M, ut solet* 8 et *Ruiz*, at *M* 12 genitrix *M* 15 dominos *Barth XXI 2 p. 1017*, dominus *M* 16 pras *1 m.*, pars *2 m. M* 25 rediuiuaque *Fogg.*, recidiuaque *M* 26 Theodorus *Dempst.*, teodolus *M*, Theodulus *Ritt.* 27—28 *folium unum codicis M intercidit. perierunt versus plus minus 54, quibus praeter finem loci praecedentis continebantur, quae periocha quarta libri primi sic comprehenduntur:* Iustiniani obitum artificiose poëta introducit, ut ex consulto senatus Iustinum auunculo condignis laudibus [commendatum successisse doceat.] *Periit etiam initium loci eius, ad quem periocha quinta pertinet:* Vbi conlacrimans Iustinus et de morte Iustiniani sollicitus, dum sopor oculis inrepsisset, per quietem uidit sanctam Mariam uirginem imperium sibi decedentis auunculi subrogare 32 aut *1 m.*, haut *3 m. M* 33 dimis sa *M*

purpureas velata comas oculisque benigna,
quantum signa dabant, sacrae Pietatis imago,
divinos stetit ante pedes, dextraque coronam
inposuit, sanctoque caput diademate cinxit,
Augustoque virum circumdans mitis amictu
'te decet hic habitus, regnantum maxime', dixit,
'terribilis princeps et amabilis omnibus idem,
a magno dilecte deo, divalis origo.
en ego laeta tuis occurro prima secundis,
gestorumque tibi felix praenuntia veni.
sustulit haec nox alma patrem. fortissime, surge.
te expectat, Iustine, dies. tu proximus heres.
te pater omnipotens divino ornavit honore,
te dominum sacrae firmavit avunculus aulae.
quid fundis lacrimas? rerum quid gaudia defles?
proice tristitiam. vivit pater, aethere vivit,
et fruitur meliore die. succede labori,
atque regendarum sudores suscipe rerum.
est virtus roburque tibi, praestantior aetas,
prudens consilium, stabilis mens, sancta voluntas,
et rerum custos vigilantia, dignaque caelo
vestra gubernatrix lati sapientia mundi.
haec ne vana putes aut credas somnia fingi,
accelera. manifesta loquor. tibi serviet orbis,
fortia virtutum miratus facta tuarum.
quisquis erit vestrae, per se cadet, invidus aulae,
adficietque viros legum pius ensis iniquos.
barbara Romanos augebunt bella triumphos,
regnaque sub vestris venient fortissima plantis.
ecce tuae proceres pulsantes limina portae
Iustinum Sophiamque rogant succedere patri'.
dixerat haec virgo, placidus cum lumina somnus
deseruit, purisque volans se miscuit auris.
et iam crebra manus veloci concita pulsu
limina quassabat ductis munita catenis.
ad strepitum custos, cura est cui claustra tueri,
sic ait indignans. 'quisnam temerarius hic est,
qui placidos audet dominorum rumpere somnos,
tempore quo dulcem nox intempesta quietem
ingerit, et membro sopor est gratissimus omni'?
'si te fida movet dominorum cura tuorum,
surge citus' Calinicus ait. mox agnita vox est.
ante fores dominis Calinicum nuntiat esse.

---

38 sanctoque *Fogg.*, *an* sanctumque *praeferat dubitans*, sanctique *M* 47 diuno ornabit *M* 48 firmabit *M* 50 proicere *M* 52 sudores *vel* curas nunc *Ruiz*, sudores nunc *M* 53 est *Ritt.*, et *M* 54 uolumtas *M* 57 somnia *Fogg.*, omnia *M*, omina *Dempst.* 59 miratus *M*, miratur *legit Ruiz*, mirabitur *Vonck Spec. 14* 61 afficietque *M*, affligetque *Vonck Spec. 15* 62 romanus *1 m.*, romanos *2 m. M* 69 catenis *Ruiz*, ca e *M*, *nihil erasum* 75 te fida mouet *scripsi*, te fida manet *M*, tibi fida manet *dubitans Jaeg.* 76 citus *addidi*, agedum *add. Dempst.*, eia *add. Ritt.* 77 dominis *Fogg.*, domini *M*

auspicium felix illo de nomine cepit.
prosperitas ea prima fuit fortunaque rerum
tempora defesso renovans felicia mundo,
quod primum ad limen bona tunc Victoria venit,
orbis in Augustam dominos ut duceret aulam.
hoc nomen sors laeta tibi, Calinice, dicavit
pro meritis, vir clare, tuis. factusque minister
tanti consilii, licet haec deus omnia fecit,
tu quoque cum dominis, quoniam sic mente fideli
vixisti vivesque, tuis mercede laborum
aeternam famam laudemque et nomen habebis.
fit iussis mora nulla dein: mox claustra resolvens
ianitor excelsam stridenti cardine portam
imperio reseravit heri. iam visio certum
fecerat illa virum, dulcesque a pectore somnos
expulerat, curaeque altae pia corda movebant.
ut latae patuere fores, subit ampla senatus
atria, et aurati subter fastigia tecti
corripuit festinus iter monstrante ministro.
est domus interior tectorum in parte superna,
luce sua radians et aperto libera caelo,
conspicuo vitrei splendens fulgore metalli.
dicere si fas est, rutili non indiga solis
vel solis dicenda domus. gratissima visu
et facie miranda loci. pars prospicit una
inmensum pelagus, pars respicit altera portum,
portum quem geminae conplexant brachia ripae
moenibus adpositis, rapidos contemnere ventos
et faciunt, praebentque salum statione quietum.
aequoreos frangunt obiecto marmore fluctus,
et prohibent refluas angustis faucibus undas.
gratior ille fuit dominis locus, unde solebant
undivagum spectare fretum curvasque carinas
omnia vectantes gemini commercia mundi.
illic e stratis consurgens inpiger altis
electus princeps secreta in parte sedebat,
atque ostensa sibi carae referebat amanti.
dum loquitur pensatque pia cum coniuge curas,
limina sacra patres deiectis vultibus intrant.
ille habitus casum signis monstravit apertis.
surrexere citi, verbisque in sede relictis
ad medios venere locos. 'quid fertis, amici?
cur tristes'? Iustinus ait. 'pater inclitus orbis
occidit an vivit'? magno tunc regia fletu

88 abebis *M* 89 iusis *1 m.*, iussis *2 m. M* dein *Haupt Opusc. III 626*, dei *M*, domus *cum insequentibus iunctum Vonck Spec. 15* 91 eri *M* 94 ut *Ruiz*, et *M* 98 et *M*, ut *Barth XXIV 3 p. 1548* 102 facie miranda *Ruiz*, faciem ira *1 m.*, faciem iraque *2 m. M* 105 adpositus *1 m.*, adpositis *2 m. M* rapidos *M*, rabidos *Baehrens Mus. Rhen. XXVII 224* 106 ut faciant *Fogg.* que *add. 2 m. M* 108 proibent *M* 111 conmercia *M* 112 e *add. 2 m. M* 117 abitus *M* monstrabit *M* 119 amihi *M* 120 pater *Ruiz*, par *M*

ingemuit. gemitus uno Calinicus ademit
ora premens digito, dextraque silentia fecit.
aggere non aliter cum victo flumen inundans
in latos erumpit agros, si cautior illic
marginibus sparsas erectis colligat undas
agricola, in sese refluus revocabitur amnis,
praecipites frenantur aquae, redit impetus omnis,
et clausi bibula rivi minuuntur harena.
'Romanum imperium, patri dum vita manebat,
vestris consiliis vestrisque laboribus auctum
et plebi notum est et nos cum plebe fatemur.
Augustum, Iustine, genus te principe dignum,
te dominum sacrae quis non praedixerit aulae,
cum magni regeres divina palatia patris,
par extans curis, solo diademate dispar,
ordine pro rerum vocitatus curapalati?
dispositu nam Caesar eras. cum sceptra teneret
fortis adhuc senior, regni tu summa regebas
consilio moderata gravi. nil ille peregit
te sine, magnanimus seu fortia bella moveret,
foedera seu pacis cum victis victor iniret.
nunc idem genitor laetus plenusque dierum
funere felici caelestia regna petivit,
te successorem statuens sibi. suscipe gaudens.
in tua iura suum transmisit avunculus orbem.
non te cognatum sanctissimus ille putavit,
sed genitum. te iura vocant, te sustinet aula.
tu decus imperii lumen virtusque Latini.
in te nostra salus, in te spes tota resurgit.
oramus, concede tuis, succede parenti.
rumpe moras, cape dona dei, sceptrisque paternis
utere, et Augustum, quod defuit, accipe nomen'.
talibus orabat sacras vir fidus in aures
hortans et rerum dominis cunctantibus instans:
consensusque sui manifestans vota senatus
creber adorabat dominos, et poplite flexo
plurima divinis supplex dabat oscula plantis,
verbaque narrantis tacite firmabat amici.
ipse autem patris concussus sorte beati
sceptra recusabat lacrimans, largoque rigabat
imbre genas, fletuque viri vestesque madebant.
tantus amor senioris erat. 'desistite'! dixit.

---

124 agere *1 m.*, aggere *2 m. M* quum *M, ut solet*, quam *Ruiz* 126 sparsis erectas *Dempst.* 127 annis *M* 129 arena *M, ut solet* 130 patri *Barth XXXIV 21 p. 1581*, patris *M* 137 cura palatii *M*, curopalates *Dempst.* 138 dispositu *M, sed litterae* u *pars posterior ita erasa est, ut* i *videatur* nam *M*, iam *dubitans Ruiz* 145 suscipe *Ritt.*, suspice *M, sed litterae* p *3 m. superscripta est littera* c 147 putabit *1 m.*, putauit *2 m.*, putabat *3 m. M* 150 tota *M*, nostra *legit Ruiz* 154 ornabat *M* 155 ortans *M* 157 creber adorabat *Barth XXXIV 21 p. 1582*, crenerat orabat *M* flexa *1 m.*, flexo *2 m. M* 162 fletuqne *in* fletusque *1 m. mutatum M*, pectusque *vel* uultusque *Ruiz*, lectusque *Barth XXXIV 2 p. 1582*

'duram rem petitis, frustraque instatis, amici.
ergo superposita caput hoc ornabo corona,
quando Iustinum tristem decet esse? per orbem
flere libet. patrem res publica perdit et orbis,
non dominum. quem non hominem pietate benigna
continuit, fovit, monuit, nutrivit, amavit?
et tamen innocuo plures voluere nocere.
non caret invidia regni locus. ibo paternas
tristis in exequias: regalia signa recuso'.
    talia dicentis pedibus prostrata iacensque
omnis turba simul 'pius es, miserere' perorat
'supplicibus, vir sancte, tuis: succurre periclis.
omnia mox veniente die periisse videbis,
si vacuam vulgus sine principe senserit aulam.
quantumcumque boni moveat dilectio patris,
non sit amor patriae patrio minor. ipse tenere
sceptra tuus moriens te iussit avunculus ore.
aspice quanta fuit nostrae simul urbis et orbis
provida cura seni. pro te deus omnia fecit,
quae fieri voluit. solium conscende paternum,
et rege subiectum, princeps fortissime, mundum.
aurea nascetur vobis regnantibus aetas,
nec mutans dominos Romana videbitur aula'.
    vocibus his flexus cessit tandem: itur in arcem
obsequio comitante patrum. gratissima coniux
subsequitur, non tunc solito stipata tumultu.
incedunt media securam nocte per urbem
fronte parum laeti, quamvis gaudente senatu
imperium peterent, quamquam omnia tuta viderent.
divinis animis inerat dolor ille parentis.
ante pios oculos mitis versatur imago.
illa movet mentem, penitusque in pectore utroque
indivisa manens pia numina numine complet.
    limen ut Augustae sacro pede contigit aulae,
omnia gallorum strepuerunt culmina cantu.
exactam noctem primi sensere volucres,
et laetum cecinere diem, alarumque dedere
plausibus adsiduis et acuta voce favorem.
    excubiae primum, quae summa palatia servant,
imperium felix dominis intrantibus optant,
et cunctos aditus armato milite vallant,
ne quis in Augustam contrarius audeat aulam
infensum conferre pedem. devotio tanta
atque hominum cautela fuit sollersque bonorum
sollicitudo patrum. nam quis temptaret obesse,

164 amihi *M* 166 esse per orbem *M*, esse patre orbum *Barth*, *an versum totum spurium crederet, dubitans*, esse. patrem orbis *Fogg.* 167 perdit et *M*, perdidit *Fogg.* 176 perisse *M* 177 uaquam *M* 178 mobeat *M* 179 teneri *M* 186 uidetur *M* 189 solita *1 m.*, solito *2 m. M* 195 monet *M* 198 culmine *M* 201 adsiduis *1 m.*, assiduis *2 m. M* 208 nam *M*, neu *Vonck Lect. 68* temtaret *M*

cum deus imperium sancto iam dixerat ore
Iustino Sophiaeque dari, muroque potenti
cinxerat atque armis totam caelestibus aulam?
omnia disponens munivit providus arcem
Tiberius, domini semper cui maxima cura
utilitatis erat. namque illum maximus orbis
communis benefactor alens et ab ubere matris
suscipiens primis puerum praelegit ab annis,
utque pater genitum nutrivit, fovit, amavit,
paulatimque virum summa in fastigia duxit.
hinc etiam iuvenis tota virtute laborans
pro rerum dominis animam vitamque periclis
non dubitat praebere suam, vigilatque, fidemque
exhibet, et summum meruit dominantis amorem.
hic bene suscepti primordia prospera regni
discreta ratione vocans, properare fideles
urguebat famulos et cuncta parare iubebat.
   aurato interea corpus sublime feretro
inpositum turba famulorum flente iacebat.
et flentum lacrimis iustus dolor ora rigabat.
arbor uti mediis, avibus gratissima, campis
annis victa cadens antiquum robur opacis
servat adhuc foliis, et corpore fusa supino
languida per latas expandit brachia terras:
at circum querulae volitantque sedentque volucres,
maerentesque dolent sedem cecidisse priorem,
et quaerenda novis arbor placet altera nidis:
sic suprema suae servans insignia vitae
Iustinianus   , non mutans morte colorem,
sed solito candore nitens. quod vicerit orbem,
mors veneranda viri signis monstravit apertis.
ipse videbatur cunctis plangentibus unus
effigie gaudere pia, diademate comptus
purpureaque in veste iacens; requiescere somno
credere quod possis, non duro funere, corpus.
haut, reor, inmerito sic laetus et ore benignus
ille foret moriens, nisi mens sibi conscia recti
in caelum properans securos linqueret artus,
et tutum imperium firmato herede locaret.
   huc ubi magnanimus sacra cum coniuge venit,
cara per exanimum circumdans brachia corpus
cum lacrimis Iustinus ait. 'lux urbis et orbis,

---

210 dari *Dempst.*, dare *M*, datum *Ruiz*   211 cincxerat *M*   atque *Dempst.*, et *M*   214 horbis *M*, *sic fere semper, sed corr. plerumque 2 m.*   215 conmunis *M*   ubere *Ruiz*, hu be *M*, *supra litteras* be *lineolam addidit 2 m.*   219 etiam *vel* est quod *Ruiz*, est *M*   tota *M*, nota *Vonck Spec. 18*   221 preuere *M*, *ut solet*   222 exibet et summumeruit *M*   224 uocans *M*, notans *vel* uolens *vel* uidens *maluit Ruiz*   229 abibus *M*   237 erat *post* Iustinianus *add. Ruiz*   *mendum gravius latere, Iustiniani nomen glossema esse suspicatus est Barth XXXV 13 p. 1609*   238 quod *M*, quia *legit Ruiz*   uicerit *M*, uicerat *Ritt.*   243 posses *Ritt.*   244 aut *1 m.*, haut *2 m.* *M*   246 securos *M*, secura hos *malim*   247 tutum *Ritt.*, totum *M*   250 hurbis et horbis *M*, *ut solet*

Iustiniane pater, dilectam deseris aulam?
cognatos famulos et tantos linquis alumnos?
contemnis terras? fesso non prospicis orbi?
en Avares Francique truces Gipidesque Getaeque
totque aliae gentes commotis undique signis
bella movent. qua vi tantos superabimus hostes,
cum, virtus Romana, iaces'? haec patris amore
verba loquebatur lacrimans. nam pectore toto
bellorum iam cura fuit. iam signa ducesque
dispositi, classes, acies, exercitus, arma
consilio moderata novo taciteque parata.
Iustini nutu gentes et regna tremiscunt:
omnia terrificat rigidus vigor. hic pietatem
ostendit natura suam, iustumque dolorem
divinis animis nulli evitabilis auxit
carnis condicio cunctis mortalibus aequa.
hic pietas laudanda viri est semperque canenda.
dicite, quis hominum lacrimis ita possit amaris
flere senis mortem, regni successor et heres?
imperat et dolet: imperium proferre parenti
mallet quam regni solium, quam sceptra tenere.
　nec minus imperii gratum patrem inclita consors
flebat, et humanam sortem pietate dolebat.
exequiis adicit solito plus dona paternis,
ireque contractas denso iubet agmine turbas.
et tulit intextam pretioso murice vestem,
Iustinianorum series ubi tota laborum
neto auro insignita fuit gemmisque corusca.
illic barbaricas flexa cervice phalanges,
occisos reges subiectasque ordine gentes
pictor acu tenui multa formaverat arte.
fecerat et fulvum distare coloribus aurum,
omnis ut aspiciens ea corpora vera putaret.
effigies auro, sanguis depingitur ostro.
ipsum autem in media victorem pinxerat aula
effera Vandalici calcantem colla tyranni,
plaudentem Libyam fruges laurumque ferentem.
addidit antiquam tendentem brachia Romam,
exerto et nudam gestantem pectore mammam,
altricem imperii libertatisque parentem.
haec ideo fieri vivax Sapientia iussit,
ornatum ut propriis funus regale triumphis
Augustum in tumulum fatalis duceret hora.

---

252 tantos *M*, cunctos *Ruiz*　254 arabes *M*　gipidesque *in* gypidesque *1 m. mutatum M*　255 thotque *M*　256 superauimus *1 m.*, superabimus *2 m. M*　257 iacens *in* iaces *1 m. mutatum M*, *sed litterae* s *2 m.* uel t *ita superscriptum est, ut* iacet *correctorem maluisse appareat*　258 toto *1 m.*, tuto *2 m. M*　259 fuit *M*, furit *Mommsen*　262 tremescunt *M*, tremiscant *dubitans Fogg.*　266 equat *M*　273 umanam *M*　278 neto *1 m.*, necto *2 m. M*, nexo *Dempst.*　279 barbarica *1 m.*, barbaricas *2 m. M*　falaux *1 m.*, falange *2 m. M*　281 formaberat *M*　283 ut omnis *M*　287 liuiam *M*　frentem *1 m.*, ferentem *2 m. M*　289 exorto *M*　292 rigale *M*　293 ora *M*

dum famuli pia iussa parant aptantque feretrum.
vox ingens facta est, plausus et gaudia surgunt,
et fragor ex imis altum petit aethera terris,
almaque discreto placuit concordia vulgo.
laeta per Augustam pennis plaudentibus urbem
Fama volans somnum populos inopina gravantem
increpat, inpellitque fores, et limina pulsat,
multiplicatque suas felix praenuntia linguas.
somnus ea veniente fugit, secumque cadentem
traxit segnitiem, totaque excessit ab urbe.
inminet illa favens et crebro pollice pulsat
tardantes populos, et 'surgite, surgite' clamat,
castigatque moras, et plena palatia narrat
conventu procerum, sorti senioris adempti
dilecti numen struerent quo nocte peracta.
urguet, agit, stimulat, pulsat latus, inprimit, instat.
accelerant, vacuantque domos, vicosque per omnes
gaudentes currunt, et murmura prima moventur
nondum clara metu, civemque interrogat omnem
occurrens civis, rumorque per agmina serpit.
solis honore novi grati spectacula circi
antiqui sanxere patres, qui quattuor esse
solis equos quadam rerum ratione putabant,
tempora continui signantes quattuor anni,
in quorum speciem signis numerisque modisque
aurigas totidem, totidem posuere colores,
et fecere duas studia in contraria partes,
ut sunt aestivis brumalia frigora flammis.
nam viridis vernis campus ceu concolor herbis,
pinguis oliva comis, luxu nemus omne virescit:
russeus aestatis rubra sic veste refulgens
ut nonnulla rubent ardenti poma colore;
autumni venetus ferrugine dives et ostro
maturas uvas, maturas signat olivas;
aequiperans candore nives hiemisque pruinam
albicolor viridi socio coniungitur una.
ipse ingens circus, plenus ceu circulus anni,
clauditur in teretem longis anfractibus orbem,
amplectens geminas aequo discrimine metas
et spatium mediae, qua se via pandit, harenae.

---

294 abtantque *M* 296 eximiis *1 m.*, extremis *2 m. M* 302 ea ueniente *Ritt.*, seueniente *M* 304 fabens *M, ut solet* 307 sorte *M* ademti *M* 308 dilecti numen *M*, dilecti tumulum *Vonck Spec. 19*, delectum numen *Fogg.* quod *in* quo *1 m. mutatum M* 311 mobentur *M* 320. 321 *hos versus loco motos post versum 329 inseruit Fogg.* 321 estibis *M* 322 uernis *M*, ueris *Barth XXXV 13 p. 1610*, uerni *Fogg.* herbis *Ruiz*, eruis *M* 323 pinguis *M*, pingit *Barth* 324 russeus aestatis *Riv.*, roseus aestatis *M*, aestatis roseus *Ruiz* refulgens *M*, refulget *Dempst. Paralip. ad Rosini Antiq. Rom. V 5 p. 709* 326 uenetus *Riv.*, uentus *M*, cinctus *Barth* hostro *M* 328 iemisque *M* 329 socio *scripsi*, socia *M*, sociae *Barth XXXVI 5 p. 1640*, socius *Bekk.* coniugitur *M* una *M*, ima *Barth*, imus *Fogg.* 329—330 *nescio an versus unus pluresve interciderint, quibus venetus et russeus in unam factionem circensem coniuncti dicerentur* 330 plenis *M* 331 amfractibus *M* 332 moetas *M*

referam primas iunxisse quadrigas
et currus armasse novos, Pelopemque secundum
in soceri venisse necem. praestantior alter
inventus gener est, plus sponsae iunctus amore.
hunc veterum primi ritum non rite colebant,
esse deum solem recta non mente putantes.
sed factor solis postquam sub sole videri
se voluit formamque deus de virgine sumpsit
humani generis, tunc munere solis adempto
principibus delatus honor munusque Latinis
et iucunda novae circensia gaudia Romae.
huc omnes populi, pueri iuvenesque senesque
dant agmina plausus
vox omnibus una,
mens eadem: nomen populis placet omnibus unum.
ales ut exustos cum phoenix innovat artus
a busto rediviva suo, concentus in unum
stans avium spectat solem solisque volucrem,
dum veniat, regemque novum clamore salutant:
sic decus imperii, sanctum sic iota resurgens
exortum est de fine suo, seniumque reponens
nominis et recti Iustino in principe vivit
Iustinianus apex: domini sic vulgus amore
undique conveniens laetarum more volucrum
'tu vincas, Iustine'! canunt, ingensque tumultus
crescit, et Augusta luctus discessit ab aula
laetitia veniente nova. vox excitat omnes.
omnia Iustino praebent elementa favorem,
omnia congaudent. omnes clamore vocati
conveniunt proceres: lux sacra palatia complet.
ipsum quin etiam exanimum gaudere putares
corpus, in angelicam mutatum morte figuram.
signa dedit manifesta deus, seque ipse probavit
Iustino claram regni inposuisse coronam.

334 *lacunam certa coniectura expleri non posse intellexit Ruiz*, Oenomaum *add. Savaro in adnotatione ad Sidonii carm. XXIII p. 198*, Orsilochum *add. Scaliger Animadv. in Euseb. p. 26*, Cecropidem *vel* anguipedem (*scil.* Erichthonium) *add. Dempst.*, quid *ante*, Oenomaum *post* referam *add. Barth XXXV 5 p. 1640*, quid Procyclum *add. Ritt.*, Heniochum *add. Selden Marm. Oxon. p. 119*, Heniochum haud *add. Fogg.*, *sed* quid Solem *requiri videtur. cf. 314. 339. 342* referam *M*, referunt *maluit Ruiz* 335 Pelopem atque per undas *Fogg.* 336 alter *M*, illo *dubitans Fogg.*, arte *Mommsen* 341 sumsit *M* 344 iocunda *M* 346. 347 *in unum versum coniuncti sunt in codice M*, agmina dant plausus alacres, uox omnibus una *Dempst.*, agmine facto edunt plausus, uox omnibus una *Riv.*, se dant, ingeminant (*vel* congeminant) plausus, uox omnibus una *Jaeg.* 349 exustos *Baehrens Mus. Rhen. XXVII 224*, expositos *M* 350 rediuiua *Ritt.*, recidiua *M* concentus *M*, conuentus *dubitans Jaeg.* 359 *hunc versum libri primi finem, versus 360—367 libri secundi exordium esse arbitratus est Riv.*, *periochis in errorem abductus* 364 exanimum *add. Ritt.*, functi *add. Dempst.*, functum *add. Riv.* 365 angelicam *Ritt.*, angelica *M* figuram *Ritt.*, figura *M* 366 probabit *M* 367 imposuisse *Ritt.*, posuisse *M* EXPLICIT CORIPPI LBR PRIMVS INCIPIT EIVSDEM LBRI SECVNDVS *M*

LIBER SECVNDVS.

Roscida purpureos Aurora ostenderat ortus,
imperio sacrata dei, dominisque iubebat
sumere concessum caelesti munere regnum.
ipse autem procerum magnis oratibus actus
non primum imperii regalia signa recepit,
ni sacrata prius supplex oracula poscens
effusis precibus Christo sua vota dicaret.
ilicet Angelici pergens in limina templi
inposuit pia tura focis cerasque micantes
obtulit, et supplex lacrimis ita coepit obortis.
'omnipotens princeps, summi pater inclite verbi.
lux aeterna deus, rerum formator et auctor,
cuius stelliferum fecit sapientia caelum,
fundavit terram, vestivit floribus agros,
arboribus tribuit sua germina, vallibus herbas,
et caeli liquidos formatrix condidit ignes
discernens a nocte diem rutilisque comantem
ornavit solem radiis, et cornua lunae
paulatim minui, paulatim crescere iussit,
formavit varias habitu distante figuras,
produxit pronis animalia cetera membris,
solum hominem rectum, quem mox ratione replevit,
vivificans siccum sacro spiramine lutum,
cuius subtracta costis ex omnibus una
perfecit facto similem, sociamque dicavit,
hisque creaturam, claro est quae subdita caelo,
subiectam fecit divini iussio verbi.
quas tibi persolvi tanto pro munere grates,
parvus homo, inmensi factus factoris imago?
en ego, parva creaturae pars, subditus adsto
ante oculos, excelse, tuos. tibi servio soli
atque meum submitto caput, cui flectitur uni
omne genu, quem cuncta pavent, elementa tremiscunt.
quaeque vident homines et non quae iussa videri
ante oculos sunt clara tuos, famulantur, adorant,
et laudant factoris opus. si sceptra tenere
me Romana iubes soliumque ascendere patris,
si tibi conplacuit populos mihi credere tantos,
velle tuum fac posse meum. tu subicis hostes,
colla superborum furiataque pectora frangis,

---

2 sacra *M* dominosque *dubitans Ritt.* 4 orantibus auctus *in* oratibus actus *1 m. mutatum M* 5 primum *M*, prius *Ritt.* 6 ni *M*, quam *Ritt.*, quin *Bekk.*, *sed cf. III 4* 15 erbas *M* 16 formatrix *M*, firmatrix *Barth XXXVI 16 p. 1659* 18 ornabit *M* 19 minuit *M* 23 lutum *M*, limum *Barth XXXVI 16 p. 1659, sed cf. Ioh. IV 1012* 28 perseluet *Ritt.* 33 genu *Dempst.*, genus *M* pabent *M* 34 non quae iussa *M*, quae non iussa *vel* non permissa *vel* nunquam iussa *Ruiz*, quae non iusta *Barth XXXVI 16 p. 1660*, non quae uisa *Mommsen*

tu reges servire facis. da posse volenti,
ut faciam placitura tibi'. placuere parenti
orantis pia verba viri, genitusque precanti
adnuit, et sanctus 'regnato'! spiritus inquit.
vox arcana dei gestis fit nota peractis:
non fierent, nisi sancta dei vox illa iuberet.
ipsa etiam summi consors castissima regni
virginis et matris templum sublime petivit,
cuius adoratum limen feliciter intrans
ante pios vultus expansis candida palmis
constitit, et pronis supplex haec vultibus infit.
'virgo creatoris genetrix sanctissima mundi,
excelsi regina poli, specialiter una
vera parens et virgo manens, sine semine patris
quam deus elegit matrem sibi, credula verbum
concipiens nostram genuisti feta salutem.
o pietas miranda dei dictuque tremenda!
caelorum factor dominus deus, unica patris
forma dei, verae sese velamine carnis
induit, et servi formam de virgine sumpsit.
quos tibi, quos genito dignos solvemus honores
pro tantis, benedicta, bonis? te, gloria matrum,
auxiliumque inploro tuum: te semper adorem,
te fatear dominam servatricemque novarum
Iustini rerum. nostrum caput, inclita, serva,
tutare imperium, vitam rege, perfice coepta.
da, bene dispositis procedant omnia nostris.
subde feras gentes. iusto mucrone superbi
depereant. vestro semper tutamine vivam'.
plurima praeterea verbis clementibus orans,
oblatis ceris, altam remeavit in aulam.
it sacrum comitata latus pulcherrima proles,
luce sua plenam quae possit vincere lunam,
aequiperans umeris matrem, sic lucida cultu,
sic niveis formosa genis similisque parenti.
igne micant oculi. nomen distabat et aetas,
non tamen egregiae distabat gratia formae:
arboris ut matris quae de radice propago
nascitur et celsis caput erigit ardua ramis,
aequiperat novis maternam frondibus umbram,
at mater propriam florentem germine natam
gaudet habere parem, laetasque adtollit in auras
felices ramos, et vertice despicit arva.

41 seuire *1 m.*, seruire *2 m. M* 43 genitusque *Ruiz*, genitique *1 m.*, genitoque *2 m. M* precantis *M* 44 annuit *M* regnato *Barth XXXVI 16 p. 1660*, regnator *M* 46 fierent *Barth*, fierit *M*, fieret *Ruiz* 52 genetrix *1 m.*, genitrix *2 m. M* 56 foeta *M* 63 ausiliumque *1 m.*, auxiliumque *2 m. M* 65 nostram *M* 73 q *1 m.*, que *2 m. M* 74 humeris *M*, *ut solet* 75 similisque *M*, similique *vel* similesque *Mommsen punctum in fine versus positum delens* 80 equiperat *M*, aequiparatque *Ruiz*, aequiparata *Barth VIII 1 p. 359* maternam — umbram *scripsi*, materna — umbra *M*, maternae — umbrae *Ruiz* 81 propriam florentem *M*, proprio florentem *Ruiz*, propriam florenti *Dempst.*, *sed cf. Ioh. VII 35* 82 abere *M*

iam laetus princeps divalia tecta subibat.
amplaque gaudentes implebant atria turbae.
accelerant fidi, cura est ut cuique, ministri
obsequiis praebere manus, promuntque feruntque
Augustas vestes pretiosaque cingula gemmis
et capitis diadema sacri. cultu ipse priore
exuitur, tantumque uno vestitus amictu
constitit, et lumen membris regalibus auxit.
haut secus ut, nubes cum se rescindere densa
coeperit, et caelum monstraverit aethra serenum,
ardentes radios mittit iubar, omnia visum
congaudent elementa diem. mox erigit herba
molle caput, vernant segetes, et gramina crescunt,
ipsaque conspectis gratantur lumina terris.
'haec est illa dies', laeti dixere clientes
'quam pater ille bonus sancto praedixerat ore'.
egreditur, tunicaque pios inducitur artus,
aurata se veste tegens, qua candidus omnis
enituit lumenque dedit, fuscasque removit
aetherea nondum prolata luce tenebras.
purpureo terrae resonant fulgente cothurno,
loraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quae tergora fuco,
quis solet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus princeps et barbara colla domare.
sanguineis praelata rosis, laudata rubore,
lectaque pro sacris, tactu mollissima, plantis.
Augustis solis hoc cultu conpetit uti,
sub quorum est pedibus regum cruor. omne profecto
mysterium certa rerum ratione probatur.
nobilibus gemmis et cocto lucidus auro
balteus effulgens lumbos praecinxit heriles.
substrictoque sinu vestis divina pependit
poplite fusa tenus, pretioso candida limbo.
Caesareos umeros ardenti murice texit
circumfusa chlamys, rutilo quae ornata metallo
principis exerta vincebat lumina dextra.
aurea iuncturas morsu praestrinxit obunco
fibula, et a summis gemmae nituere catenis,
gemmae, quas Getici felix victoria belli
praebuit atque favens dominis Ravenna revexit,

---

92 ut *M*, et *Ritt.*, ac *Jaeg.* densa *Baehrens Mus. Rhen. XXVII 224*, densam *M* 93 ethere *M* 94 uisum *Putsch teste Barthio VIII 1 p. 360*, uisu *M*, uiso *Ruiz* 95 die *Ruiz* erba *M* 97 gratantur *Putsch teste Barthio VIII 1 p. 361*, gradantur *M*, gradiuntur *Ruiz*, radiantur *Vonck Spec. 22* 100 tinicaque *1 m.*, tunicaque *2 m. M*, tunica atque *Mommsen* pios *Ritt.*, pius *M* indicitur *1 m.*, inducitur *2 m. M* 104 terrae *Mommsen*, iure *1 m.*, sure *2 m. M* 105 loraque *Mommsen*, curaque *M*, cruraque *Ruiz* 106 partica *M* tergora *M*, uellera *Barth VIII 13 p. 390* fugo *M* 107. 108 *hos versus loco motos post versum 110 inseruit Barth* 107 quis *Vonck Spec. 23* qui *M*, quia *Barth* solet *Ruiz*, soliti *1 m.*, solitus *2 m. M* 109 rubure *M* 114 cocto *M*, facto *dubitans Fogg.* auro *Ruiz*, uuro *M*, ostro *Vonck Spec. 23* 115 precincxit eriles *M* 119 clamis *M* 121 prestrixit *M* obunco *scripsi*, uuunco *1 m.*, ubunco *2 m. M*, adunco *Ruiz* 122 fabula *1 m.*, fibula *2 m. M* cutenis *M*

quasque a Vandalica Belisarius attulit aula.
signa triumphorum, pie Iustiniane, tuorum
sospite Iustino mundumque regente manebunt.
amborum nomen per saecula cuncta canetur.
narrabunt populi miracula vestra futuri.
Armati manibus sacrati circulus auri
inpositi in collo imperium sublime dicavit,
quod faciens ter, ter dextram cum munere tendens
'Augusti, Iustine, locum tibi confero' dixit.
'ast ego te iubeo' princeps ait 'esse tribunum'.
felix Armatus, primus qui verba loquentis
audiit et primus sollemnia dona recepit.
    quattuor ingentem clipei sublimius orbem
adtollunt lecti iuvenes, manibusque levatus
ipse ministrorum supra stetit, ut sua rectus
littera, quae signo stabili non flectitur umquam.
nominibus sacrata tribus, qui viribus aequis
imperium rexere suum. genus omnibus unum,
sceptrum continuum, tempus iuge, iuncta potestas.
successu res acta suo est. iam regna duorum
in caelis translata manent, nunc maximus orbis
communis benefactor adest. cui subdita reges
colla parant, nomenque tremunt et numen adorant.
adstitit in clipeo princeps fortissimus illo
solis habens speciem. lux altera fulsit ab urbe.
mirata est pariter geminos consurgere soles
una favens eademque dies. mea carmina numne
mensuram transgressa suam? mirabere forsan,
quod dixi geminos pariter consurgere soles.
nec vacuis verbis nec inanibus ista figuris
ore feres prolata meo, si dicta rependis.
mens iusti plus sole nitet. non mergitur undis,
non cedit tenebris, non fusca obtexitur umbra.
lux operum aeterno lucet splendore bonorum.
    postquam cuncta videt ritu perfecta priorum,
pontificum summus plenaque aetate Iohannes
adstantem benedixit eum caelique potentem
exorans dominum sacro diademate iussit
Augustum sancire caput, summoque coronam

---

125 belisamus *M* atulit *M* 130 armati *M*, *defendit Fogg. nomen proprium statuere vetans,* Martini *vel* Martiani *nomen hic et v. 135 restitui vult Barth III 15 p. 395* 131 inpositi in *1 m.*, inpositus *2 m. M* 132 ter ter dextram cum *M*, terno dextram pro *dubitans Fogg.* 133 augusti *1 m.*, augustum *2 m. M* 136 audiuit *1 m.*, audiit et *2 m. M* 137 clipei *Schwarz de antiquo ritu elevandi principis Altorf 1730 p. 19*, clipeis *M* sublimibus *Ritt.* 138 leti *1 m.*, lecti *2 m.*, electi *3 m. M* 140 q *1 m.*, quae *2 m. M* 142 hominibus *M*, *sed prior littera* i *erasa* 148 fortissimum *1 m*, fortissimus *2 m. M* 149 abens *M* speciem *Jaeg.*, specimen *M* 151 numne *Mommsen*, nomen *M*, numen *Ruiz* transgresa *1 m.*, transgressa *2 m. M* 154 ianibus *1 m.*, inanibus *2 m. M* sta *1 m.*, ista *4 m. M*, acta *Ruiz* 155 feres *Fogg.*, feras *M* 157 cedi *1 m.*, cedit *2 m. M* 159 ritu *2 m. M in litura* 160 sumus *1 m.*, summus *2 m. M* Iohannes *om. 1 m. M*, *supplevi e periochis*, uenustus *add. 2 m. M* 161 eum *add. 2 m. M* 162 iussit *add. 2 m. M* 163 sancire *M*, uincire *Dempst.*

inponens apici feliciter
intonuit patrum subitus fragor, inde clientum
clamores crescunt; clamoribus adsonat echo.
laudibus innumeris regnantum nomina tollunt.
Iustino vitam ter centum vocibus optant.
Augustae totidem Sophiae plebs tota reclamat.
mille canunt laudes vocum discrimina mille.
Iustinum Sophiamque pares duo lumina mundi
esse ferunt. 'regnate pares in saecula' dicunt.
felices annos dominis felicibus orant.
insonuit vox illa diu, tandemque quievit.
    ipse coronatus solium conscendit avitum,
atque crucis faciens signum venerabile sedit,
erectaque manu cuncto praesente senatu
ore pio sic orsus ait. 'super omnia regnans
regna deus regnum nobis concessit avitum,
et patrium diadema dedit, curasque regendi
inposuit rerum genitor, quas ipse creavit.
laudamus factoris opus, regemque tremendum
suspicimus. grates agimus gratesque fatemur.
ipsius est, quodcumque sumus, ratione probante,
et rerum certas
pluribus ex membris animal conponitur unum,
sed caput est, quod membra regit. deus ergo creator
conponens hominem natus
omnibus ut membris caput imperet. utque regantur,
coniuncta est capiti sapientia, corporis arcem
quae retinens oculis speculetur membra serenis,
et quoscumque videt vigilanti lumine sollers
peste laborantes subiecti corporis artus,
sanet, et infestos pellat medicamine morbos.
Romanum imperium corpus bene ponitur unum
conpositum multis, quod fas est dicere, membris.
nos sumus ergo caput solidati corporis huius.
huic sacro capiti facta est Sapientia consors,
quae mihi commissum pariter regat inclita mundum
sede sedens una. vos o mihi proxima membra,

---

164 apici *M*, capiti *Ritt.* feliciter *M*, feliciter insonat omnes *vel* feliciter hoc domino inquit *Dempst.*, 'feliciter accipe' dixit *Ritt.*, *an* feliciter acclamauit *praeferret dubitans* 166 echo *scripsi*, equo *1 m.*, equor *2 m. M*, aether *Ruiz*, *sed cf. Ioh. IV 679. 682* 168 obtant *M* 169 tohtidem *M* 170 discrimina *Dempst.*, discrimine *M* 175 habitum *1 m.*, auitum *2 m. M* 178 orsus *anonymus teste Vonckio Spec. 24*, orans *M*, *verbis transpositis* orans haec ait ore pio *Barth IX 12 p. 436* 179 regnum *M*, *sed* um *2 m.* abitum *1 m.*, auitum *2 m. M* 180 patriam *1 m.*, patrium *2 m. M* regenti *M* 183 suscipimus *M* 184 summa *1 m.*, sumus *2 m. M* probante *Ruiz*, prouate *M*, probare *Barth IX 12 p. 437* 185 animo moderante figuras *vel* habitu distante figuras *vel* moderatur mente figuras *add. Dempst.*, licet enarrare figuras *add. Barth IX 12 p. 437*, nobis praebente figuras *add. Ritt.*, posuit deus ipse figuras *Fogg.* 187 regit *M*, *sed* it *2 m. in litura* creatur *M* 188 natus *M*, naturae foedere iussit *Ritt.*, naturae foedere fecit *maluit Fogg.* 189 utque *Jungermann teste Barthio IX 12 p. 437.* atque *M*, ipsa *dubitans Ruiz*, *qua coniectura probata* regantur *in* regenti *mutavit Dempst.* 191 peculetur *M* 192 et *M*, ut *Barth* 196 e *1 m.*, est *2 m. M* 199 conmissum *M* 200 sede sedens una *Ruiz*, sedens una *1 m.*, sedens una comes *2 m. M* nox *1 m.*, nos *2 m. M* o *add. Ruiz.*

conscripti patres, nostri spes maxima regni,
vos estis pectus, vos brachia verticis huius,
quorum consiliis quorumque laboribus usa
publica res domuit gentes et regna subegit.
summa regendarum cura est mihi credita rerum.
at quia subiectum nostrum est disponere mundum,
nos etiam vobis curas committimus orbis.
adloquimur fidos, et vos hac voce monemus.
inprimis deus est tota virtute colendus,
semper adorandus, semper metuendus, amandus,
omnia qui fecit pulchri miracula mundi.
nos imitatores factoris et omnia dantis,
in quantum natura valet, contendimus esse.
utque deus voluit, propriis caput impero membris.
iustitiam populis generaliter omnibus aequam
et iuris servate modos. disponite plebes,
ut decet imperii veros disponere patres,
utque pedes proprios et membra minora fovete.
non minor est membris cura inpendenda minutis.
obsequium pedibus naturae lege videmus
admotas praebere manus, oculosque ministros
cernimus esse pedum, quibus inferiora tuemur.
ante pedes planate vias. ne temnite partem
magnis officiis summisque laboribus aptam,
qua vehitur totum summo cum vertice corpus.
qui pedibus rectis graditur, mala nulla veretur,
non timet offensam: nescit via recta ruinam.
quin et causa rei cultu est ornanda diurno.
nullus vile putet, quod novit corporis esse.
sit censura patrum, sit disciplina per orbem.
priventur caedes, populorum iurgia cessent.
nullus laedendi pateat locus, usus iniquae
cesset avaritiae. subiectis parcite nostris,
colla superborum confringite. culpa nocentes
puniat ipsa suos, serventur iura quietis.
huc aures totamque, viri, deflectite mentem,
quaeque sit, ex dictis, vestri spes, discite nostris.
agricolae sua rura colunt, cultuque diurno
inplorant fructus, et terram vomere findunt,
dividiturque bonis gratus labor ille colonis.
pars scindit glebas, pars sulcis semina mandat,
pars liquidas deducit aquas hortosque virentes

---

203 laboribus *M, sed* boribus *2 m. in litura* 204 subicit *1 m.*, subegit *2 m. M* 207 conmittimus *M* 214 inpero *M* 215 omnibus *2 m. M, in litura* 218 fobete *M* 221 amotas *1 m.*, ammotas *2 m. M* preuere *M* 222 inferiora *Barthii amicus IX 12 p. 438*, interiora *M* 224 abtam *1 m.*, aptam *2 m. M* 226 nulla mala *M* 228 quin et *Barth XI 14 p. 537*, qui nec *1 m.*, que nec *2 m. M* 233 auarities *1 m.*, auaritie *2 m. M* nostris *1 m., sed litterae* n *3 m.* uel u *superscriptum est, ut* uostris *correctorem maluisse patent* 237 sit *1 m.*, sint *2 m. M* uestris *1 m.*, uestri *2 m. M* dicite *1 m.*, discite *2 m. M* 238 agricule *1 m.*, agricole *2 m. M* 239 fluctus *1 m.*, fructus *2 m. M* terra *1 m*, terram *2 m. M* 240 diuiturque *1 m.*, diuiditurque *2 m. M* 241 gleuas *1 m.*, glebas *2 m. M* parsulcis *M*

inrigat, ac tractis satiat pomaria rivis.
novit culta suos tellus ditare colonos.
sic bene promeritos donis res publica ditat,
terra velut pinguis. cuius spes magna senatus
hic floret virtute, fide, gravitate, rigore.
hanc quicumque colunt, multum mercedis habebunt.
quod fisci est, nullus rapiat. cognoscite fiscum
ventris habere locum, per quem omnia membra cibantur.
venter alit corpus. fuerit si venter inanis,
omnia deficiunt, tenuantur robore membra,
et contracta rigent arentibus ossa medullis.
omnibus sufficiunt sacrati commoda fisci,
ex quibus est commune bonum, commune levamen.
tutetur fiscus iustorum nemine laeso:
quae sua sunt, capiat, quae sunt privata, relinquat.
iustitiam colimus, iustos veneramur, amamus.
hanc commendamus, hanc vos retinere iubemus.
plurima sunt vivo nimium neglecta parente,
unde tot exhaustus contraxit debita fiscus,
reddere quae miseris moti pietate paramus.
quod minus ob senium factumve actumve parentis,
tempore Iustini correctum gaudeat orbis.
nulla fuit iam cura senis: iam frigidus omnis
alterius vitae solo fervebat amore.
in caelum mens omnis erat. iam corporis huius
inmemor hanc mundi faciem transisse putabat.
et licet exhausti vacuarit commoda fisci,
illa tamen sancti mecum est benedictio patris,
quae totum reparare potest et lapsa novare.
nec patimur quemquam sacratum laedere fiscum,
nec laedi quemquam sinimus sub nomine fisci.
utantur cuncti propriis, ac iure fruantur'.
    haec postquam princeps tranquillo protulit ore,
pronus adoravit laudans pia dicta senatus,
et summi clamor pervenit in astra favoris.
    protinus et magni visit fastigia circi,
cerneret ut laetos populos plebemque moneret
eloquii pietate sui. tunc ordine longo
incedunt summi proceres fulgensque senatus.
ipse inter primos vultu praeclarus honoro
fratris in obsequium gaudens Marcellus abibat,

---

243 ac tratis *1 m.*, attractis *4 m. M* 244 suos *2 m. M in litura* 245 promeritos *Ritt.*, promeritis *M* dictat *M* 248 abebunt *M* 249 es *1 m.*, est *2 m. M* 250 abere *M* 252 robore *Ruiz*, abore *M* 254 omnibus sufficiunt *M*, omnia sufficiunt *Barth XI 14 p. 538*, omnibus officiunt *et* incommoda *Vonck Spec. 25*, omnibus usui sunt *requiritur* 255 leuamen *Ruiz*, libamen *M*, litamen *Dempst.* 256 tutetur *M*, ditetur *Haupt Opusc. III 626*, *sed. cf. Ioh. IV 45* 258 ueneramus *M* 260 ne lecta *1 m.*, neglecta *2 m. M* 261 exaustus *1 m.*, exhaustus *2 m. M* 263 factumue actumue *Ritt.*, factum actumue *M*, factum est actumue *Dempst.*, factum tactumue *Barth XI 14 p. 538. 539*, factum aetatemue *Vonck Spec. 25* 265 senis *M*, seni *Bekk.* omnis *add. 2 m. M* 267 caelo *Ritt.* omnis erat *M*, transierat *mavult Mommsen*, *cui* omnis *glossema esse videtur* 276 adorabit *M* 277 faboris *1 m.*, fauoris *2 m. M* 278 et magni *scripsi*, in magni *M*, immanis *Mommsen* uisit *Mommsen*, iussit *M*, surgit *Ruiz* 279 pleuemque *M* 283 marcellus *M*, Marcianus *dubitans Fogg.* abibat *M*, obibat *Mommsen*

dispositorque novus sacrae Baduarius aulae,
successor soceri (factus mox curapalati est).
his aetas dispar, sed par votum atque voluntas.
ambo patricii, dilecti principis ambo
fulgebant geminis similes radiantibus astris,
astris, quae caelum flamma meliore perornant.
solaque prolato possunt cum sole videri
stellarum fugiente globo, quando omnia pallent
sidera et adflatas ortum iubar aspicit herbas
atque operit novus astra dies. praenuntius ante
signa dedit cursor. posità de more lacerna
exoritur laetum iucunda per agmina murmur.
intentos oculos ad sedem vulgus herilem
extulit adsurgens, quoniam plebs laeta videre
felicem dominum summo cupiebat amore.
egreditur cum luce sua, frontemque serenam
armavit sancti faciens signacula ligni.
utque salutato tetigit subsellia vulgo,
auratum scandens solium sedemque paternam
instructam plumis pulchrisque tapetibus altam,
aspexit laetus populos, vultuque modesto,
circumfusa videns plaudentum milia, risit,
censuram servans et plebi gaudia donans.
ut princeps solio subnixus sedit in alto,
ingens laetitiae sonuit fragor: aurea plebes
tempora principibus centenis vocibus optat.
Iustino vitam partes utraque reclamant,
Augustae Sophiae votis quampluribus orant.
excutiunt plausus, studiorum gaudia surgunt.
alternisque sibi respondent agmina dictis.
emittunt dextras pariter pariterque remittunt.
certatim toto vulgus micat undique circo,
ut veniunt densae manicis albentibus undae.
disponunt cantus, et motum cantibus addunt.
nunc simul erectis, pronis nunc ardua membris
dant capita. accedunt pariter, pariterque recedunt.
fertque refertque globum moles condensa virorum.
exaltata putes placidis bene flantibus Euris
ludere coniferae frondosa cacumina silvae,
et flexis nutare comis, lentoque vicissim
vertice fecundos huc illuc flectere ramos.

---

284 dispositosque *1 m.*, dispositorque *2 m. M* Baduarius *Ruiz*, uado aurius *M* 285 cura palati est *1 m.*, cura palatii *2 m. M*, curopalates *Dempst.* 286 uolumtas *M* 292 adflatus *1 m.*, adflatas *2 m. M* erbas *1 m.*, herbas *2 m. M* 294 curso *1 m.*, cursor *2 m. M* lacerna *1 m.*, lucerna *2 m. M* 298 capiebat *1 m.*, cupiebat *2 m. M* 303 instructam *scripsi*, structam *M*, constructam *Ruiz* *litterae* que ta *2 m. in litura exaratae sunt M* 306 pleuia *1 m.*, plebia *2 m. M* 307 et *1 m.*, ut *2 m. M* 309 centeni *1 m.*, centenis *2 m. M* obtat *1 m.*, obtant *2 m. M* 310 utraque *1 m.*, utraeque *2 m. M* 314 pariter *add. Marcilius Comment. ad Persii Sat. I 20* 316 ut *M*, et *Barth* 317 et motum *Barth*, et modum *M*, modulos et *Ruiz* 320 fertque fertque *1 m.*, fertque refertque *2 m. M* glouum *1 m.*, globum *2 m. M* 321 exatata *1 m.*, exaltata *2 m. M*

inde dato populi fecere silentia signo,
cunctaque clamosi tacuere sedilia circi:
mollior ut ventis quotiens venit aura remotis.
fluctivagum pelagus, quod tempestate movetur,
mansuetis planatur aquis, tunc solis honore
omnia clara silent tranquillis aequora ripis.
    ut clamor magnus populi strepitusque quievit,
divinus princeps Augusta voce perorans
haec plebi mandata dedit. 'bene vivite, cives.
tempus gaudendi est. gaudete, hilaresque manete.
contulit ista deus. nullus sua gaudia turbet.
priventur caedes, studiorum iurgia cessent.
et iam post duros, cunctis promitto, labores
otia sint plebi, nobis vigilantia sollers.
tranquillam faciam securis civibus urbem.
nos curam vestri gerimus, nos vestra tuemur.
credite, non patitur saeclorum secta meorum
iniustos saevire diu. conponite mores,
a furtis cohibete manus, cessate nocere.
discite iustitiam, legum praecepta tenete.
iustitiam quicumque facit, fora nulla timebit.
omnis erit iudex informidabilis illi.
corripiet sontes iuris vigor. este quieti.
si socium socius, si civem civis amabit,
non solum optati iubeo spectacula circi,
praemia sed populis et maxima dona parabo.
ditabo plebes opibus, nomenque negatum
consulibus consul post tempora tanta novabo.
gaudeat ut totus Iustini munere mundus,
dona calendarum properant vicina mearum.
vos vestris adstate locis, properate, parate,
promissaque die nostras sperate curules'.
expavit gaudens inopino nomine vulgus
consulis audito: natus fragor, itque tumultus
per laetos ingens   fremit undique murmur,
ingeminantque cavos dulci modulamine plausus.
    interea lati spoliant subsellia circi:
undique plorantum descendit turba virorum,
et positis totam chartis implevit harenam
ante ipsam domini sedem, largisque rigantes
ora viri lacrimis et terrae corpora dantes

---

328 quo *1 m.*, quod *2 m. M*   mobetur *1 m.*, mouetur *2 m. M*   331 ut *Barth XLIII 18 p. 1963*, et *M*   333 uibete *1 m.*, uiuite *2 m. M*   337 permitto *Ritt.*   338 pleui *1 m.*, plebi *2 m. M*   339 cibibus *1 m.*, ciuibus *2 m. M*   hurbem *1 m.*, urbem *2 m. M*   346 ille *M*   347 uigor este *Dempst.*, uigore stote *M*   349 iubeo *M*, tribuo *Barth XLIII 18 p. 1963*, tribuam *Fogg.*   350 populi sed *1 m.*, populis et *2 m. M*   352 tanta *M*, cuncta *legit Ruiz*, multa *Fogg.*   355 state *1 m.*, adstate *2 m. M*   358 audita *1 m.*, audito *2 m. M*   id *1 m.*, itque *2 m. M*, inde *malim*   359 et undique *post* undique *add. Meursius Opera VI p. 162, Criticus Arnobianus IV 15*, populi *post* ingens *add. Dempst.*, ingens *geminavit Ritt.*, cuneos *post* ingens *add. Haupt Opusc. III 626*   363 positam *1 m.*, positis *2 m. M*   cartis *M, ut solet*   arena *1 m.*, arenam *2 m. M*

in facies cecidere suas. 'miserere, perimus'
insonuit vox magna diu. 'lege sacra parentis
syngrapha, de tantis rationem collige chartis.
iam servis succurre tuis. nos nostra iubenti
credidimus dominis. vobis quis vestra negaret,
cum vestrum est, quod mundus habet? scis, summe regentum,
publica quid vestro prosint commercia fisco.
unde tributa tuis succedent annua rebus,
deficiet si nostra manus? tibi militat omne,
quod gerimus. nos, quae tua sunt, privata vocamus.
vix nobis vitae constant alimenta diurnae
adflictis, quae longa dies longoque labore
sors quaerit, parvosque cibos sub nocte reponit'.
flere diu tantos lacrimis non passus acerbis
condoluit miserans, et se pietate subegit
legibus ultro suis. 'aliena pecunia' dixit
'reddenda est, vivus patri qui substitit heres'.
thesauros fidis privatos ferre ministris
imperat. innumerae mox advenere catervae
fortia centenis oneratae brachia libris.
deposuere umeris. turmae glomerantur in unum,
et totus fuso circus resplenduit auro.
tunc posita ratione palam, populoque vidente,
debita persolvit genitoris, cauta recepit.
gaudia quanta illic, quantus favor! undique laetus
tollitur in caelum populorum clamor ovantum.
mirantur proceres, mirantur talia plebes.
hinc rutili lucent chartis ardentibus ignes,
hinc radiat fulvum concertans ignibus aurum.
hinc chartas flammis subigunt, hinc pondere fusos
exaequant solidos, et lancem pollice pulsant.
tunc sinibus plenis abeunt, quaestuque laborant,
elatisque oculis pro vita principis orant.
largior inventus patre est, clementior idem,
qui virtute animi mentem calcavit habendi,
publica privato cum debita redderet auro
sponte sua, dominus servis miseratus egenis.
priscorum hoc uno vicit novus omnia facto
facta pius princeps. quamvis meliora sequantur,
hoc primum tamen omen erat, quod nullus avorum
Augustos umquam cecinit fecisse priores.

---

370 dominum *1 m.*, dominis *2 m. M*, domino *Ruiz* 371 habet *add. 3 m. M* 372 quod *1 m.*, quid *2 m. M* commertia *M* 373 succedunt *1 m.*, succedent *2 m. M* 377 afflictis *M* 378 ciuos *1 m.*, cibos *2 m. M* 379 tantos *Vonck Lect. 107*, tantis *M* aceruus *1 m.*, acerbis *2 m. M* 382 pater cui *1 m.*, patri qui *2 m. M* 385 honerati *M, sed littera* h *erasa* 386 turmae *M*, summae *Fogg.* 388 pala *1 m.*, palam *2 m. M* 389 deuicta *M, littera* c *erasa* 390 fabor *M* 392 alia *1 m.*, talia *2 m. M* 399 patre *M*, *sed litterae postremae ita erasae sunt*, *ut* pati *superesit*, pater *legit Ruiz* 401 priuato cum debita *Meursius Opera VI p. 162*, *Crit. Arnob. IV 15*, priuato deuita *1 m.*, priuato quod deuita *2 m. M*, priuato dum debita *Ritt.* 402 seruis — egenis *1 m.*, seruos — egenos *2 m. M* 404 pius *Vonck*, prius *M* 406 augustus *M*

hinc aliud pietatis opus tam grande secutum est.
pro vinctis flentes nuptae venere maritis,
matres pro genitis. nesçit servare pudorem
rebus in afflictis ingens dolor. inmemor ibat
turba sui sexus, cultu miserabilis ipso,
per medios populos. postquam venere verendam
Caesaris ante casam, cunctae sua pectora durae
inlidunt terrae. 'pius es, potes omnia' clamant.
'cerne pias lacrimas, miserorum vincula solve.
matribus his natos, his nuptis redde maritos.
omnibus haec sit laeta dies. tua gaudia princeps
nullus agat tristis. cunctorum crimina dele,
gaudeat ut laetus miti sub principe mundus'.
has pius aspexit lacrimas, precibusque dolentum
adnuit, et solvi cunctos a crimine iussit
more dei. deus est, cui verbo conpetit uno
iustificare malos mediaque a morte levare.
credite simpliciter: vox haec temeraria non est.
qui facit hoc, deus est: deus est in corde regentum:
principibus princeps quidquid deus imperat, hoc est.
terrarum dominis Christus dedit omnia posse.
ille est omnipotens, hic omnipotentis imago.
plurima praeterea sollemni munere donans,
dimissis populis arcem remeavit in altam.

LIBER TERTIVS.

Contigit ut princeps Augusti limina tecti,
quamquam festa dies sextam consumpserat horam,
non dulces epulas, non pocula grata petivit,
ni patris primum sanctum et venerabile corpus
ornatum exequiis tumulo mandaret opimis.
ante fores iam pompa fuit, passimque per aulam
porticibus longis stabat cum plebe senatus,
interius flentes famuli, vasa aurea mille,
mille columnarum species, argentea mille,
quae superinpositis inplebant atria ceris,
ordine compta suo, patrum sic more parata.
triste ministerium lata fervebat in aula.
alta superpositis radiabant stramina gemmis,
tempore quas prisco Romana potentia cepit,

407 aliut *M* 413 casam *M*, caram *legit Ruiz* 414 s *1 m.*, es *2 m. M* 419 miti sub *1 m.*, mitis te *2 m. M* 421 annuit *M* 425 inperat *M* 426 est *M*, fit *mavult Mommsen* 427 dominis *M*, domino *Fogg.* 429 sollemnia munera *3 m. M* EXPLICIT CORIPPI AFRICANI GRAMATICI LIBER SECVNDVS INCIPIT LIBER TERTIVS *M*

1 Augusti *Dempst.*, augustus *M* 2 consumserat oram *M* 3 rata *M* 6 pompa fuit *Dempst.*, fuit *M*, turba fuit *Ritt.*, turba ruit *Fogg.* 8 lentes *1 m.*, flentes *2 m. M* 10 quae *M*, qua *Mommsen* 11 compta *scripsi*, commota *1 m.*, cuncta *2 m. M* lata — aula *Fogg.*, letam — aulam *M*, latam — aulam *dubitans Ruiz*, leti — aula *Mommsen* feruebat *2 m. M. quid 1 m. scriptum fuerit dignosci nequit*, feriebat *legit Ruiz* 14 Romana *Ruiz*, humana *M*

quas viridis Nereus, quas protulit Indica tellus,
et quas Memphitica Caesar perduxit ab aula,
quas supplex Cleopatra dedit, cum vincula fratris
frangeret et rupto pallens custode veniret.
ex quibus adversis cernebant fulgura mitti.
sed lumen, non ignis erat. lux undique fulget
aurea conspicui lustrans laquearia tecti.
tura Sabaea cremant, fragrantia mella locatis
infundunt pateris et odoro balsama suco.
centum aliae species unguentaque mira feruntur,
tempus in aeternum sacrum servantia corpus.
supremum patri talem celebravit honorem
Augusto melior Iustinus Caesare princeps.
    ut pius ingrediens corpus venerabile vidit,
incubuit lacrimans, atque oscula frigida carpsit
divini patris, verbisque dolentibus inquit.
'nos flemus tristes, mentisque ardore dolemus.
tu, pater, angelicas inter, sanctissime, turmas
laetus abis, positoque deum iam corpore cernis,
et frueris meliore die sub lumine solis,
nox cui nulla subit. salve, pater inclite, salve.
aeternum, pater alme, vale'. non plura moratus
Augusti nutu tolli sublime feretrum
imperat, et tota populus processit ab aula,
maestaque funereas accendunt agmina ceras.
omnis in exequias sexus convenit et aetas.
quis memorare potest tantae miracula pompae?
hinc levitarum venerabilis ordo canentum,
virgineus tonat inde chorus: vox aethera pulsat.
funduntur lacrimae ritu nivis: imbre madebant
cunctorum vestes, proprioque in fonte natabant
manantes oculi, vultusque sinusque rigabant.
adtonitae matres resolutis crinibus ibant,
ante fores aliae, tectis sublimibus illae
inplentes altas turba stipante fenestras:
quantus Hyperborei volucrum concentus in Istri
contrahitur ripas, gelidas quas linquere terras
aspera cogit hiems. glacie nivibusque coactae
innumerae glomerantur aves, stipantur in unum,
innectuntque moras, et flumina linquere nolunt.
transitus ob causam multi pia tura cremabant.

15 indica *M, sed littera* c *erasa* 16 cessar *M* 18 frangere corrupto *Fogg.* 19 certabant *Barth XLIV 15 p. 2016* 20 fulgit *1 m.*, fulget *2 m. M* 21 laqueari *1 m.*, laquearia *2 m. M* 22 .abea *1 m.*, sabea *2 m. M* fragrantia *1 m.*, flagrantia *2 m. M* 23 odor *1 m.*, odoro *2 m. M* 28 pius *Barth XLIV 15 p. 2017*, prius *M* 29 obscula *M* 35 nox cui nulla subit. salue *Barth XLV 12 p. 2084*, nos cui nullus ait salue *M*, nos cui nulla salus. salue *Ruiz*, nos quis nulla salus sine te *Dempst.* 37 agusti *1 m.*, agustus *2 m. M* tolle *1 m.*, tolli *2 m. M* 38 inperat *M* 39 acredunt *1 m.*, accendunt *2 m. M* 40 omnes in exequia *1 m.*, omnis in exequias *2 m. M* 43 tonat *M*, sonat *malim* corus *M* 46 manantes *Kirchmann de funeribus Romanorum II 11 p. 197*, madentes *M* 50 iperborei *1 m.*, iperboreis *2 m. M* istri *1 m.*, astris *2 m. M* 51 ripas *M*, ripis *legit Ruiz* 52 iems *M* coactis *Ruiz* 53 abes *1 m.*, aues *2 m. M* 55 causa *1 m.*, causam *2 m. M*

undique currebat studio plebs maesta videndi.
omnibus unus amor, iustus dolor omnibus unus
augebat lacrimas, et viso funere flebant,
donec Apostolici subeuntes atria templi
inclita sacrato posuissent membra sepulcro,
quod pius ipse sibi puro construxerat auro.
  postquam facta quies, totam plebs laeta per urbem
sacra coronatis ornavit moenia tectis.
pratorum spoliatur honor, nemus omne refertum
frugibus et glaucae frondes rapiuntur olivae.
exornant postes, et arundine limina comunt,
festaque per cunctos tendunt velamina vicos.
ludere tunc iuvenes et laudibus addere laudes
incipiunt, plaudunt pedibus, mollique reponunt
crura gradu, mirisque modis nova carmina flectunt.
Iustinum Sophiamque pios duo lumina dicunt.
organa, plectra, lyrae totam insonuere per urbem,
mille voluptatum species, convicia mille,
saltatus, risus, discursus, gaudia, plausus.
Augustis vitam laetis clamoribus optant.
'post senium' dicunt 'sese iuvenescere mundus
gaudet, et antiquae repetit primordia formae.
ferrea nunc abeunt atque aurea saecula surgunt
temporibus, Iustine, tuis, spes urbis et orbis,
Romani iubar imperii, decus addite cunctis
retro principibus, cuius sapientia victrix
obtinuit patrii fastigia maxima regni'.
ingeminant Sophiae nomen, lumenque secundum
hanc dicunt, carmenque novum cum plausibus addunt.
  interea laetus sacra cum coniuge princeps
coeperat Augustae felicia carpere mensae
gaudia, regales epulas et dulcia Bacchi
munera, quae Sarepta ferax, quae Gaza crearat,
Ascalon et laetis dederat quae grata colonis.
quaeve antiqua Tyros, quae fertilis Africa mittit,
quae Meroë, quae Memphis habet, quae candida Cypros:
quaeque ferunt veteres maturo robore vites,
quas manibus propriis Ithacus plantavit Vlixes,
pace sub Iliaca Laërtia limina servans,

61 pius *M*, prius *Ruiz*   constrinxerat *Fogg.*   63 tect's *M*, textis *Barth XLVI 15 p. 2158*, testis *Riv.*   65 clauce *1 m.*, glauce *2 m. M*   68 laudibus *M*, lusibus *Barth*   70 cura gradum *1 m.*, crura gradu *2 m. M*   noba *1 m.*, noua *2 m. M*   72 plectar *1 m.*, plectrum *2 m. M*   lyrae *Ruiz*, lira et *M*   73 conuiuia *Ruiz*   74 discussus *M*   75 obtant *M*   76 mundum *M*   80 inperii *M*   addite *1 m.*, addita *2 m. M*   82 patri *1 m.*, patrii *2 m. M*   87 bacci *M*   88 quem repta *1 m.*, que sarepta *2 m. M*   89 grata *in* greta *vel* gre.a *1 m. mutatum*, greca *2 m.*, *litteris* ec *3 m. superscriptum est* uel ai at, *ut* graia *vel* grata *correctorem maluisse pateat*, Graeca *edd. omnes*, Creta *vel* Petra *dubitans Jaeg.*   91 meroes *M*   92 rubore *1 m.*, robore *2 m. M*   93 plantabit *M*   94 pace sub Iliaca Laërtia limina *Barth LV 2 p. 2582*, parces ubi balia lacertia lumina *M*, aliter: parte sub italia lerneia flumina *3 m. in margine M*, arce sub Ibalia Laërtia lumina *Ruiz*, arce sub Oebalia Laërtia lumina *Dempst.*, arte sub Icaria Laërtia limina *Jaeg.*, arte sub Icaria Laërtia culmina *Unger Electa critica Friedlandiae et Novi Brandenburgi 1842 p. 41—43*

nondum Troiani vitans discrimina belli:
quaeque Methymnaeis expressit cultor ab uvis;
pocula quae vitreo flagrabant plena Falerno.
prisca Palaestini miscentur dona Lyaei,
alba colore nivis blandoque levissima gustu.
fusca dabant fulvo chrysattica vina metallo,
quae natura parit liquidi non indiga mellis,
et Garisaei permiscent munus Iacchi.
cuncta quis expediet, dominis quae parturit orbis,
Romano quaequae est provincia subdita regno?
haec magno luxu quamquam cumulata redundent,
temperie solita parvus cibus ore modesto
sumitur, et quantum capiat mens sobria potus,
censura servante modum. cura ipsa regendi
clementisque animus praesumere parcius escas
iure facit, potusque parum sapientia quaerit.
aurea purpureis adponunt fercula mensis
pondere gemmarum plus gravia. pictus ubique
Iustinianus erat. dominis pictura placebat,
gaudebantque sui genitoris imagine visa
felices geniti. veras ibi credere posses
sacras effigies, vivasque adstare putares.
ars et materies animas simul addere possent,
addendi vitam nisi ius, natura, negares.
ingeniis hominum post mortem vivere fama
concessum est: clarum servat sua gloria nomen.
ipse triumphorum per singula vasa suorum
barbarico historiam fieri mandaverat auro,
tempore quo captis iniecit vincla tyrannis
Iustinianus ovans, quarto cum consule princeps
alta triumphali tereret Capitolia pompa.
sacris principibus iucundae fabula mensae
de divo genitore fuit: tum nomen honorum
inter delicias et dulcia pocula summis
laudibus adtollunt, vivumque per ora fatentur.
sic decessorem regnantum nullus amavit,
quamquam sceptra patris natus successor haberet.
ante oculos geniti genitor dulcissimus omni
tempore semper erit, semperque in corde manebit.

95 uelli *1 m.*, belli *2 m. M* 96 quaeque *M*, quae *Dempst.* medimeneis *M* cultura uuuis *1 m.*, cultor ab uuis *2 m. M* 98 Lyaei *Ruiz*, lip.. *1 m.*, licei *2 m. M* 99 alua *1 m.*, alba *2 m. M* leuissima *1 m.*, lenissima *2 m. M* 100 fuluo chrysattica *Barth LV 2 p. 2583*, fulboris attica *1 m. M*, fulgenti *voci* fulboris *adscripsit, litterasque* a b c *verbis* attica fusca dabant *superscripsit 3 m. M, ut* Attica fusca dabant fulgenti *correctorem maluisse appareat*, fusca dabant fuluo simul Attica *Dempst.* 102 garisei *M*, Gargisaei *Barth LV 2 p. 2583*, Gaurani *Fogg.* munus *1 m.*, munera *2 m. M* iacci *M* 104 quaequae *Mommsen*, quaeque *M* 105 quemquam *1 m.*, quamquam *2 m. M* 106 parbus *M* 107 potu *1 m.*, potus *2 m. M* 112 plus grauia *M*, plus grandia *vel* praegrandia *Dempst.*, grauia plus *Barth LV 2 p. 2583*, pondus graue *Fogg.* 115 credere *M*, cernere *Fogg.* 116 sacras effigies *Ruiz*, sacra et figies *M* 117 possent *Vonck Spec. 18*, possunt *M* 118 uitam nisi ius *Mommsen*, uitam nisi tu *M*, ueniam nisi tu *Barth LV 2 p. 2584* 119 fama *Ritt.*, famam *M* 122 storiam *1 m.*, istoriam *2 m. M* mandaberat *M* 125 tereret *Dempst.*, t...et *1 m.*, terret *2 m. M* 126 famula *1 m.*, fabula *2 m. M* 127 tum *M*, dum *Baehrens Mus. Rhen. XXVII 225* 133 maneuit *M*

postquam divinae sumpsere novissima cenae
pocula, et excelsae siluerunt gaudia mensae,
contulerat quae prima dies, surrexit ab alto
laetus uterque toro secretaque tecta petivit.
sed non in segnes solverunt pectora somnos:
invigilant animi, quibus est pia cura regendi
tot latos populos, duros domitare tyrannos,
consiliis uti, causas disponere mundi.
maxima pro rerum quae disposuere salute,
admiranda magis quam conumeranda fateri
humanum decet ingenium. quis carmine digno
tot divinarum miracula pandere rerum
sufficiat? quibus haec verbis, qua laude reponat?
diva Augusta favens, sanctum et venerabile nomen,
inmortale bonum, nostrae Sapientia linguae,
auspiciis haec sacro tuis. tua vota canentem
respice, et oranti clemens solacia praebe.
septima gaudentem lux aurea viderat orbem,
expellens placido brumalia frigora verno.
omnia sol oriens radiis melioribus adflans
tranquillo gelidas tepefecerat igne pruinas.
gaudebant elementa simul, mollique calebant
temperie, votisque suis nova Roma fremebat.
ornata est Augusta domus, iussuque regentis
acciti proceres omnes, schola quaeque palati est
iussa suis adstare locis. iamque ordine certo
turba decanorum, cursorum, in rebus agentum,
cumque palatinis stans candida turba tribunis
et protectorum numerus mandante magistro
omnis sacrorum vis adfuit officiorum
ornatu vario cultuque habituque modoque.
ingens excubitus divina palatia servans
porticibus longis porta condensus ab ipsa
murorum in morem laevam dextramque tegebat,
scuta sub erectis coniungens aurea pilis.
ense latus cincti, praestricti crura cothurnis,
adstabant celsi pariter, pariterque nitebant
extantes latis umeris durisque lacertis:
coniferae veluti sacra inter flumina quercus,
per quas blanda fluens rauco sonat unda susurro,
condensam faciunt frondoso robore silvam,
excluduntque diem ramis, intonsaque laetae
adtollunt capita, alta et vertice sidera pulsant.
et laeva dextraque acies adstare videres,

134 nobissima *M* 139 animi *1 m.*, animis *2 m. M* 142 maxime *M* 143 connumeranda *M* 146 laudi *1 m.*, laude *2 m. M* 149 sacro *M*, sacra *Götz* 150 preue *1 m.*, prebe *2 m. M* 153 af-flans *M* 154 ruinas *1 m.*, pruinas *2 m. M* 156 fremebat *vel* fauebat *Ruiz*, flebat *M*, nitebat *Vonck Spec. 29* 158 schola quaeque *Barth in Claudianum animadversiones p. 701*, scolaque *M*, scholaque alta *Dempst.*, scholaque ipsa *Ritt.* palatii *M* 161 turba *M*, turma *dubitans Barth* 164 habito *1 m.*, habituque *2 m. M* 168 erecti *M* 169 cura cuturnis *M* 171 extantes *Dempst.*, extantis *M* 176 alta *addidi* 177 et laeua *Ruiz*, lebaque *M*

multaque ancipites splendescere luce bipennes,
terribiles, aetate pares. imitatur Olympum
officiis Augusta domus. sic omnia clara,
sic numeris bene compta suis, ita luce corusca:
aurea convexi veluti rutilantia caeli
sidera mensura, numeris et pondere cursus
perficiunt librata suo, stabilique recessu
firma manent, unumque iubar super omnia fulget;
omnia subcumbunt flammis melioribus astra,
et quo tecta latent, regis pascuntur ab igne.
hac se magnarum Romana potentia rerum
lege tenens medias inter super omnia gentes
regna micat claro tantum uni subdita caelo.
    atria praelargis extant altissima tectis,
sole metallorum splendentia, mira paratu,
et facie plus mira loci, cultuque superba.
nobilitat medios sedes Augusta penates,
quattuor eximiis circumvallata columnis.
quas super ex liquido praefulgens cymbius auro
inmodico, simulans convexi climata caeli,
inmortale caput soliumque sedentis obumbrat
ornatum gemmis, auroque ostroque superbum.
quattuor in sese nexos curvaverat arcus.
par laevam dextramque tenens Victoria partem
altius erectis pendebat in aëra pinnis,
laurigeram gestans dextra fulgente coronam.
mira pavimentis stratisque tapetibus ampla
planities, longoque sedilia compta tenore
clara superpositis ornabant atria velis.
vela tegunt postes. custodes ardua servant
limina, et indignis intrare volentibus obstant
condensi numeris, fastu nutuque tremendi.
postquam dispositis ornata palatia turmis
officia explerunt, adytis radiavit ab imis
inclita lux, et consistoria tota replevit.
egreditur princeps magno comitante senatu.
adfuit obsequio castorum turba virorum.
illis summa fides et plena licentia sacris
deservire locis atque aurea fulcra parare,
regales mensas epulis onerare superbis,
conservare domum sanctumque intrare cubile,
internas munire fores, vestesque parare.

---

178 *hunc versum ante v. 177 positum fuisse suspicor. Jaeger versuum ordinem genuinum hunc fuisse credit:* 170. 179. 172—178. 171. 180   179 terribilis *M*   181 comta *M, ut solet*   183 muneris *1 m.*, numeris *2 m. M*   195 circumballata *M*   196 lido *1 m.*, liquido *2 m. M*   197 similans *M*   198 obumbrans *Fogg.*   200 curuaberat *M*   201 lebam *M*   202 aura *1 m.*, aëra *2 m. M*, aëre *Ruiz* pinnis *1 m.*, pennis *2 m. M*   203 dextera *M*   fulgente *M, sed* fu *2 m. in litura*   204 tappetibus *M*   ampla *M*, apta *Mommsen*   209 condensi numeris *Ruiz*, condens in humeris *M*, condensati humeris *Dempst.*   fasto *M*   211 atitis radia bitabimis *M*   212 replebit *M*   214 turma *Fogg.*   215 illi *M*   217 epulas *1 m.*, epulis *2 m. M*   supernis *M*   219 inter nos *M*, internas *Ruiz* munire *Ruiz*, munere *M*

armiger interea, domini vestigia lustrans,
eminet excelsus super omnia vertice Narses
agmina, et Augustam cultu praefulgurat aulam
comptus caesarie, formaque insignis et ore.
aureus omnis erat, cultuque habituque modestus,
et morum probitate placens, virtute verendus,
fulmineus, cautus, vigilans noctesque diesque
pro rerum dominis, et honora luce coruscus:
matutina micans ut caelo stella sereno
auratis radiis argentea sidera vincit
vicinumque diem claro praenuntiat igne.
ut laetus princeps solium conscendit in altum
membraque purpurea praecelsus veste locavit,
legatos Avarum iussos intrare magister
ante fores primus divinae nuntiat aulae
orantes sese vestigia sacra videre
clementis domini, quos voce et mente benignus
imperat admitti. miratur barbara pubes
ingressus primos inmensa atque atria lustrans
ingentes adstare viros. scuta aurea cernunt,
pilaque suspiciunt alto splendentia ferro
aurea et auratos conos cristasque rubentes,
horrescunt lanceas saevasque instare secures,
ceteraque egregiae spectant miracula pompae,
et credunt aliud Romana palatia caelum.
spectari gaudent, hilaresque intrare videri.
non secus Hyrcanae quotiens spectacula tigres
dat populis nova Roma suis, ductore magistro
non solita feritate fremunt, sed margine toto
intrantes plenum populorum milia circum
suspiciunt, magnoque metu mitescere discunt;
deponunt rabiem, gaudent fera vincla subire,
per medios intrare locos, ipsumque superbae
quod spectantur amant, caveam turbasque faventes
lustrant, et pronae solium regnantis adorant.
verum ut contracto patuerunt intima velo
ostia, et aurati micuerunt atria tecti,
Caesareumque caput diademate fulgere sacro
Tergazis suspexit Avar, ter poplite flexo
pronus adoravit, terraeque adfixus inhaesit.
hunc Avares alii simili terrore secuti
in facies cecidere suas, stratosque tapetas

---

223 hore *M* 224 abituque *M* 225 prouitate *M* 230 ignem *M* 232 loca *1 m.*, locauit *2 m. M* 233 Auarum, iussos *Ruiz*, aurum iussus *M* 236 quos *M*, qui *dubitans Fogg.* 238 inmensa atque *Mommsen*, inmensaque *M*, atque immensa *Dempst.* 240 suscipiunt altos *M* 241 auratas cones criptasque *M* 242 orrescunt *M* sebasque *M* 245 ilaresque *M* 246 ircane cotiens ispectacula tygres *1 m.*, tygrides *2 m. M* 250 suscipiunt *1 m.*, suspiciunt *2 m. M* 251 rapuiem *1 m.*, rabiem *2 m. M* 253 spectantur *M*, spectentur *legit Ruiz* caueam *Ruiz*, caneant *M* 254 proni *M* 258 tergazis *M*, ter gazis *legit Ruiz*, ter facie *Götz*, Tergitius *vel* Targitius *Vonck Lect. praef. conferens Menandri Exc. de legat.* (*Frgm. hist. Graec. coll. C. Müller IV p. 233—235*), Targites *Fogg* abar *M* 259 que *add. Ruiz* 260 abares *M*

fronte terunt, longisque inplent spatiosa capillis
atria et Augustam membris inmanibus aulam.
ut clemens princeps legatos surgere iussit,
officia stratos iussu monituque iubentis
erexere viros. 'quod poscitis', ore sereno
clementer regnator ait 'memorate, docete,
et, vestri regis quae sit legatio, ferte'.
haec postquam princeps tranquilla voce profatus,
crudus et asper Avar dictis sic coepit acerbis.
'rex Avarum Cagan debellans intima mundi
famosos stravit magna virtute tyrannos,
innumeros populos et fortia regna subegit.
cuius Threïcium potis est exercitus Hebrum
exhausto siccare lacu fluviumque bibendo
nudare et nondum plene satiatus abire.
quem Persae timuere feri, genibusque minantis
admovere manus: pacem meruere precando.
ni fieret, frustra celsis Babylonia muris
cincta foret, dominosque Avares nunc Parthia ferret.
rupimus Euphraten, gelidos superavimus amnes,
hibernasque nives, cursus qua frenat aquarum
frigus et omnigenis fit durior unda metallis.
vidimus extensos vitrea testudine pontes
stagna lacus fluviosque super fontesque iacere.
in silicis morem vel stratae marmore terrae
cognatos latices laticum concreta tegebant.
plaustra super solidas stridentia duximus undas.
illic volventum vestigia nulla rotarum,
aerea nec solitos labens dedit orbita sulcos,
nec fragilis potuit crystalli forma noceri
praesolido stringente gelu. fremitusque sonorum
cornipedum liquidos ceu terruit ungula campos
insanum volvens strepitum. calcavimus imbrem,
ivimus in fluctus sicco pede. praebuit amplas
nix spatiosa vias. praeduris gentibus acre

---

265 officia *M*, officio *Fogg.* 266 surrexere uiri *Fogg.* 269 traquilla *M* prouatus *M* 270 auar *1 m.*, abar *2 m. M* 271 Auarum *Ruiz*, aurum *M* Kagan *L*, Chagan *Fogg.* debellas *S* intima *M*, ultima *SL* 272 stranit *Ruiz L*, intrauit *M*, straui *S* 273 innueros *L* subegi *S* 274 treicium *ML* potis est *M*, fortis *SL* ebrum *M* 275 exausto *M* que *om. M* 276 plene *M*, potu *margo Ruiz* (*ex O*), potuit *SL* 277 minantes *M* 278 pacem *M*, pacem et *SL* 279 ni fieret *M*, ne forte *SL et margo Ruiz* (*ex S*), ni faceret *Dempst.*, ni facerent *Fogg.* frustra celsis *M*, excelsis frustra *SL et margo Ruiz* (*ex S*) 280 cuncta furet *1 m.*, cincta foret *2 m. M* dominosque Auares nunc Parthia ferret *scripsi*, dominosque auares nunc patria ferret *margo Ruiz* (*ex O*), dominosq.. b......... *1 m.*, dominos humeris nunc ferre parata *2 m. M Ruiz*, didicit dominos patientia ferre *SL et margo Ruiz* (*ex S*) 281 euphaten *L*, euphratem *S* celidos *1 m.*, gelidos *2 m. M* 282 ibernasque nibes cursus qua frenat *M*, hibernos cursus quando refrenat *SL et margo Ruiz* (*ex S*), hibernos cursus tum quando refrenat *Fogg.* 284 ex tensos *M*, et tectos *SL et margo Ruiz* (*ex S*) textudine *M*, tostudine *L* pontes *1 m. MSL et margo Ruiz*, postes *2 m. M Ruiz* 285 flubios *1 m.*, fluuios *2 m. M* 286 in silicis morem *M*, calcantesque niues *SL* 287 concreta tegebant *M*, cum crusta tegebat *SL et margo Ruiz* (*ex S*) 288 solida *1 m.*, solidas *2 m. M* 289 illis *M* 290 aerea *Fogg.*, aurea *M*, area *Ruiz* sulcus *1 m.*, sulcos *2 m. M* 292 fremitusque sonorus *Fogg.*, fremituque sonoro *requiritur* 293 caue *1 m.*, ceu *2 m. M* 294 calcabimus *1 m.*, calcauimus *2 m. M* imbrem *scripsi*, imorem *M*, imbrum *vel* ebrum *margo Ruiz* (*ex O*), Hebrum *vel* Immon *vel* Imbrum *Dempst.*, Imaum *Fogg.* 295 ibimus *1 m.*, iuimus *2 m. M* fluctu *Ritt.*

intulimus bellum. pars altera castra locavit.
miscuimus pugnas, munitas cepimus urbes,
firmaque diruptis deiecimus oppida muris.
nunc ripas Scythici victor rex contigit Istri,
densaque per latos figens tentoria campos
ad tua nos, princeps, haec splendida moenia misit.
annua praelargi patris solacia vestri
sumere tempus adest. sanctus quae praebuit ille,
vos etiam praebere decet. si foedera pacis
intemerata tibi, si mavis pacta manere,
debita quaerenti transmittes munera regi'.
    talia iactantem, nulla commotus in ira,
tranquillus princeps oculis pietate serenis
aspexit iuvenem, placidoque haec edidit ore.
'quantum est legatis concessa licentia fandi,
tantum legatos animo decet esse modestos
et vitae probitate graves; quique ordine possint
scire locis humiles quibus et quibus ora superbi
expediant, nostramque petant quod mitiget iram,
prospiciantque suae poscentes foedera vitae.
quod tua ventosis inflata superbia verbis
iactitat, ignavae mentis deformia nudat.
quid profugos laudas, famaque adtollis inani
extorrem populum? quae fortia regna subegit,
effera gens Avarum proprias defendere terras
non potuit, sedesque suas fugitiva reliquit.
tu velut ignaris falsis rumoribus audes
vana loqui, turpique dolo nova somnia fingis.
quod tibi nunc visum est vestro adsignare labori,
militibus nostris ludo solet esse diurno.
hoc studium dominis, ea sunt sua seria servis.
sanctum hoc imperium toto sic floruit orbe,
bella gerens pacemque tuens. nos more parentum
pacem diligimus, numquam fera bella timemus.
pax est subiectis, pereunt per bella superbi.
parcimus innocuis, sonti non parcimus ulli.
res Romana dei est, terrenis non eget armis.
iure pio vivit: bellum non ingerit ultro,
suscipit inlatum. vel si servire negabunt
ingratae gentes, primum tamen admonet hostes
more gubernandi. monitus qui suscipit istos,
vivit et a nobis meritos expectat honores.
quisquis amat pacem, tutus sub pace manebit:
et qui bella volunt, bellorum clade peribunt.

297 pras *1 m.*, pars *2 m. M* 299 disruptis *M* 300 scitici *M* Istri *Ruis*, atri *M*, astri *legit Ruis* (*forsan in codice O*) 304 sancte *Fogg.* 307 deuita *1 m.*, debita *2 m. M* transmittes *scripsi*, transmitte *M*, transmittite *legit Ruis*, transmittito *Dempst.* 308 in *M*, ab *Riv.* 312 modestos *M*, *littera* s *erasa* 313 prouitate *1 m.*, probitate *2 m. M* 314 locis *Ruis*, loco *1 m.*, locos *2 m. M* et *Ruis*, e *M* superuis *1 m.*, superbis *2 m. M* 318 iactitet *1 m.*, iactitat *2 m. M* 322 fugitiba *M* 323 ignaris *M et margo Ruis*, ignarus *Ruis* (*ex O*) 327 sua seria *M*, suasoria *Mommsen* 335 negabunt *M*, negarunt *Mommsen* 336 ostes *M* 337 tuuernandi monitos *1 m.*, gubernandi monitus *2 m. M* 339 totus *1 m.*, tutus *2 m. M*

gens quaecumque ausa est Romana lacessere signa,
horruit extinctas inopino fulmine turmas,
innumeros cecidisse suos, regesque superbos
vidit sub nostris humiles fractosque triumphis.
ergo signa meis Cagan contraria signis
ferre parat, lituosque mihi camposque minatur
gens Avarum, ni pacta damus? terrore putatis
id nostrum fecisse patrem; miseratus egenis
et profugis quod dona dedit? pietate regendi
hoc facimus, gratisque dari provisa iubemus.
nostra manus larga est, non prodiga: perdere nescit.
iure suas dispensat opes, quo continet orbem.
sponte damus dignis, indignis sponte negamus.
tu numeros numeris et vires viribus audes
exaequare meis. nostris non fidimus armis,
quamquam ductores, numeri fortesque tribuni,
subiecti reges et gentes rebus abundent
quot caelum guttas mittit, quot litus harenas.
quod super est, unumque meum speciale levamen,
imperii deus est virtus et gloria nostri,
a quo certa salus, sceptrum datur atque potestas;
qui populos clemens super omnia regna Latinos
constituit, pacemque suam commendat amari:
cuius spe fruimur, cuius virtute superbos
deicimus, cuius populos pietate tuemur;
qui nostros auget mira virtute triumphos.
ipsius laudamus opus solumque timemus;
hunc unum colimus, rerum dominumque fatemur.
cognoscant Avares, quoniam deus omnium hic est.
fastus non patimur. gentes servire volentes
suscipimus, donisque humiles et honore levamus.
quisque suas mensuret opes viresque suorum,
cum quis bella gerat, sub qua spe sumpserit arma.
divinum sibimet plus consulat unde petatur
auxilium. poterint si numina vana potentem
oppugnare deum, si possunt sponte venire
persculpti lapides, surdae mutaeque figurae,
monstraque, quae variis extant conflata metallis,
si caelo tellus bellum movet, arma feretis

341 lacescere *M* 342 orruit *M* 344 uidi *1 m.*, uidit *2 m. M* sub nostris humiles fractosque triumphis *margo Ruiz* (*ex O*), sub nostris humili fractosque triumphos *1 m. M*, per nostros humiles factosque triumphos *2 m. M* 346 campumque *margo Ruiz* (*ex O*) 350 facinus *1 m.*, facimus *2 m. M* grate *margo Ruiz* (*ex O*) *et 1 m. M*, gratis *2 m. M* prouisa *M*, promissa *Meursius Crit. Arnob. IV 15* 351 non *1 m.*, nam *2 m. M* 356 doctores numeri *1 m.*, duces innumeri *2 m. M* 357 geniti *1 m.*, gentes *2 m. M* rebus *M*, nobis *Jaeg.*, subditae *Fogg.* 358 quod *1 m.*, quot *2 m. M* (*bis*) 359 libamen *M* 360 nostre *1 m.*, nostri *2 m. M* 365 populum *margo Ruiz* (*ex O*) 367 opus *M*, opem *dubitans Jaeg.* 368 rerum *margo Ruiz* (*ex O*), regem *M* 369 abares *2 m. M* omnium hic *M*, omnibus hic *dubitans Ruiz*, omnipotens *Fogg.* 371 dominisque (donisque *2 m.*) humiles et hore *M*, donis humilesque in honore *margo Ruiz* (*ex O*) 372 suam — opem *margo Ruiz* (*ex O*) 373 sumserit *M* 374 diuinum sibimet *Fogg.*, diuino sibimet *M*, diuinos sibi nec *dubitans Ruiz*, et domino sibi ne *dubitans Ritt.* consulet *1 m.*, consulat *2 m. M* 375 poterint *M*, poterunt *Ruiz* 376 possint *margo Ruiz* (*ex O*) 377 persclupti *1 m.*, persculpti *2 m. M* 379 mouit *M*

vos armis adversa meis. si, barbare, nescis,
quid virtus Romana potest, antiqua require,
quae proavi, patres et avi potuere Latini.
quid noster senior potuit pater, inscie, disce,
sub quo Vandalici ceciderunt strage tyranni
edomitique Getae, pubes Alamannica, Franci
totque aliae gentes, famosaque regna per orbem
ardua sub nostris flectentia colla triumphis
suscepere iugum, mentes animosque dedere
servitio, nobisque manent ex hoste fideles.
en Sultan nostra servire paratus in aula
legatos nobis et plurima munera mittit.
quos contra ingratos offendimus, arma paramus.
obstamus dominis, profugis damus ostia servis?
legibus hoc nostris non convenit. arguo factum.
indignis praebemus opem. Caganque timeri
se putat, et bello mea signa lacessere temptat?
ite, licet. campos acies et castra parate,
signorumque duces certo sperate meorum'.
contremuit stupefactus Avar, magnoque timore
diriguit. siccis vox humida faucibus haesit,
turbatusque malis Augusta ab sede recessit.
cetera consiliis quae princeps providus altis
disposuit, verbis fateor conprendere nullus
sufficit, et pleni tenor est in fine libelli.
haec dilata parum, non praetereunda relinquo.
quaeque suis aptata locis, rerumque favorem,
in quantum potis est, devota mente notabo.

LIBER QVARTVS.

Iam vicina dies spectandi consulis omnes
urguebat turmas arcus statione replere
et loca, quae populis praefectus deputat urbis,
consultor legum libertatisque tuendae
dispositor, iusti vindex, corrector iniqui,
censuram gravitate regens, multoque rigore
terribilis; mitique magis pietate tremendus.
tunc partes munire suas spatiumque parare
accelerant; medioque fori, qua divite dextra
egrediens princeps sacra trabeatus ab aula

382 patris heaui *1 m.*, patres et aui *2 m. M* latine *1 m.*, latini *2 m. M* 384 qũa *M* 385 edomiteque *M* pubesque *Ritt.* 388 odere *1 m.*, dedere *2 m. M* 390 en Sultan *vel* Soltan *Fogg.*, enscultor *M*, en scaldor *margo Ruiz* (*ex O*) 392 offendimus *Mommsen*, defendimus *M*, deprendimus *conieci* 393 obstamus *M et margo Ruiz*, optamus *Ruiz* (*ex O*) damus *1 m.*, dares *vel* daremus *2 m. M* 394 legimus *1 m.*, legibus *2 m. M* 395 preuemus *1 m.*, prebemus *2 m. M* 396 lacescere temtat *M* 400 facibus *1 m.*, faucibus *2 m. M* 401 malis *M*, minis *Mommsen* 403 conprehendere nullis *M* 404 sufficit (et pleni tenor est in fine) libellus *Mommsen* 405 relinco *M* 406 aptata *Fogg.*, aptare *M* EXPLICIT LIBER TERTIVS INCIPIT LIBER QVARTVS *M*

4 liuertatisque *M* 7 mitisque *M* 9 mediumque forique diuite *M* 10 sacrata beatus *M*

divitias vulgo, sollemni munere donans,
more nivis sparsurus erat, nova fabrica surgit.
turbatur tota lignorum venditor urbe
emptorum numero. studio ruit agmen emendi.
robora silvarum tunc plaustra gementia ducunt
magnis ponderibus tractu stridente rotarum.
explicitae moles; nec sufficit arida tantum
ligni materies: ratibus tunc ire per urbes
finitimas, ferro virides succidere silvas.
rarescunt luci, campi spoliantur opaci,
arboribus ferrum sedit, gemit undique fessus
concisor nemorum, crebrisque securibus ictus
congeminant. nidis volucres fugere relictis,
horrescunt sua lustra ferae, dulcesque latebras
linquunt. concussae penitus tremuere cavernae,
inmissamque timent tenebrosa cubilia lucem.
densa per antiquas discurrunt agmina silvas
more apium, quas ver tepidum nova condere castra
et munire favos ceris iubet. aethere capto
densa per herbosos errant examina campos,
floribus insidunt variis, roremque madentem
ore legunt onerantque umeros, cerasque liquentes
conficiunt, dulcesque lares in pumice figunt.
incumbunt operi, gratisque laboribus instant.
protinus omnigeni caeduntur robora ligni,
quaeque suis aptanda locis: durissima costas,
mollia dant tabulas. quadrata caesa bipenni
fraxinus, et crebris cadit ictibus ardua pinus,
tunc fagi dulces et suco taxus amaro,
iliceaeque trabes fortes et pallida buxus,
pulchra magis pallore suo. cecidere securi
antiquae quercus et amictae vitibus ulmi,
cedrus olens, solidum numquamque natabile robur,
aesculus, alnus, acer, terebinthus, populus, ornus.
in tenues tabulas abies montana secatur,
iuniperi tiliaeque leves et odora cupressus.
mille secant in frusta trabes: tonat aerea pulsans
malleus, et tractae strident scabredine serrae,
curvaque percusso longe sonat ascia ligno.
tanta nec Inachides secuerunt robora plebes,

---

11 uulgus *Fogg.* 12 nibis *in* niuis *mutatum M* spassurus *M* 13 orbe *M* 14 emtorum *M* 15 rouora *M* plaustra *Ruis*, claustra *M* 17 molis *Vonck Spec. 29* 20 opaces *M* 22 *aut* ictae *aut v.* 23 congeminat *scribi voluit Vonck Spec. 30* 23 fugere *Ruis*, figure *M* 24 orrescunt *M* 25 lincunt *M* caberne *M* 29 muniri *1 m.*, munire *2 m. M* fabos *M* ceris iubet aethere *Ruis*, cerisubat..here *1 m.*, cerisubiet here *2 m. M*, ceris uocat. aethere *Mommsen* capto *M*, captos *Ruis*, captas *vel* in alto *Fogg.*, coeptos *Jaeg.* 30 arbosos erant *1 m.*, herbosos errant *2 m. M* 33 fingunt *dubitans Fogg.* 37 quadrat *1 m.*, quadrata *2 m. M* 40 ilicieque *M* fortes et *Vonck*, *an* fortisque et *praeferat dubitans*, fortesque et *M* 41 cecidis.. *1 m.*, cecidere *2 m. M* 43 natatile *dubitans Ritt.* 44 tiribintus *M* 47 frustra *M* aerea *Mommsen*, haere *M*, *litterae postremae* a *superscriptum est*, aethere *Ruis*, aethera *Muncker ad Hygin. fab. 64* 48 tractes trudunt iscabredines erre *M* 50 inaciesecuerunt *M*

armatas classes ratibus cum mille pararent.
illa prius laetae spectacula praebuit urbi
fabrica. mirantur populi, studioque videndi
omnis concurrens sexus veniebat et aetas.
roboribus flexis teretes curvaverat arcus
artificum praedocta manus, trabibusque cavatis
adfigens tabulas pendentes struxerat aedes,
quattuor informans molem stationibus unam,
buxea populeis aptans capitella columnis
materiaque ipsa bases firmaverat imas:
omnia roboribus sternunt loca plana politis.
coniungunt tabulas et ferri nexibus artant,
quae pondus strepitusque virum motusque faventis
ferre queant populi. cunctorum terga locorum
alternumque latus conclusit sectile lignum,
undique munimen, decus et tutamina praebens.
disposuere gradus, quis staret in ordine longo
divisum in turmas atque in sua corpora vulgus,
posset ut exertas ad munera tendere palmas,
liberius spectare oculis manibusque favere,
et donis aptare sinus, quae plurima consul
in plebes missurus erat, palmasque capaces
tendere, quo veniens late pluat aureus imber.
    ut labor artificum perfecta mole quievit,
atque operis tanti nituit decus, omnia late,
quae modo lignorum squalebant fragmine, mundant,
exornantque locos, et festa fronde coronant
partes quique suas. fixis tabulata virebant
palmarum ramis et amicae pacis olivae.
cuncta triumphalis pendentia culmina laurus
comit et amplectens foliis felicibus ambit.
quos illic ludos, quae feria vulgus habebat!
ludere nunc alios, alios spectare videres
mille voluptatum species. velamina tendunt,
ut loca quaeque decent. ut plus mirentur, obumbrant.
quod vulgo est, vile est: quidquid latet, extat, honorat;
quodque magis tegitur, pretii maioris habetur.
tunc interclusos nulli transire sub arcus
concessum est: cunctis medio via lata patere.
    lux octava novo nascentis lumine Christi
in se volventis vestigia flexerat anni;
more suo currens totum conpleverat orbem
circulus alterius referens de fine dierum

53 uiuendi *1 m.*, uidendi *2 m. M* 56 cabatis *1 m*, cauatis *2 m. M* 57 affigens *2 m. M* 60 bases ipsa *Jaeg.* firmaberat *1 m.*, firmauerat *2 m. M* 65 latos conlusit *M* 66 preuens *M* 67 grados *1 m.*, gradus *2 m. M* 69 ut *scripsi*, et ut *M*, et *Ruiz* 70 liuerius *M* 72 palmasque *M*, pallasque *Mommsen* 73 inber *M* 78 quisque *dubitans Vonck Spec. 30* 82 quae feria *M*, quae seria *Dempst.*, ferias quas *vel* quae festaque *malim* 85 t loca *1 m.*, ut loca *2 m. M*, et loca *Fogg.* 86 honorat *M*, honorum *Ruiz* 87 quoque *dubitans Jaeg.* 88 arcos *1 m.*, arcus *2 m. M* 89 uiolata *M* patere *M*, patebat *Ruiz*

principium, teretemque rotam novus ordine mensum
urguebat numerus. totum qua volvitur aevum
et finit sine fine dies. iubar axe sereno
emicuit, votisque pii sese obtulit orbis,
laetificans cunctas felici lumine terras.
clara coruscantem lux auxerat altera lucem,
cum terris gaudente polo prodibat uterque,
sol radians et consul ovans. nova Roma nitebat,
certabantque ipsi iucunda palatia caelo.
dona calendarum, quorum est ea cura, parabant
officia, et turmis inplent felicibus aulam.
convectant rutilum sportisque capacibus aurum
adcumulant, onerantque locos, quibus altior ipsa
sella triumphalis firma statione locata
iam fuerat, nondum claro tunc consule plena.
hinc vetus argentum formas speciesque novatum
in varias, pressum titulis sculptumque figuris
excelsis portant umeris, magnisque laborant
ponderibus, cistaeque graves funduntur in unum:
utraque materies in magnos surgit acervos.
aedibus in magnis miro constructa paratu
extabat sedes, auro gemmisque superba,
lumen habens sine sole suum; inlustratque propinquos
gemmarum natura locos, rerumque colores
mutans et Phoebi radios fulgentis obumbrans.
miscentur teretes quadris, viridantibus albae.
chrysolithi mireque micant, flammasque pyropos
adflans et propria depellens luce tenebras.
hanc prius in media, quam sol procederet, aula
auratis gradibus sacrisque tapetibus altam
conscendit princeps trabea succinctus avita,
regalem ditans Augusta fronte coronam,
censuramque piam servans gravitate resedit
Caesareos augens habitus ritusque Gabinos.
cuius Hydaspeis radiabat purpura gemmis
vincens luce diem, plus maiestate sedentis
lucidior meliorque sui. primumque senatus
pronus adoravit 'vincas, Iustine' perorans.
'consule te felix, te principe floreat orbis.
salve, Augustorum numeri non ordine prime,
sed meriti, largitor opum, largitor honorum,
libertatis apex, mundi caput, unica virtus
et rerum manifesta salus, reparator opimi

---

94 principum *1 m.*, principium 2 *m. M* terentemque *M* 97 pii sese obtulit orbis *dubitans Jaeg.*, pie sese obtulit orbi *M*, pie sese obtulit orbis *Vonck Spec. 30*, *an* pium sese obtulit orbi *praeferat dubitans* 99 auxerat *Barth VIII 1 p. 361*, auserat *1 m.*, hauserat 2 *m. M* 100 quum *M* polo *Ruiz*, populo *M* 105 arum *M* 108 iam *Ruiz*, nam *M* 109 hinc *M*, huc *Jaeg.* *ante* formas *tertia, ut videtur, manus* in *inculcavit* 119 miscentis *1 m.*, miscentur 2 *m. M* 120 crisoliti *M* 122 hec *M* mediam — aulam *dubitans Ruiz* precederet *M* 127 ritusque *M*, cinctusque *Fogg.* 128 Hydaspeis *Voss ad Vell. Paterc. II 3*, idaspiciens *M*, *cf. Claudian. de III cons. Honor. 3. 4* 129 magestate *M* 133 muneri *M*, *sed litterae* m *pars ita erasa est, ut* nuneri *supersit*

nominis. antiqui redeunt nova saecula fasti.
Augusti priscum renovasti Caesaris aevum.
clarius est meliusque tuum. tua gaudia tecum
hinc vester primus feliciter excipit annus,
votaque plura tuis celebret nova Roma triumphis'.
inde senatorum sacro recitantur ab albo
nomina, conscripti patres qua voce citati
accedunt hilares, subeuntque altissima sedis
culmina, praetendunt dextras, et praemia sumunt
consulis et mundi domini, donisque superbi
fulvo plena ferunt argentea vasa metallo.
qualia fecundi convectant munera campi
agricolae, cum prata virent, plenisque canistris
lilia cana ferunt, mediumque intermicat aurum
floris odoriferi. primordia fertilis anni
ferre domum gaudent, postesque et limina comunt,
et sua placandis nectunt donaria templis.
tunc oratorum geminae facundia linguae
egregias cecinit sollemni munere laudes
consulis Augusti. dignis fortuna favorem
praebuit, et iustis successit gratia dictis.
o fortunati, quibus est ex rebus abundans
laudum materies! quid non laudabile dicunt,
qui vitam, tanti qui principis acta reponunt!
quis fuit ille fragor? tantus favor unde repertus,
tot laudatorum numerus? quibus artibus usi
et quibus ingeniis? quanto conamine nisi
tunc phaleris phaleras et laudibus addere laudes?
non potuere tamen sanctae miracula vitae
ordinibus numerare suis. divina referre
nec virtus hominum nec sensus sufficit ullus.
fontis Niliaci si quisquam aut hauriat undas
et bibat, aut bibulis rivos inducat harenis:
ipse quidem satiatur aquis, satiantur et agri,
si quos ille rigat; fontes et flumina replet,
et praebet largas haurire volentibus undas;

* * *

quae circa dominos habemus vota, probamus,
dum canimus colimusque pios, veneramur ovantes.
quos dum laudamus, laudem de laude meremur,
et fruimur maiore bono. nam diva propago

---

137 antiqui redeunt — fasti *M*, antiqui reddunt — fasti *Vonck Lect. 65*, antiquis redeunt — fastis *Fogg.* 138 priscum *M*, primum *legit Ruiz* 140 excipit *M*, incipit *Fogg.*, *an* exigat *praeferat dubitans* 141 forma *1 m.*, roma *2 m. M* 142 indese naturum *M* 143 qui *dubitans Ritt.* 144 ilares *M* 145 et *Ruiz*, te *M* 151 flores *M* 153 nectunt *Ritt.*, nectant *M*, uectant *Vonck Lect. 94* 159 quid *M*, *sed* id *2 m. additum* laudauile *1 m.*, laudabile *2 m. M* 162 tot *M*, quot *dubitans Fogg.* 163 ingenuis *M* 164 faleres falera *1 m.*, faleris faleras *2 m. M* 168 si *add. 2 m. M* quiquam *M* aut hauriat *2 m. M in litura* 171 si quos *M*, sic quos *legit Ruiz*, sic quis (= sic quibus) *Vonck Spec. 31*, sed quos *Fogg.* 172—173 *intercidisse complura post versum 172, quo codicis folii 47[i] pagina prior finitur, intellexit Mommsen. periit primum finis comparationis incohatae, qua Nilus derivatione nulla exhauriri dicebatur, deinde conclusio totius loci praecedentis de senatorum donis et exordium insequentis, quo Iustinus laudatur, quod alios quosdam, qui senatoriam dignitatem non aequantes scribarum officio fungebantur, forsan tribunos et notarios, iisdem, quibus senatores, donis ditaverit* 173 quae *M*, cum *Fogg.* habemus *M*, aptamus *Ruiz*, libamus *malim* 175 quos *M*, ast *requiri arbitratur Fogg.*

humanae nil laudis eget, sed vota clientum
pensat, devotosque sibi pietate coronat.
fertilis hic Augusta manus felixque videri
plus voluit, nullumque suo praeferre favori.
namque illos donis conscriptis patribus aequos
esse dedit, cum distet honor. vigilantia noctis
hoc meruit carisque favens sapientia Musis.
doctior et princeps novit, quod littera rerum
pars magna est magnusque labor scribentibus instat.
    protinus officiis summam tutantibus aulam,
ordinibus propriis et prisco more notatis,
perque scholas turmasque vocans, pia praemia gaudens
praebuit, et fidos opibus ditavit alumnos
pro meritis gradibusque suis. idem inclitus omnes
nutrierat, vivoque etiam genitore regebat.
natus in imperio, media nutritus in aula
inter alumnorum numeros coetusque fideles,
nomina cunctorum, cunctorum noverat actus,
omnes mitis amans, omnes pietate paterna
semper alens semperque monens. rituque regendi
continet ipse suos nutritque fovetque clientes:
providus ut pastor, longo qui tempore tauros
lanigerosque greges herbosis pavit in agris,
omnia quae posuit taurorum nomina novit;
crescere dilectum gaudet pecus, intrat ovile,
discernit teneros et in unum congregat agnos
nomina nota vocans: audita voce sequuntur,
agnoscunt dominum, pulsantque balatibus auras,
atque avidi sumunt virides, quas adtulit, herbas.
    interea populus totas conpleverat aedes,
ornatas nexis diversa ex fronde coronis.
serica per cunctas pendebant vela columnas.
perque arcus vicosque omnes adstabat utraque
parte favens vulgus, palmasque sinusque parabat.
consulis adventum summa tardantis in aula
expectant, penduntque moras, causasque morarum
inquirunt, oculosque omnes ad regia tollunt
limina, processumque Augusti consulis optant:
haut secus ut Libyci terra sitiente coloni
nubila suspiciunt, moto cum fulgura caelo
prima micant, crebroque tonans Notus inplicat aethram,
ruricolum siccos discurrit turba per agros
spe pluviae, mundantque locos, aditusque viarum
librant, et cursus omnes moderantur aquarum,
unde fluant liquidi per prata virentia rivi,

---

181 conscriptos *1 m.*, conscriptis *2 m.* *M* 182 noctis *M*, nostris *Dempst.*, *sed cf. paneg. in laud. Anast. 43* 184 et *Fogg.*, est *M* 185 instat *scripsi*, instet *M* 188 perque scholas *Dempst.*, per scolas *M*, *sed* r s *2 m. addidit in litura* 189 ditabit *1 m.*, ditauit *2 m.* *M* 191 uiboque *1 m.*, uiuoque *2 m.* *M* 199 eruosos — agros *M* 203 secuntur *M* 204 que *delet Dempst.*, *sed cf. Ioh. I 174* 205 erbas *M* 208 serica *vel* Syrica *Ruiz*, sirica *M* 214 obtant *M* 215 aut *M* 216 suscipiunt *M* 217 ehram *M* 218 ruriculum *M* 220 librant *1 m.*, liberat *2 m.* *M*

(cogit dura sitis) cumulosque arentis harenae
obiciunt, pinguisque soli declivia claudunt.
  postquam opibus fidos consul ditavit alumnos,
Augusto nutu cunctos incedere iussit,
ut populis pia dona daret. praecepta facessunt.
tollitur in magnum divalis sella triumphum
mille ministrorum manibus, gratoque labori
submittunt umeros et loris fortibus aptant
electi iuvenes, aetas quibus omnibus una,
par habitus, par forma fuit, vestisque rubebat
concolor, atque auro lucebant cingula mundo.
incessit laetus praeclara in veste senatus,
pars trabeis, pars compta togis, ut cuique probatus
ordo locum cultumque dabat. divina sequuntur
officia, et primis praeco clamoribus instat
omnibus imperitans sectis procedere turmis.
incedunt densae mixto lictore cohortes.
hinc armata manus dextram laevamque tuetur
Caesarei lateris. clipeis pia terga tegebat
ingens excubitus, protectorumque phalanges
fulgebant rutilo pilis splendentibus auro.
ipse autem consul sacro diademate fulgens,
ornatus trabea, gemmisque ostroque nitebat,
ore umerisque potens. et sacri luminis instar
illius aspectus gemmas vincebat et aurum,
angelicis oculis exaequans sidera caeli.
contigit ut sacrae felicia limina portae,
tramite qua recto mediam via ducit in urbem,
terruit incessu populos, oculisque refulsit:
qualis ab Oceani liquidis sol aureus undis
splendentes mittit radios, rutilusque serenum
fundit ubique diem mundumque inluminat omnem
lucis honore suae. viso tunc consule plebes
plausibus adsurgunt, et voces vocibus addunt.
sic, bene quaesitas ut pullis porrigat escas,
mitis hirundo redit: postquam sua tecta videndum
garrula per patulas fuerit delata fenestras,
matris in adventum nido consurgit ab omni
turba loquax, flagitantque cibos fidaeque parentis
oribus ora petunt et apertis faucibus adstant;
illa sed inpendens nidum circumspicit omnem,
distribuitque pias, ut cunctos nutriat, escas.
  sanxerat Augustus Sophiae cognomine templum,
Romanum princeps cum Iustinianus haberet

229 abtant *M* 234 pras *1 m.*, pars *2 m. M* (*bis*) pronatus *M* 235 secuntur *M* 237 inperitans *M* sectis *M*, tectis *dubitans Ruiz*, lectis *Ritt.* 238 coortes *M* 239 lebamque *1 m.*, leuamque *1 m. M* 240 tegebant *M* 245 hore *M* potens *M*, patens *dubitans Ruiz* sacri *add. 2 m. M* 248 sacra *1 m.*, sacre *2 m. M* 251 auoceani *1 m.*, aboceani *2 m. M* 257 irundo *M* sua tecta uidendum *M*, sua tecta reuisum *vel* reuisens *Jaeg.*, ad sua tecta uidenda *Fogg.*, sua tecta uidet dum *Mommsen*, in sua tecta (uidendum!) *malim* 260 flagitantque cibos *M*, rogitantque cibos *Dempst.*, flagrantque cibo *Fogg.*, inhiantque cibos *dubitans Jaeg.* 262 illa sed *Ruiz*, illast *M* 265 romanus *1 m.*, romanum *2 m. M*

imperium, Christoque vovens sua vota dicarat
mens Augusta, reor, iam non ignara futuri:
aut magis ignarum recto deus ordine duxit
ante futurorum, quam sunt, arcana bonorum
auspiciis sacrare piis. Theodora regebat,
tempore quo sacram fundavit conditor arcem,
et Sophiae nomen nondum regnantis habere
arx meruit: sceptri fuerant ea signa futuri.
ingens mysterium, magna quod mole latebat,
perfectum patefecit opus. via lucida nostris
nunc facta est oculis. manifesta luce videmus
olim promissum caelesti munere regnum
Iustino Sophiaeque piis, patuitque, quod ante
clausum erat, et nullis velamen visibus obstat.
rem Sophia dignam certo sapientia fecit.
instituit pulchrum, solidavit robore templum,
coepit, perfecit donisque ornavit et auxit.
iam Salomoniaci sileat descriptio templi.
cedant cunctorum miracula nota locorum.
inclita praeclarum duo sunt imitantia caelum,
consilio fundata dei, venerabile templum
et Sophianarum splendentia tecta novarum.
principis haec, haec aula dei. deus illud utrumque
glorificavit opus, sed maiestatis honore
plus templum terroris habet. namque ibi probatur,
quam sit ubique deus praesens, simul omnia conplens.
internis oculis illic pia cernitur esse
indivisa manens patris genitique potestas
spiritus et sanctus. substantia creditur una,
tres sunt personae. subsistite! nomina fulgent.
utque pater deus est, genitus deus aequus honore,
spiritus et sanctus pariter deus. ex tribus una
e caelo veniens mundi persona redemptrix
humani generis formam de virgine sumpsit.
sponte sua venit, factorque et conditor orbis
factus homo est, verusque deus non destitit esse.
natus, non factus, plenum de lumine lumen,
una in naturis extans persona duabus,
consimilis deitate patris, hominique profecto
consimilis, sine peccato peccata relaxans,
plurima per populum faciens miracula Christus.

---

266 uobens *1 m.*, uouens *2 m. M*, uolens *Fogg.* 267 iam *add. 2 m. M* 268 ignaram *Riv.* duxit *Vonck Spec. 31*, ducit *M* 269 quam *dubitans Jaeg.*, quae *M* sunt *M*, sint *Vonck Spec. 13* 270 teodora *M* 271 fundabit *M* 273 ars *M* 288 haec, haec *Bekk.*, est haec *M*, aula atque *vel* haec atque *vel* aedes *Fogg.* 289 glorificabit *M* 290 namque ibi *M*, ibi namque *Meursius Crit. Arnob. IV 15*, namque inde *Dempst.* 291 quam *Ruis*, quum *M*, quod *Fogg.* 294 sancti *Fogg.* 295 subsistite *Mommsen*, subsistitur *M*, subsistunt *Ruis* *versuum 294 et 295 partibus posterioribus transpositis ita locum constituit Vonck Spec. 32:* spiritus et sanctus subsistit, numine fulget. tres sunt personae, substantia creditur una 296 utque pater est genitus deus hecus *M* 298 redemtrix *M* 299 sumsit *M* 300 uenit *M*, uerus *Vonck Lect. 37* 304 patris, hominique *Vonck Lect. 37*, patris omnique *M*, patri, hominique *Fogg.* 306 polum *1 m.*, populum *2 m. M*

calcavit mortem moriens, vitamque resurgens
vita dedit cunctis in se credentibus. ipse
in caelum ascendens a dextris sedit honoris
aequaevi patris, iudex venturus in orbem
et regnum sine fine tenens. hunc mente fideli
regnator Iustinus amans, trabeatus ab aula
egrediens, templum primum sublime petivit
atque deo grates solita pietate peregit.
plurima votorum sacravit dona suorum,
inmensoque pium ditavit munere templum.
obtulit et ceras, et miti voce petivit
corde humilis, dextraque dei benedictus abivit,
plus exaltatus, plus iustificatus id ipsum,
quod se humilem, stans ante deum, veramque fatetur,
quam retinet pietate, fidem. cum diligit ipse,
diligitur. quem Christus amat rex magnus, amatur.
ipse regit reges, ipse et non subditur ulli.
Iustinus princeps hoc protectore quietus
imperat, hunc ipsum solum spe certus adorat.
    ut pius expletis templorum limina votis
liquit, in ingentem vectandus consulis arcem
conscendit gaudens et saeptus lumine sedit.
ante pedes domini, faciunt qui iussa, clientes
adstabant laeti, vultuque et veste nitebant,
Romani populi patres sine semine facti.
patricius senio fulgens Calinicus honoro,
qui pater imperii meruit iam factus haberi
gratior, Augusti servans pia gaza sacelli.
namque illi moriens mox Iustinianus honores
contulerat, fidaeque prius narraverat auri
consilii secreta sui. 'vocor', inquit 'alumne,
et properat suprema dies, iussuque creantis
a regnis in regna vehor. deus omne Latinum
Iustino dedit imperium. tu, fide, memento
verborum, quae mando tibi. cum carne relicta
spiritus ascendens claram penetraverit arcem,
in medio procerum Iustini ad limina perge.
invitato virum, nolit licet ille subire.
sorte mea tristis renuet. consentiet istinc.
ne dubitare velis. nullus contemnere possit

---

309 honoris *Fogg.*, honori *M*, honore *Vonck Spec. 32*   310 eq... patri *1 m.*, equeui patris *2 m. M*   316 inmensumque *1 m.*, inmensoque *2 m. M*   317 et *add. 2 m. M*   ceras et *Mommsen*, cera sed *1 m.*, ceras sed *2 m. M*   miti *1 m.*, mitis *2 m. M*   petibit *1 m.*, petiuit *2 m. M*   318 corde humilis *M*, cor humile, a *Fogg.*   \abibit *1 m.*, abiuit *2 m. M*   319 id ipsum *Jaeg.*, in ipsum *M*, in ipso *Fogg.*   321 pietatem *M*   diliget *1 m.*, diligit *2 m. M*   322 quem *M*, quam *legit*, cum *scripsit Ruis*   amatur *Ruis*, amator *M*   323 et non *add. 2 m. M*   subdit..... *1 m.*, subditur ulli *2 m. M*   325 inperat *M*   327 in ingentem *Ruis*, ingentem *1 m.*, et ingentem *2 m. M*   uectandus *1 m.*, uectandi *2 m. M*, spectandi *Fogg.*, spectandus *malim*   333 aberi *M*   335 onores *M*   337 uoco *1 m.*, uocor *2 m. M*   339 ueor *M*   341 cum *Ritt.*, dum *M*   342 clarum *M*   343 in medium *M*   iustine *1 m.*, iustini *2 m. M*   344 inuitate *1 m.*, inuitato *2 m. M*   nolit licet *M*, uidelicet *Ruis*, regnum ut uelit *Dempst.*   345 renuet *Fogg.*, ueniet *M*

terribilis praecepta dei. cognoscet amantes,
quos fidos habui. mihi qui nocuere nocentve,
ipsum etiam facto simili temptare parabunt,
ut pereant iustasque suo dent sanguine terras.
sed pietas Augusta malos castigat alumnos
consilii bonitate sui. dum perdere non vult,
subiectum sibi quidquid erat, sic punit iniquas
carne veras animas, ut mortis poena
non maneat, breviusque luant. cruciantia corpus
praeteritura pati satis est. aeterna tremiscant
supplicia, inflictas timeant in saecula poenas.
ultio commissum lenit scelus. illa profecto
paucorum multis prosunt exempla malorum,
quorum post mortem nostrae monumenta perhorrent
et damnant leges. erit unius utile multis
exitium, cessantque doli, dum poena timetur.
legislatores statuit deus ipse per orbem'.
haec animo retinens sincera mente fidelis
paruit, et domino meruit dilectus haberi.
nec non ensipotens, membrorum robore constans
aspectu, mentis non a gravitate benignus,
adstabat Narses sedemque ornabat herilem
splendida signa gerens. qualis pretiosus achates
aut medius fulvo Parius lapis enitet auro
artificis formante manu: sic luce coruscus,
sic animo placidus, miti sic gratior ore,
terga tegens domini claris fulgebat in armis.
adfuit et sacrae domino gratissimus aulae
Tiberius, curasque omnes inplebat et
inplens officium nutu monituque frequenter
obsequiis instare suis tranquillus alumnos

* * *

---

347 amantes *Schwarz teste Goetzio*, amans *M*, amabit *dubitans Ruiz*, amando *Dempst.*, amanter *Riv.* 348 nocentue *scripsi*, noceuit *M*, nocebit *Ruiz*, nocere *Fogg.* 349 ipsi *Fogg.* simile *M* 350 iustasque *M*, udasque *dubitans Vonck Spec. 32* terras *M*, poenas *Meursius* 353 s sibi *M*, *nihil erasum*, seponens sibi *Dempst.*, suspectum sibi *Ritt.*, subiectum sibi *Fogg.* erat *M*, erit *Fogg.* iniquos *Fogg.* 354 carne ueras *M*, carne feras *vel* carniuoras *Ruiz*, carnificis *Fogg.*, carniferas *Mommsen*, carne necata *malim* animas *M*, manibus *Fogg.* poena *M*, poena sequatur *Dempst.*, poena recedat *Ritt.*, poena deinceps *Mommsen* 355 prebiusque *M* cruciantia corpus *Fogg.*, cruciant *M*, cruciantia tantum *Ritt.* 356 praeteritura pati *Ruiz*, preteritur abti *M* haud *ante* satis *add. Ritt.* est *M*, esto *Fogg.* tremescant *M* 358 lenitis celus *M* 360 perornent *M* 362 dolendum pena timent *M* 365 aberi *M* 366 rouore *M* 367 aspectu *M*, adfectu *dubitans Jaeg.* mentis *M*, mitis *Vonck Spec. 32* non a *M*, iuncta *Vonck*, nec non *Fogg.*, nota *vel* mixta *Jaeg.* benignum *M* 368 adstabat *Ruiz*, stabant *M* erilem *M* 369 acat *1 m.*, achates *2 m. M* 370 fulbo *M* parius *M*, Pharius *Dempst.*, pyrous *Fogg.*, *sed cf. Verg. Aen. I 596* 372 miti *Ritt.*, nitis *M*, mitis *Ruiz* 375 curasque *M*, curas qui *Mommsen* actus *add. Ritt.* 376 officia *M* 377 alumnos *Bekk.*, al *M*, alumnus *Ritt.*

I. INDEX GEOGRAPHICVS.

II. INDEX HISTORICVS ET MYTHOLOGVS.

INDEX RERVM, VERBORVM ET LOCVTIONVM.

crux: Iust. II 176 crucis faciens signum venerabile. II 300 sancti faciens signacula ligni

crystallum = glacies: Iust. III 291 nec fragilis potuit crystalli forma noceri

cubile: Iust. III 218 (spadonum est) conservare domum sanctumque intrare cubile

culpo: Ioh. IV 188 culpabat pavidas fatorum sorte catervas

culter: Ioh. III 92 mersosque simul per viscera cultros imprimit ipsa sibi. IV 1007 iam nescius accipit hostis saeva per occultos confossus vulnera cultros

cum *coniunctio* a) *sequente indicativo:* Ioh. IV 353 monte lupi medio veluti, cum nubila latis incumbunt terris, ululatibus aëra crebris pulsant. Ioh. II 198 IV 1039 VI 95 VII 337. 448 VIII 71 Iust. I 349 II 92 IV 149. 216. — Ioh. I 545 cum properaverit hostis, arte fugit. Iust. IV 341 cum carne relicta spiritus ascendens claram penetraverit arcem, — Iustini ad limina perge. — Ioh. I 234 securus puppe Iohannes carpebat somnos, cautus cum forte magister ipse ratis placidos persensit surgere ventos. Ioh. I 243. 579 III 157. 424 IV 161. 314. 666 VI 186. 352. 452 VII 320 Iust. I 33. 66. — Ioh. VIII 281 placidam per membra quietem accipit omne genus —, cum vigil insomnem flagrans iam Marte Iohannes ducebat noctem. — Ioh. IV 373 Artabanum modo grata mihi, Fortuna, dedisses, sorte nova fortis pariter cum noster Ilaguas castra regit. Iust. I 208 quis temptaret obesse, cum deus imperium sancto iam dixerat ore Iustino Sophiaeque dari? I 256 qua vi tantos superabimus hostes, cum virtus Romana iaces? — Iust. II 370 vobis quis vestra negaret, cum vestrum est, quod mundus habet. IV 321 cum diligit ipse, diligitur. — b) *sequente coniunctivo:* Ioh. VII 534 cum donet responsis certior Ammon prospera bella suis, Laguantan cedere signis aut fugisse putas? Iust. IV 181 illos donis conscriptis patribus aequos esse dedit, cum distet honor. — Ioh. I 380 ex ducibus namque unus eram, cum sceptra tyrannus Geilamir in Libycis tenuisset (= teneret) perfidus oris. I 398 cum totiens victor saevo remeasset ab hoste. III 312 cum maximus hostes fudisset modicis victor Belisarius armis. VII 530 nec Maximianus apertas bis potuit conferre manus, cum sceptra teneret Romani princeps populi. Iust. praef. 14 cum milite tuto alternas gentes domini fortuna necaret. I 135 cum magni regeres divina palatii patris. I 138 cum sceptra teneret fortis adhuc senior, regni tu summa regebas. III 17 quas supplex Cleopatra dedit, cum vincula fratris frangeret. III 124 (iniecit vincula tyrannis), quarto cum consule princeps alta triumphali tereret Capitolia pompa. IV 51 armatas classes ratibus cum mille pararent. IV 265 cum Iustinianus haberet imperium. — *locis Iohannidos septem, quibus codex Trivultianus* dum *exhibet, Bekkerus* cum *restituit. Cui coniecturae, quamquam erunt qui adversentur* (*cf. Halmii indicem in Victoris Vitensis historiam s. v.* dum), *adstipulatus sum, primum quod latioris illius notionis, qua* dum *in codice Trivultiano usurpatur, in carmine de laudibus Iustini vestigium extat nullum, deinde quod corruptelae talis plures per locos repentis alia etiam in codice Trivultiano exempla inveniuntur. cf.* infessus, qua. *adscribo locos emendatos:* Ioh. VIII 437 cum veniet, laudet fortes rebusque fideles. — I 377 (*cf.* I 380) cum prima tenerent ultrices haec arva rates, hoc litore primus ipse solum tetigi. I 453 saeva Giganteo cum staret Phlegra tumultu, caelicolum turmas, quid vellent fata, monebat (Iuppiter). III 13 qualis in adventu fuerat (= erat) tunc Africa nostro, o socii, saevis esset cum maxima regnis ultio missa dei. VI 305 Danaum quondam Thebanos inclita campos agmina cum peterent, siccatos numine Bacchi expavere lacus. VI 548 sic placitum tibi, summe pater, cum laedere velles peccantes Libyae populos. VIII 611 quem cum non prendere posset, — transverberat

cum *praepositio abundanter addita:* Ioh. II 336 plana cum voce locutus. II 409 scelus hoc cum iusto Marte piabit. VII 116 affatur miti cum voce. VIII 329 psallunt carmina deflentes humili cum voce ministri

cumulantur nomina et verba: Ioh. I 28 rabies exarserat armis, insidiis, ferro, flammis populisque superba. I 44. 45 quis lacrimas, clades, praedas, incendia, mortes, insidias, gemitus, tormentum, vincula, raptus explicet? II 61 succendens praedansque ferox mactansque trahensque. IV 222—224 malignus, perfidus, infelix, atrox, insulsus, adulter, praedo, homicida, rapax, bellorum pessimus auctor. IV 585—589, 592. 1109. 1110 VI 163 ardet, anhelat, hiat, pallet, rubet, aestuat, alget. Iust. I 169 continuit, fovit, monuit, nutrivit, amavit. I 217. 260. 309 urguet, agit, stimulat, pulsat latus, inprimit, instat. III 74. 164 IV 44

cupidus: Ioh. I 293 auri cupidus. VI 424 cupidus fera proelia miles (*forsan* cupiens *legendum*). — *sequente infinitivo:* Ioh. VII 473 cupidi condiscere causas

cupressus odora: Iust. IV 46

cura est *sequente infinitivo:* Ioh. IV 44 nec nobis claudere portas cura fuit. Iust. I 70 custos, cura est cui claustra tueri

curapalati: Iust. I 135 cum magni regeres divina palatia patris, par extans curis, solo diademate dispar, ordine pro rerum vocitatus curapalati. II 284 dispositorque novus sacrae Baduarius aulae, successor soceri (factus mox curapalati est)

curro *sequente infinitivo:* Ioh. II 123 Barcaei solito currunt saevire furore. currunt *coniectura restitutum.* III 135 mundumque puer subvertere currit. III 288 frenos et iura cucurrit principis ultro pati. VI 396 mittere legatos pro pace cucurrit. — curro *notione peculiari:* Ioh. I 134 gradibusque potentes esse facit (res p.), quoscunque viros bene currere sentit pro terris populisque suis. Ioh. IV 362 non vester eram? non saepe cucurri? non iussus merui? cautus non proelia gessi? — Ioh. IV 340 pietas ut magna regentis omnia contineat, crebro sermone cucurri. *locus suspectus*

cursor: Iust. II 293 praenuntius ante signa dedit cursor. III 160 turba decanorum, cursorum, in rebus agentum

curules (*scil.* sportulae) = dona calendarum: Iust. II 356 promissaque die nostras sperate curules

custos: Iust. I 70 custos, cura est cui claustra tueri. III 207 custodes ardua servant limina, et indignis intrare volentibus obstant. — custos = custodia: Ioh. I 499 (Iohannes Antalae legatos) privato iussit custode teneri. Iust. III 18 rupto custode

cymba *coniectura restitutum:* Ioh. IV 325 Charona senem deserta currere cymba

cymbius = *Baldachin:* Iust. III 196 quas (columnas) super ex liquido praefulgens cymbius auro inmodico, simulans convexi climata caeli, inmortale caput soliumque sedentis obumbrat

dativus casus a) *cum passivis:* Ioh. I 411 desertas civibus urbes. III 372 nullis virgo quaesita maritis. IV 122 mihi cognita virtus. b) *loco praepositionum* in *et* ad: Ioh. II 16 arboribus religant congesto culmine cannas. IV 258 lumina subtremulis spargebat lampadis undis. IV 953 caput terrae deturbat acerbi. VIII 556 dominum deturbat harenae. VI 358 quadrupes ipsis cecidit densissimus arvis. VI 528 nuntius interea venit celer ecce magistro. VII 12 nox terris nunc atra ruit. VIII 554 terrae submiserat armos. c) *insolentius positus:* Ioh. IV 664 talia narranti seseque in bella vocanti erubuit. *locus coniectura restitutus.* Ioh. VI 704 ductoris vocibus ille erubuit. Iust. II 32 (deus), cui flectitur uni omne genu. *sic forsan accipiendus etiam locus in-*

divinae nuntiat aulae. — c) magister, nescio quo magistrali munere functus, Anastasius quaestor appellatur. Anast. 26 summe magistrorum, procerum decus, arbiter orbis, principis auspicio leges et iura gubernans, iustitiae vindex, inopum pater, omnia curans iudiciis relevare piis. Anast. 32 (Anastasium) princeps geminoque ornavit honore. Anast. 44 lege (sacros apices), summe magister, et causam defende meam. — d) magister navis: Ioh. I 235 magister ipse ratis placidos persensit surgere ventos. IV 832 dum miseros turbant infensa pericula nautas, obvius optato veniat si flamine ventus, assurgit laetus magno clamore magister exhortans socios, puppem convertit et altam. — e) magister aquarum: Ioh. III 148 obice contorto patulum celer arte magister obstruit amnis iter. — f) magister musicus: Ioh. IV 577 organa, plectra, lyrae digitis pulsanda magistri. — g) magister ferarum circensium: Iust. III 246 Hyrcanae quotiens spectacula tigres dat populis nova Roma suis ductore magistro non solita feritate fremunt, sed margine toto intrantes plenum populorum milia circum suspiciunt

magistra: Ioh. I 283 auxiliumque dei pietate magistra — inquirit

mando = mitto: Ioh. I 49 quem vellet in oras ductorem mandare ducum. III 128 IV 12. 335 VI 221 VIII 498. — *sequente accusativo cum infinitivo* = iubeo: Iust. III 121 triumphorum per singula vasa suorum barbarico historiam fieri mandaverat auro

manica: Ioh. II 130 nec tunicae manicis ornant sua brachia Mauri. Iust. II 315 vulgus micat undique circo, ut veniunt densae manicis albentibus undae

manifesto: Iust. I 156 consensusque sui manifestans vota senatus creber adorabat

maniplus: Ioh. VIII 539 nunc dextra (messoris) secat, nunc fune tenaci colligat innumeros gaudens per rura maniplos. — Ioh. I 440 seges aeratis horrescit spissa maniplis. I 566 IV 455 (acies componite turmis cunctaque dispositis) incedant signa maniplis. II 251 crebris acies collecta maniplis. IV 473 electis circumdans signa maniplis

mansuesco = mansuefacio: Ioh. VII 253 hic poterat rabidas verbis mansuescere tigres. VII 484 mansuescit gentes verbi virtute sacerdos. Iust. II 329 mansuetis planatur aquis (pelagus). — Ioh. VII 487 mansuescunt corda luporum

mapalia: Ioh. II 62 montibus altis horrida praeruptis densisque mapalia silvis obiectae condunt securi rupis ad umbram. II 5 diraque munivit posuitque mapalia silvis. mapalia *coniectura restitutum*

maritalis: Ioh. III 375 nulla maritales curavit reddere luctus

medius *cum dativo casu coniunctum:* Ioh. IV 637 his medius fomes belli rectorque Sidisan acer erat. VII 268 Romanis gaudet sese tamen esse magistrum militibus medium. VIII 445 militibus medius fervens. Iust. IV 370 medius fulvo Parius lapis enitet auro. — medium pono: Ioh. VI 488 medium — fluminis alveum alternae posuere acies. VIII 43 Massylique duces medios posuere Latinos

mellificus: Ioh. VII 339 mellificum bibit agmen aquas

mensura: Anast. 4 nec prendere possum mensuram transfusa meam. Iust. II 151 mea carmina numne mensuram transgressa suam? III 183

mensuro: Iust. III 372 quisque suas mensuret opes

merces: Ioh. VIII 81 merces non ulla datur. — mercede laborum: Ioh. IV 1056 m. l. omnia militibus donamus castra. Iust. I 87 m. l. aeternam famem laudemque et nomen habebis

mereo vel mereor *sequente infinitivo:* Ioh. I 108 victos tandem post tempora Persas cernere quod merui nostri virtute Iohannis. III 459 meruitque tyrannus (Stutias) omnia sub domino praedans discurrere Mauro. IV 1055 Carthaginis arces cernere sic victor merear. Iust. IV 272 Sophiae nomen nondum regnantis habere arx meruit. IV 365 domino meruit dilectus haberi. — mereo(r) = milito, famulor: Ioh. praef. 40 tunc meritus iussis carmina prima cano. IV 363 non iussus merui? cautus non proelia gessi?

mergo = mergor: Ioh. VI 768 absorptusque voragine mersit ipse cadens. — *locis ceteris verbum* mergo *transitive usurpatur:* Ioh. II 420 III 39. 92. 246. 448 IV 175. 244 VI 323 VII 177

meta: Iust. I 332 (circus) amplectens geminas aequo discrimine metas

metallum vitreum: Iust. I 99 vitrei splendens fulgore metalli

metricae res: Ioh. praef. 27 forsitan et fracto ponetur syllaba versu, confiteor; Musa est rustica namque mea. — a) *caesura penthemimeris aliquotiens neglegitur, non modo in versibus, quorum structura nominibus propriis longioribus impedita est, velut* Ioh. III 408 Cusina Mastracianis secum viribus ingens (*versus coniectura parum certa restitutus*), *sed aliis etiam in versibus, quibus plerumque verbis paulūlum transpositis penthemimeris inferri possit.* Ioh. I 187 flevit ut Aurora ingentis pia funera nati. IV 980 subsiliens. dum ludit magnum umbone per hostem. VI 196 aut gentes tantum, egerunt quae bella priores. VI 514 praecipiens, servandam tantum ob fluminis undam. VII 317 pulvis et adversi apparebat certius hostis. VII 374 ductoris iussu hostes explorare tribunus. Iust. III 212 inclita lux et consistoria tota replevit. — b) *prosodia.* 1) *nominum, quae metro dactylico repugnant, prosodia immutatur:* Ioh. I 15 *passim* Iustĭnianus. III 410 Pēlagius. IV 487 Grēgōrius. VII 435 Stēphanus. VII 243 Stēphanides. Anast. I 31 Anastāsi *vocativus* (Iust. I 16 Anastăsius *nom.*). Iust. II 113 IV 274 mystĕrium. III 16 Memphĭtica — ab aula. III 55 transitŭs *genetivus.* 2) *sunt verba, quorum prosodiam poëta ignorasse videatur:* Ioh. IV 1012 Iust. II 23 lŭtum (*metri causa utroque loco editores plerique* limum *scribere maluerunt*). Ioh. VII 493 iŭgiter. Iust. II 143 iŭge. III 96 Mĕthymnaeis. IV 60 bāses. IV 82 fēria. *sed hic locus corruptus videtur.* 3) *verborum paucorum prosodia ambigua apud Corippum:* Ioh. II 174 Iust. IV 204 bălatus. Ioh. II 398 bālantum. Ioh. II 295 nĕ. II 201 *passim* nē. Iust. II 80 nōvis. II 284 *passim* nŏvus. III 112 plus grāvia. III 313 *passim* grăves. IV 173 hābemus. IV 116 *passim* hăbens. IV 290 ībi. III 115 ĭbi. *num* Iust. II 80. 284 III 112 IV 173. 290 *codicis lectio genuina sit, dubitatur.* 4) *vocales duo in unam syllabam coniunguntur:* Ioh. VI 488 alveum *in fine versus positum.* 5) *vocalis* u *pro consonanti accipitur:* Ioh. IV 69 censuere *trisyllabum, item* Ioh. IV 691 paruere. — c) *positio. semel neglegitur:* Iust. II 254 omnibŭs sufficiunt sacrati commoda fisci. *quem locum nescio an perperam viri docti coniecturis temptaverint.* — *positionis insolentioris exempla:* Ioh. IV 263 iussā spectare magistri. IV 920 mediā stravere per arva. IV 938 vallē stravit in una. VI 582 aciesquē stare coēgit. VIII 46 portuquē stare Larisco. VIII 605 fortemquē sternit Erancun. Iust. III 265 officiā stratos. *nec vero contraria desunt exempla:* Ioh. III 30 inque statu proprio. IV 13 nomine scripta ducis. — d) *allitterationis, quae vocatur, exempla:* Ioh. praef. 18 virtutesque viri victaque bella. II 172 fervet trepido tunc terra tumultu. II 174 pecudum per prata balatus. II 450 vigilant variantque vices. IV 145 invaditque viros veluti vastator. IV 170 fugam faciemque furentis. IV 312 coit causas cupiens cognoscere rerum. IV 462 nubes convexo margine caeli murmure mota novo medium dum tangit Olympum. IV 1070 retro ruit revolutus. IV 1072 male mista medullis. IV 1106 ferventi funera ferro. VI 433 pro pignore pacis polliciti praestare suos. VI 675 fregit et in faciem furibundus. VI 716 ferens ferrata calce fatigat. VI 743 umbone tuetur tergaque, tunc telis. VII 526 ut vestra fatiget castra fames,

CORRIGENDA.

Ioh. VIII 74 vacuas Vulcanus ad auras
Iust. II 46 Appar. crit. flerent *Barth*, fleret *M*
Iust. II 370 credidimus. dominis vobis quis vestra negaret,
Iust. III 219 internos munire fores
Iust. III 346 Appar. crit. campumque *Ruiz* (*ex O*)

Typis expresserunt Breitkopf et Haertel Lipsienses.